Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Monrad

Thesaurus Concionatorum, Sive Arcana, Hactenus Quidem Multis Seculis Inusitata, Sed Sacrosancta Et Utilissima, Et Verbum Veritatis Recte Secans Methodus explicandi Evangelia

2 : Continens Evangelia Dominicalia Et Festa A Pentecostes Festo usq[ue] ad Dominicam primam Adventus

Rostochi[i]: Pedanus, 1614

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730416445

Band (Druck) Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730416445/phys_0001
DFG

Ep. Fr. – 485 γ
Ep. – 392 γ

43. 4.

F. C. – 1115.

4

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730416445/phys_0002
DFG

ΣΥΝ ΘΕΩ

THESAVRUS CONCIONATORUM,

SIVE

ARCANA, HACTENUS QUIDEM MULTIS SECULIS INUSITATA, SED SACROSANCTA ET UTILISSIMA, ET VERBUM VERITATIS RECTE SECANS METHODUS

explicandi Evangelia, quæ diebus Dominicis & Festis Sanctorum in Ecclesia Dei proponuntur, ad docentium eloquium & discentium captum accommodatissima, Magistro Spiritu Sancto delineata

à

JOHANNE MONRADO L.

Præposito in ALSIA, *Pastore in* Ketting.

PARS SECUNDA

CONTINENS EVANGELIA DOMINICALIA ET FESTA A PENTECOSTES FESTO usq; ad Dominicam primam Adventus.

Augustinus Epist:

Non ego meo ingenio vel merito, sed Dei dono sum, si quid sum laudabile: Nam quædam acutissima & excellentissima ingenia tanto in majori errore errant, quanto confidentius tanquam suis viribus cucurrerunt, nec suppliciter ac veraciter Deum ut viam sibi ostenderet petiverunt.

ROSTOCHI

Typis exscripsit Joachimus Pedanus, Acad. Typ.

ANNO CHRISTI M. DC. XIV.

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730416445/phys_0009

DFG

Athenæus:

AEschylus poeta dicere solitus fuit, Tragœdias suas particulas esse de cœnis magni Homeri.

Quis ergo me instructissimis optimorum authorum mensis selectiores particulas decerpsisse ægre feret?

AMPLISSIMO ET PRVDENTISSIMO VIRO PIETATE, VIRTUTE, DOCTRINA ET CONSILIIS CLARISSIMO

DN. DETHLEVO LUDTH,

CONSULI IN CIVITATE CELEBRI populosaq; HUSENSI dignissimo, Amico veteri & Fautori suo S. D. P.

DRestantissime & Spectatissime Domine Consul, Anni modò sunt triginta, à quo tempore parens tuus DETHLEVUS LUTHE, vir pietate, virtute & negociatione præclarus & opulentus, in Republica Slesvicensi Senator & Civis primarius, me fratri tuo FRANCISCO LVTH, tibiq; adolescentibus ingeniosissimis præceptorem de familia Clarissimi viri Magistri MICHAELIS STANHVFII, Cantoris & Senioris Canonici Slesvicensis, ubi

simili fretus eram munere, eligeret. Dici non potest optime Domine Consul, quantis tuus parens, & mater tua, in qua nulla, quæ honestam decent matronam, virtutes desiderabantur, me, præsertim quod juvenis frequenter singulis ferè septimanis in Cathedrali Ecclesia Slesvicensi, aliisq; locis ad concionandum animum applicuissem, prosequebantur amore, quantis me ornabant beneficijs. Affinis quoq; tuus venerandus & doctissimus Magister GEORGIVS CRVSIVS, Eyderstadensium Præpositus, Pastor in Cotzenbul, vir utriusq; medicinæ pro salute animæ & corporis peritissimus, Filium REINHOLDVM, VVESTERHOLDI avi materni doctissimi & optimè de Ecclesia meriti nomen referentem, mihi commendarat. Interim tu ex pleurisi vel apostemate diaphragmatis periculosissimè laborabas, ego autem tum propter illam quæ ingenuum maximè decet erga parentes tuos gratitudinem; tum propter insignem quam spes futura eminentiæ de te in visceribus meis excitarat affectionem, nocte dieq; ad tertium mensem lecto tuo adhærebam, brachijs meis ægrum & ferme confectum absq; tædio

dio sublevabam, & precibus assiduis à Medico caelesti medicorum magistro opem deposcebam. Neq; spes, neq; vota mea, gloria sit Domino, fuerunt irrita. Ideoq; jam aliquot labentibus annis studiosè occasionem quaesivi amicitiam inter nos refricandi, & Ambra quadam insigniori animum meum erga te declarandi. Ecce oblata est meo quidem judicio tanto viro non indigna: Cum enim Thesaurum Concionatorium *novam praedicandi methodum genere, virtute, pietate & doctrina florentissimo viro Domino* JOHANNI HILDENSHEMIO SECRETARIO, *fautori & amico meo praestantissimo consecrassem, nec exiguis sumtibus hic liber in publicum esset emissus, quos optimus ille* φίλομουσος *& cultor religionis pura liberalissimo animo & manu larga in gloriam DEI atq; Ecclesiae commodum erogavit, ipso suadente ut de fideli patrono, cui alteram hanc partem dedicarem, circumspicerem, Tu mihi, monstrante DEO & natura, oblatus es. Tibi ergo offero secundam hujus operis partem, quod non in difficilibus quaestionibus, sed in piscatoria acquieseit simplicitate, in qua Fi-*

des est, teste Hilario lib. 10. de Trin. quaq; DEus, qui verè contra speciosum mundi στοιχεῖον credenda nobis proponit incomprehensibilia, vultq; credi mysteria fidei ut intelligantur, non intelligi ut credantur, maximè delectatur.

Ego non dubito quin tu munusculum hoc placidè sis excepturus, & sanctum hoc opus liberaliter promoturus. Nec tu dubites, quin Deus cum hîc quaeratur ejus gloria, lectorumq; & auditorum salus, futurus sit retributor, me quoq; tibi magis obstrictum ad majora excitabis. Vale vir optime, DEVS te fœcundet, Christus secundet, Spiritus regat, Angelus tegat, ut in mundo honoreris, in cœlo coroneris, & vivendo saturatus à DEO approbatus, Benedictis annumeratus, gremio Abrahæ excipiaris, æternaq; jucunditate perfruaris. Ex Ketting *in Alsia. Anno 1614. Dominica Cantate.*

Tui Stud.
JOHANNES MONRADUS,
L. P.

LE-

Lectori S.

LEctor pie & dilecte, operæ pretium me facturum puto, si iterum in hac parte secunda brevibus de ratione & instituto methodi hujus te commoneſaciam.

Præparata in Exordio attentione, & præmissis præmittendis Concionem distribuo in duas partes, quarum prima continet σχόλιον seu exegesin, declarationem historicam periphrasticam Evangelij, qualem tibi tripartitam distinctam naturalem in versiculis & quidem tribus systematibus ob oculos posui. Prolixa narratio præ cæteris petenda videtur ex D. Ægydio Hunnio. Eam quam ego usurpo nisi sumtus me abiterrerent libenter tibi communicarem. Secunda pars thesin accommodat ad hypothesin, ut illorum more qui profundius fodientes & quærentes assiduè aquam inveniunt refrigerantem atq; purissimam, Johan. 4. v. 6. scrutemur scripturas, Joh. 5. una & eadem servata methodo: siquidem & Socrates in Phædro Platonis scriptum reliquit, se tanquam DEI vestigia secuturum illos, qui singula membra rectè disponendo partiantur in Orationibus suis. Confirmationibus fidei fructus fidei, & his prædicationem gloriosæ apud DEum reconditæ mercedis subjungo. Et hæc omnia verbis paucis gravibus ex ipso fonte sacro erutis, quod singula non aurificis statera; sed DEI, Angelorum & hominum trutina examinanda sint, quanta possum simplicitate tracto. Nec moror illos qui varia monstra, mirabiles Ideas & obscura somnia libris suis complectuntur, vel ingenio circumferunt.

Nec

Nec methodos contemno generales συνθετικὰς, ἀναλυτικὰς & διορισμὰς, quibus componendo simplicia, vel resolvendo composita, vel definiendo & subdividendo obscuriora materia perspicuè declaratur; aut methodos vocum simplicium & quæstionum conjunctarum speciales.

Sed methodo utor arbitraria, à DEO mihi in sacro codice monstrata, à qua nec judicium abest nec prudentia, nec certa præcepta, præsertim cum videam passim inter Pastores in eadem Ecclesia Synergos de materia optimè convenientes propter formam solummodo, quod alter Aristotelis, alter Rami castra sequatur, litem moveri, temerariasq; sæpe palàm enasci inimicitias. Nec cum ullius hominis quod sciam damno, nec proprium propter commodum; sed in solius DEI gloriam, in tuam, Lector benevole, gratiam, propter multorum quod spero salutem ex tenui, mea facultate propriis sumtibus quicquid hoc est ad oleum & lucernam elucubravi & absolvi, tibiq; exhibeo cum dictis, historijs & similitudinibus passim adjectis gravissimis, quibus animi auditorum commoti afficiantur, & accensi inflammentur, ut unus tibi sit pro multis. Si placet lege, dilige, imitare, & in JESU CHRISTO diu ac bene vale.

Johannes Monradus.

ΕΓΚΩ'ΜΙΟΝ

IN NOVUM THESAURUM CONCIONATORUM

REVERENDI AC CLARISSIMI VIRI

Dn. JOHANNIS MONRADI

Præpositi Regij in ALSIA fidelissimi,

decantatum à

M. GEORGIO OLAVIO CIMBRO

PASTORE in Horep.

SI quid Aristoteles Ramusq; dedere disertum
MONRADVS multis anteferendus erit,
Thesaurum sanctum qui mentis acumine promit,
Et divum tractat relligionis opus,
Et non voce docet tantùm, sed calica scriptis
Pandit, & arcanas monstrat in arte vias.

Quinon innectit tricasq; plicasq; logorum,
Sed docet æternum simplicitate λόγον,
Perq; orbem atq; urbes venerandum ut nomen
IESV
Floreat, & Satanæ corruat atra domus.
O labor egregius! postremi tempore mundi
Quem velut æthereo mittit ab axe Deus,
Sit MONRADE labor felix, conatus & ille
Amplificet nomen laude virente tuum:
Namq; indefesso studio, vigilante labore
Niteris, ut formes organa grata Deo,
Qua pia sit verbi methodus, quis finis & usus
Prudenti populum dexteritate doces,
Et sermone sacro recreas pia corda, docesq;
Arguta ad cælos scandere voce viam,
Et potiora Dei reseras mysteria summi,
Qualibus expediat promere sacra modis,
Vt tantis opibus pastorum turba fruatur,
Quæ cupit æthereo sacra placere Patri,
Atq; nova methodo possit contingere metam,
Et bene pastoris munus obire boni.
Sic quod & ante tibi est æternum nomen adimples

Et na-

Et nactum à ſtudijs amplificare decus.
Perge, agè, ſic reliquam arcanam pertexere partem,
Det Deus ut poßis ſic ſupereſſe diu.
Paſtorum iccirco decus immortale maneto,
Germani hoc referunt, Dania tota refert:
Sic in quadruplici magnus celebraberis orbe,
Atq; etiam vivus cum morieris eris.

Symbolum Autoris

ANNUM CURRENTEM
CONTINENS:

ChrIstVs MIhI aDIVtor.
XI. Cal. Junij,
ANNO
IesVs MonraDI erIgIt ConatVs.

Aliud,

Ad Reverendum & CL. Virum

DN. JOANNEM MONRADUM,

PARENTEM MEUM ÆTERNUM VENERANDUM.

VT verum fatear; quid enim non vera faterer? est, reverende Parens, inter sacra lumina cœtus electi quibus attribuit sua pondo Jehovah Omnipotens diversa vago discrimen in orbe, crede, nec exiguum: Variè nam dissimiles sunt extrusi à Domino ad falcem sacram atq; ligonem.

Sunt qui voce parùm tractant cæleste disertâ hoc opus, immensum quamvis sub pectore gestent agmen doctrinæ: Et stupidi nimiumq; loquaces sermo quibus patulo levior sub pectore crescit nec grave pondus habet. Videas, Pater optime, contra ingenium quibus egregiè natura politum doctrinamq; dedit, sic ut sua munia justè expediant, methodum rectè monstrando salutis; Sed nihil ulterius, si in agro, nisi rustica tractant, aut Genio indulgent, blanda ut quibus otia curæ, nec calamum accusat picti jactura papyri.

Sunt trahit infelix quos scribendi cacoëthes, ut modò cum pomis tranent, & inutile quidvis concumulant, rapiunt, sub prelo deniq; condunt,

quo

quo potius careat propter data ſcandala mundus,
rugoſo aut piperi crepitanti aut conſecret igni.
Invenias, qui, cum doceant cum plurima ſcribant
officij ratione ſui prædivite vena,
invideant miſero divina volumina mundo,
atq; premant per avaritiam, ne fortè metalli
jacturam faciant preſſi. Sunt deniq; corda
docta docente Deo paſſim, qui dogmata rectè
ſancta docenda ſecant, fructum ſic voce typoq;
immenſum faciunt, calamoq; vigente ſalutem
Lectori ſumptu nihil impediente propinant;
Nec ſibi defodiunt commiſſa oracula. Quorum
tu, venerande Parens, ſanctè veſtigia luſtras,
dum ſceleris purus vitæ integritate modeſtæ,
voce ſonante Dei dignâ præcone, redemtas
ſanguine paſcis oves Chriſti, ducisq; doces q;,
ut ſacra perpetuæ capiant viridaria vitæ.
Hem tibi ſermonis, Genitor, quàm flumine divo
dogmata ſancta fluunt à pectore & ore diſerto
eloquio tempeſtivo dum ferrea frangis
pectora, ceu reſonante tuba, dum ſaxea mollis.
REM tractas IPSAM, tibi gloria ſola Jehovæ
commiſſiq; ſalus gregis eſt ſacra concio totæ.
Inſuper haud quicquam parcens oleo atq; lucernæ
uberiore tui methodis de fonte docendi
ingenij bene bis promſti, Pater optime, binas
hactenus ignotas. Solo de SOLE notaſti
grande opus, atq; tribus præmagna volumina linguis
ſcripta domi gaudent doctæ ſpectare Camœnæ.
Nec tibi nec tineis tantùm tua ſcripta reſervas,
mente bona largaq; manu ſed publica mundo
largiris, dilecte Pater, ſic itur ad aſtra: *ſic*

Sic bona fortunæ dignos referuntur ad usus:
Sic modò Thesaurum *Christi præconibus offers,*
cui neq; divitias Cræsi, Crassi nec opum vim
æquiparent Domini grato sub corde Synergi.
O te felicem, te terq; quaterq; beatum,
qui Domino servus tantum lucrare fidelis.
O me felicem, me terq; quaterq; beatum,
cui natura dedit tanto de semine nasci:
Dante Deo doctos quoniam fulgebimus inter,
cum tuba per trepidas sonitum dabit ultima nubes.

L. M. Q.
scribebam

M. Joannes Monradus.



Errata

Errata festinantis preli sic corrigantur.

PAg. 35. lin. 7. lege febricitanti. 37. 7. homicidæ. 45. 15. sit. ibid. 24. speculo. 66. 2. *Agros.* ibid. 22. libenter. 67. 10. Ninive. 74. 6. opprobrium. ibid. 10. opiparorum. 75. 24. specie. 82. 29. leonum. 85. 11. Eli pro Levi. 87. 17. sancto. 95. 22. hoc. 121 25. in æternum. 122. 1. piscículum. 124. 24. intererant. 127. 19. gerere. ibid. 27. satagat. ibid. 28. indigum. 140. 27. occidat. 146. 15. edidit. 150. 13. ferreos. ibid. 14. tonitruum. 152. 3. Heliogabalus. 159. 3. aspectu. 178. 24. destruatur. 198. 8. Surgat. 205. 18. amplificavit. 210. 14. κληρονομήσω. ibid. 25. soboles. 218. 21. ulla. 231. 18. flaccescentia. ibid. 21. fila. 237. 1. politicis. 247. 1. inopina. 250. 22. tenso. 255. lin ult. superbia. 259. 3. ἐπλαγχνίσθη. 280. 11. essent. 294. 2. conqueratur. 300. 3. Fabricator. 311. 4. agnoscunt. 315. 2. tribulationem. 326. 24 instigent. 329. 8. recipiat. 340. 1. auditoribus. 345. lin. penult. Jehovæ. 352. 23. lege portu pro per. 355. 11. contactu. 358. 10. fabricavit. 363. 5. retardet. 373. 16. hospitio. 380. 1. judicis. 382. 18. quæ.

Die Festo Pentecostes,

QUO SPIRITUS SANCTUS VISIBILI FLAMmarum specie effusus est super Apostolos, Act. 2.

DE

CHRISTO UNICE DILIGENDO, ET VERBO EIUS SERVANDO.

Evangelium Joh. 14. à v. 23. usq; ad fin.

Præfatio Supplex.

VNaquæq; res gaudet suo simili, miles armis, studiosus libris, avarus pecunia, ambitiosus honore. Quisquis ergo Spiritu Dei afflatus divinæ naturæ consors est, rebus gaudet divinis, & qui Deum diligit verbo Dei delectatur, qui autem non habet spiritum Christi non est ejus. Rom. 8. Cum verò hoc Festum sit Spiritus Sancti, orabimus in nomine Filij nobis à Patre dari Spiritum Sanctum, ut ille doceat nos Deum agnoscere, Deum diligere, Sermonem Dei servare, in Christum credere. Tandemq; per beatum obitum pace Christi perpetua & infinito gaudio perfruamur, per & propter eundem Dominum nostrum Jesum Christum. Pater noster, &c.

Exordium Propheticum.

P*Sal. 72. v. 7. prædictum est, quod in diebus Messiæ florebit justitia & multitudo pacis. Joel. 2. v. 28. quod effundet*

Deus spiritũ suum super omnem carnem, in diebus illis, & super servos & super ancillas, ut prophetent filij & filiæ. Utrumq; impletũ esse, repetitam scilicet ejusdem vaticinij promissionem, & visibiliter effusum super Apostolos Spiritum sanctum hodie informatur Ecclesia.

BREVIS SUMMA ET DISPOSITIO TEXTUS METRICA.

Quicunq; CHRISTUM diligit
Sermone CHRISTI pascitur,
Illum Jehovah diligit
Manetq; in illo Trinitas.
A Patre CHRISTUS spiritum
Promittit, ille recreat,
Ducit, docet, quæq; audijt
Annunciat mortalibus.
Apostoli nec lugeant
Quod æger esse desinat
CHRISTUS, volens occiditur
Torpente mundi Principe.

TRIPLEX SPIRITUALE GAUDIUM EX HOC TEXTU.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. Quod diligentes Deum & observantes sermonem divinum; hæc enim est dilectio, 1. Joh. 5. v. 2. diligat Deus, Rom. 8. dilectione perfectissima, benevolentiam omnium creaturarum secum trahente, tam illorum quæ in cælo, 2. Reg. 6. Luc. 16. quàm in terra. Videte qualem charitatem, 1. Joh. 3. v. 1. dedit nobis pater, nempe ut filij Dei vocemur, quos gratos reddidit sibi in dilecto ad laudem gloriosæ gratiæ suæ. Eph. 1. v. 6. Quod ad illos veniat Deus & sancta Trinitas fruatur hospitio in cordibus eorum, ut sint templa Spiritus

Spiritus Sancti. Esa. 57. v. 15. 1. Cor. 6. v. 10. 2. Cor. 6. v. 16. Quare nec mundi nec Satanæ timent impetus, hoc domino propugnante domum suam: Genes. 19. quia major est qui in nobis, 1. Johan. 4. v. 4. & potentior quàm qui in mundo. Quodq; mansionem faciat, nec subitò discedat Dominus, Joh. 14. nec difficilis sit præsentia Dei: siquidem non onerat sed honorat, non exhaurit sed ditat. Sic ergo conveniunt Deus & homines ut habitet in nobis Deus non quidem personaliter ut in Christo; sed per societatem & separabiliter. Unde nos, 2. Pet. 1. v. 4. consortes reddimur divinæ naturæ, fitq; cor hominis Thronus divinæ majestatis, quod Deus illuminat, & per hominem Deus agit, vivit & operatur, sic ut sermo, opus & manus ejusmodi hominis sit sermo, opus & manus Dei. Tam mirabilis creatura est homo Christianus servans Dei verbum, etiamsi sit mendicus coram mundo, excellentior coram Deo, quàm cœlum & terra. Gregor. Pensate charissimi quanta sit illa dignitas habere in cordis hospitio adventum Dei. Valeat ergo Templum Hierosolymitanum, Templum Dei non est factum manibus, sed populus comparatus à Deo qui Christum diligit, ejusq; servat sermonem. In hoc templo ille habitat, quem cœlum & terra non capiunt. Esa. 66. v. 1. Licetq; hæc domus bene cepta non sit perfecta, Deus tamen aderit, & promovebit gratiam ac dona sua per Verbum suum & Spiritum Sanctum, ceu materiam ædificationis, facietq; mansionem quam non invenit consummatam.

II. Quod Spiritus Sanctus, cujus hoc Festum est, sit Tertia persona Trinitatis ὑφεστηκὸν & persona, quem pater mittit in nomine Filij, Joh. 14. & hi tres unum sunt. 1. Joh. 5. Nam Spiritus sanctus est patri & filio ὁμοούσιος & συναΐδιος persona distincta. Matt. 3. & 28. Act. 2. Deus cum patre & filio, Luc. 1. 1. Cor. 6. 1. Cor. 12. 2. Tim. 3. coæternus, creator, omnipotens & omnipræsens, Gen. 1. Psal. 33. 139. Sap. 1. procedens à patre, Joh. 14. & 15. & à filio, Joh. 20. 2. Thess. 2. Et mittatur in Ecclesiam atq; piorum pectora, ut illa incendat, salutis doctrinam promoveat, de Christo

testetur eumq; declaret, ducat nos in omnem veritatem, erigat pavidas mentes, & arguat mundum de peccato, justitia & judicio. August. Spiritus est sine qualitate bonus, sine quantitate magnus, sine indigentia creator, sine situ præsens, sine habitu omnia continens, sine loco ubiq; totus, sine tempore sempiternus, sine ulla sui permutatione mirabilia faciens nihilq; patiens, qui cum patre & filio regnat in secula seculorum.

Hoc loco instituendi videntur rudiores de tertribus:

1. *A quo detur Spiritus Sanctus, scilicet non ab Angelis, nec ab hominibus, nec pecunia redimitur. Act. 8. v. 20. Sed datur à Deo patre & filio, Joel 2. Act. 2. Joh. 14. 15. 16. 20. Gal. 4. ut nos illuminet & incendat, sicut radij & calor Solis in hæc inferiora sparguntur, & Manna cibus è cœlo delapsus est. August. Deus misericordia motus misit filium suum qui redimeret servos, misit etiam Spiritum sanctum quo servos adoptaret in filios. Filium dedit in precium redemtionis, Spiritum sanctum in privilegium amoris. Se denig; totum servat in hæreditatem adoptionis. Christus, sicut peregrè profecti amicus amicis & maritus conjugi, & frater fratribus, non tantùm signum misit amoris munusculis & literis ultro citroq; confirmandi, sed pretiosissimum ex ea regione in quam profectus est donum: ipsum scilicet amorem & amoris divini fomitem atq; flammam Spiritum sanctum. August. serm. 44. in Epist. Joh. Magna Dei misericordia, qui donum dat sibi æquale: quia donum est Spiritus sanctus, qui proprius ipsius est. Cyrill. lib. 7 de Trinitate. Et ille è cælo in terram missus est ut mentes nostras à terrenis ad cælestia elevaret, quo mundo mortui Deo vivamus, & in terris positi cœlestia cogitemus. Iren. lib. 3. cap. 19. Ideo datus est de cælo Spiritus sanctus, ut quia Diabolus de cælo protrusus est ibi habeamus Paracletum, ubi habemus accusatorem. August. Licèt in potestate nostra non sit dare Spiritum sanctum, oratione tamen nostra*

stra prodesse possumus alijs, ut conferatur ipsis à Deo Spiritus sanctus, quod Apostoli effectum dederunt, Act. 3. 8. 10. 19. nosq; in singularum concionum exordijs quærimus.

2. Quomodo detur Spiritus sanctus, scilicet duplici modo: visibiliter ut Christo, Matth. 3. & Apostolis in prima Pentecoste novi Testamenti instar venti in linguis ignitis atq; divisis. Et invisibiliter sicut etiam datus fuit Apostolis & habitavit in ijs ante Pentecostem; unde Jesum dixerunt Dominum, Johan. 6. Matth. 16. quod aliàs non potuissent. 1. Cor. 12. Et nos non sumus in carne sed in spiritu: Rom. 8. v. 9. siquidem Spiritus Dei habitat in nobis.

3. Per quæ media detur Spiritus sanctus, scilicet: 1. per Baptismum, Matth. 3. Tit. 3. Act. 2. 19. juxta cujus pactum ambulandum est, quia avis ova deferens pullos non excludit. 2. Per auditum verbi divini. Act. 10. & 16. 2. Cor. 3. Col. 3. Eph. 5. Clemens: Per sanctarum scripturarum meditationes & auditum nutritur Spiritus sanctus, & continuè ejus ignis accenditur: quia ut sanguis vita corporis est; ita spiritus verbi. Confirmatur hoc exemplo Augustini, qui ex concione Ambrosij Mediolani, cum esset Manichæus, deposito errore conversus est. 3. Per dignum usum cœnæ Dominicæ. Johan. 20. 4. Per bonam novæ vitæ militiam. 1. Tim. 1. 5. Per orationem, Luc. 11. Act. 4. 8 19. in nomine Jesu. Bernhard. Serm. 6. in Ascens. Domini. Apostoli decem dies in hac expectatione sederunt, perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus & Maria matre Jesu. Et tu igitur orare disce, disce quærere, petere, pulsare donec invenias, donec accipias, donec aperiatur tibi. 6. Per pia cantica & instrumenta Musica. 1. Reg. 8. & 16. 2. Reg. 3.

4. Quibus detur, scilicet Ecclesiæ membris sine respectu personarum. Zach. 12. Ezech. 37. Joel. 2. Actor. 3. & Act. 16. datur Lydiæ. 2. Tim. 1. matri & aviæ Timothei. Luc. 2. Hannæ viduæ. Exod. 31. 35. operatoribus seu operarijs. Numer. 11. 70. Senioribus. Nec ullum aspernatur qui civis est in domo Domini. Hinc datus est Baptistæ in matris utero, adfuitq; Jobo & Lazaro ægris

ac nudis. Onesimoq, Philem. 1. & Cornelij servis. Actor. 10.

5. Quod Spiritus S. inde ab initio semper adfuerit Ecclesiæ. Gen 1. fovet aquas. Gen. 6. loquitur per Noachum. 2. Pet. 2. per Loth docet justitiam. Exod. 8. confundit incantatores. Luc. 11. Exod. 15. ducit Mosen & Israel per mare Rubrum. Esa. 64. Exod. 32. decalogum scribit. 2. Sam. 23. locutus est per Prophetas. Ezech. 1. apparet in visione. 2. Sam. 25. Davidem instar vēti præcedit in arborum comis. Ignis, Gen. 4. 1. Reg. 18. in oblationibus, teste Hieron. symbolum fuit Spiritus S. 1. Reg. 19. Eliam confirmat. Esaias c. 6. carbone tangitur. Elias, teste Epiphanio, flammas cum lacte materno suxit. Ephrem vidit ignem in ore Basilij docentis. Et discipuli in lingua Ambrosij. Sic Apostolis datus est, & adhuc illis qui sacris initiantur per impositionem manuum. Et per nos loquitur. Matth. 10. v. 10.

6. Quod sit Consolator noster, pavidas conscientias, ne cor metu aut tormentis frangatur, erigens quo maximè indigemus: quoniam fletu nascimur, vivimus & morimur. Porrigit autem nobis, ceu mater infantibus, ubera, Esa. 66. & spiritus est gratiæ, Zachar. 12. qui nos de misericordia Dei reddit certissimos; nec nō spiritus precum, qui orationem nostram, ne velut cantus volucrum evanescat, per nubes in cælum transfert, & ipse pro nobis apud Patrem æternum interpellat gemitibus inenarrabilibus. Roman. 8. v. 26. Aliàs nos quod petimus ignoramus. Joh. 4.

7. Quod sit Gubernator Ecclesiæ, & summus Doctor ministerium verbi & sacramenta defendens, per quem David Christum dixit Dominum. Psal. 110. Matth. 22. Spiritus unus est omnia in omnibus. Quid est quo homo ad cælestem vitam indigeat, quod is abundè non tribuat? Si homo rerum divinarum cognitione & luce indiget, Spiritus est veritatis: Si viribus destituitur, virtus est & fortitudo: Si ægritudine laborat, medicus est & medicamentum: Si viæ ducem quærit, in cælum dux est: Si rectore indiget, Rex est: Si inter hostes periclitatur, protector est: Si quis parvulus est & infans, Spiritus sanctus est pædagogus: Si ærumnis premitur, est Pa-

est Paracletus : Si adjutore indiget, adjutor est in tribulatione.

8. Quod sit dux noster cujus ope & magisterio maximè indigemus ; quia totum vitæ cursum, vivendiq; rationem, & omnia quæ in vita felicia nobis contingunt ipse moderatur, & suggerendo salutaria consilia, monstrandoq; unicuiq; vitæ genus & conditionem mirabiliter nos ducit : quia summè perfectus omnia in se continet, ceu fons bonorum omnium inexhaustus. August. Nihil Domine peto nisi te, quia tu es Doctor & doctrina, Medicus & medicina, Perfector & præparator mentium, Amor & Amator. Tu es Donum & dator, Vita & vitæ conservator. Gregor. Considera viros Veteris & Novi Testamenti ; Davidem, Danielem, Amos, Petrum, Paulum, Matthæum. Implet Spiritus sanctus puerum citharædum & Psalmistam facit. Implet abstinentem puerum & judicem senum facit. Implet pastorem armentarium & prophetam facit. Implet piscatorem & principem facit Apostolorum. Implet persecutorem & facit Doctorem Gentium. Implet publicanum & facit Evangelistam. Spiritus sancti providentia interdum ignorantibus vel nihil minus cogitantibus illa quæ nobis maximè sunt salutaria contingunt, omniaq; nobis in bonum cooperantur. Rom. 8. Ducit nos Spiritus sanctus sicut navis in patriam tendens à vento fertur, sine quo etiam omnibus instructis loco moveri non potest. Et Spiritu sancto donati navigantes in turbulento vel placido hujus mundi æquore insulas, arces, urbes, sylvas, hortosq; conspectos præternavigamus solius patriæ æternæ rapti dulcedine. Sic enim Nauclerus hic felici vento posthabitis terrenis nos in æternum ducit portum beatitudinis. Chrysost. Multaq; quæ graviter nocere potuissent prospiciente eodem Spiritu è manibus elapsa sunt.

9. Unde quis scire possit num habeat Spiritum sanctum, scilicet ex pugna ejus adversus carnem. Gal. 5. Sic credens, teste August. scire potest se credere. Ubi caro jubet colere idola, pejerare, verbum Dei negligere, imponere pastoribus, scortari, furari, fallere, tuquoq; consentis, certè non est in te Spiritus bonus ; Si autem totis viribus

viribus reluctaris, & à peccato abstines in te habitat Spiritus sanctus. Namq; sicut Regum hospitia agnoscuntur ex suspensis ad fores insignibus & præsentia ex apparatu: sic hospitium Spiritus sancti ex bono fructu piæ vitæ cognoscitur. Quia ex abundantia cordis os loquitur. Gal. 5. v. 22. Fructus spiritus est charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, temperantia, &c. Quia non est otiosus, sed igni & vento similis Spiritus sanctus. Sumiturq; judicium de præsentia ejus ex partibus veræ pœnitentiæ, si quis ob peccata dolet, confitetur, credit & studio novæ vitæ non destituitur. Qui autem contrarium in se deprehendit spiritui malo aditum patefecit, & monendus est, ut acta vera pœnitentia Spiritum sanctum recuperet, nec sine hoc hospite atq; domino domum revertatur.

III. Quod non mortuus sit Christus ex necessitate, quia omnipotens erat; neq; ex debito, quia sanctus & immaculatus; sed ex libera voluntate, quia misericors & miserator Dominus. August. Non à Satana aut Judæis coactus, sed spontanea voluntate in mortẽ traditus est Christus; nec Satan vel mors quid juris contra ipsũ habuêre: quia non est invẽtus in Christo dolus, Esa. 53. Joh. 8. ne festuca quidem, ergo nec stipendio peccati subjectus fuit. Rom. 5. Neq; adeò imbecillis fuit Christus, quin hostium conatus infringere potuisset, qui audito nomine Jesu conciderunt, & Dominus ipse meminit 12. legionum Angelorum; sed amor & obedientia erga patrem, Phil. 2. quæ in Adamo desiderabatur, & misericordia atq; amor nostri Christum compulerunt, ut pœnam nostram in se derivaret. Sic ergo oblatus est quia voluit, Esa. 53. v. 8. & propter prævaricationes nostras plagam sustinuit, quomodo & quando voluit, posuitq; animam pro ovibus à se ipso. Joh. 10. v. 18.

II.

Fructus Fidei Triplex.

I. Vt diligamus Dominum Jesum qui nos dilexit, & mortis suæ lytro nos redemit, non quidem corde frigido aut linguâ tantùm, sed ex tota

ex tota anima & totis viribus, ut cum Petro dicamus: Scis Domine quod te diligam, idq; cum Polycarpo testatum faciamus. Sic Christum diligamus ultra parentes, sobolem & omnes creaturas, Psal. 37. præ vita ipsa, ceu summum bonum, & ipsum solum, servemusq; sermonem Christi abjectis statutis hominum. Matth. 15. Joh. 15: Amici mei estis, si quæ mando feceritis. 1. Joh. 5: Hæc est dilectio ut servemus sermonem ejus. Ne simus vacui auditores, Marc. 11. Jac. 1. v. 22. sed lingua nostra prædicet, aures auscultent, cor cum gaudio recipiat sermonem Christi. Nec desint opera dilectionis, lapsi resurgamus, gaudeamus afflicti, aliàs Christus non novit nos, Matth. 7. sed æs sonans & fontes sumus aqua carentes, Psal. 7. 8. 37. hypocritæ, speciem tantummodo piæ conversationis habentes, nec corde ad Deum appropinquantes. Esa. 29. Mandatum est in præcepto secundo, ne Nomen Domini in vanum assumamus. In oratione seria de novissimo judicio dixit Christus: Cavete ne corda vestra graventur crapula & ebrietate. Alibi prohibetur avaritia, adulterium. 2. Cor. 6. Jac. 4. Cur itaq; non fugimus mortiferum ejusmodi venenum, quid nomine Domini sanctissimo & vulneribus ejus exsecrando turpiter abutimur? Elaboremus euge, Exod. 25. & 26. Templum & tabernaculum esse Domini, 1. Cor. 6. v. 19. ut inveniat ipse in cordibus nostris Aurum fidei & Argentum puræ doctrinæ, candelabrum novæ vitæ contra tenebras Aquilonis, Jer. 1. nec non æs resonans divinæ laudis & invictæ fortitudinis. Mactentur in altari exteriori cupiditates bestiales; In interiori offeratur thus arduæ orationis dilectionis igne accensum, sic ornetur templum Domini Chrysost. Simusq; decorati colore purpureo cruoris Christi & cocto bis tincto geminæ dilectionis erga Deum & proximum, 1. Joh. 4. insuper bysso candoris & castitatis, & color hyacinthinus cæruleus sive cœlestis moneat nos despectis rebus terrenis cœlestia cogitare, & cum hic civitatem non habeamus manentem, ad cœlestia alacri studio festinare. August. in Medit. Angusta est Domine domus animæ meæ, quò venias ad

eam dilatetur abs te. Ruinosa est refice eam. Cui alteri præter te clamabo. Ab occultis meis munda me Domine? Psal. 19. v. 13. Gregor. Tergat sordes pravi operis, qui Deo præparat domum mentis. Sap. 1. In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.

II. Ut vegetam & florentem conservemus in animabus nostris pacem Christi, quæ superat omnem intellectum, Phil. 4. v. 7. optima rerum quas homini novisse datum est, cum qua totius mundi bona & dona conferri nõ possunt. Ne illam ipsimet in nobis perturbemus, sed præsidio sit cordibus & mentibus nostris. Si tranquilla est conscientia & remissæ iniquitates agamus Deo gratias, nec contra conscientiam delinquamus. Si adhuc hæremus in delictis & turbata est pax conscientiæ ad thronum gratiæ ad agnum Dei & crucem Christi confugiamus; Eb. 4. Joh. 1. Col. 2. Ut ipse nos emundet sanguine suo, detq; nobis gaudium & lætitiam, Psal. 51. v. 10. quò exsultent ossa quæ contrivit, & spiritum rectum innovet in visceribus nostris, atq; sanet vulnera nostra. Syr. 21. Jer. 30.

III. Ut saturi hujus vitæ læti per mortem emigremus, Ebr. 11. nec incutiat nobis trepidum timorem obitus noster; nec si præmittantur illi quos diligimus incredulorum more in lachrymarum amnem diffluamus. Quin excusso dolore gaudeamus potius, & optemus ex hac vita, in qua merus labor & dolor nos tangunt & angunt, emigrare, & esse cum Christo. Cyprian serm. 4. de Mortalitate. Quantùm prosit exire de seculo Christus ostendit, qui, cum discipuli ejus contristarentur, quod se diceret recessurum, inquit: Si me diligeretis gauderetis utiq; quia vado ad Patrem, docẽs cum chari quos diligimus de seculo exeunt gaudendum potius, quàm dolendum esse. Sic ergo maritus morti vicinus ploranti uxori dicat: Si me amas gaude, quod liberer ab omnis mali mole, nec separamur in æternum. Aliàs, teste Hieron. part. 3. tract. 9. cap. 22. excitamus super nos iram Dei, ut nobis dicat: Tunè malè fers quod tuus maritus sit meus frater & filius? Tua conjunx mea sit gnata soror q;

rorq, cujus mors pretiosa in conspectu Domini. Psal. 116. Quod si tu crederes, rectiùs gauderes.

III.

Finis & Merces Fidei Triplex.

I. Quod abierit quidem Christus, sic tamen ut maneat nobiscum invisibilis, Matth. 18. v. 28. atq; visibilis revertatur ad nos, sic caput nostrum sua membra attrahat, Joh. 16. & animabus piè præmissis conjungat. Deus enim dabit nobis spiritum suum ut reviviscamus. Ezech. 37. Et qui credit in Christum vivet etsi moriatur. Joh. 11. v. 25. Hinc gloriamur de spe futuræ gloriæ. Rom. 5. v. 2. Sicut enim hic abitus Christo maximè profuit, quo ab exilio hujus mundi abiens collocatusq; ad dextram Patris, devictis hostibus, regnat in gloria Dei: Joh. 17. sic per & propter meritum Christi noster obitus non erit iter tragicum, sed profectio ad cœleste nostrum πολίτευμα, Phil. 3. in patris domum; Joh. 14. ubi ædificium habemus à Deo exstructum. 2. Cor. 5. Et sicut Argonautæ absoluto periculoso per turbidum mare itinere, impetrata statione tutissima, de navi in terram Viventium intrabimus. Hic quidem nautæ domum reversi mortem uxoris & sobolis, stuprum gnatæ, conflagrationē domus & alia mala nova præmetuunt; ibi autem statum inveniemus meri gaudij perfectissimum, quicunq;, quotquot & qualescunq; Christum servato sermone ejus dilexerimus: quia hoc universaliter intelligendum est. Positoq; discrimine inter veram & falsam Ecclesiam, membra veræ Ecclesiæ Deo curæ ac cordi sunt; sive quis Rex sive mendicus, opulentus vel inops Deus neminem excludit, modò sit fide in Christum instructus, si quoq; in mundo sit famelicus, & Lazaro nudior. Nec respicit Deus sericum aut coronas, quæ singula mors rapit. Syr. 10. v. 12. Si quis mille satellitibus comitatus cristas erigat, deficiente fide deficit gratia Dei & salus æterna. Sed ubi Christus fide apprehensus adest, ibi regnat favor & gratia Dei, eò Deus pater flectit oculos misericordiæ suæ,

ibiq; paratum est geminum hospitium; hic quidem Deo in corde fidelium, illic autem fidelibus in manu Dei. Non itaq; opus est disputatione, num prædestinati simus ad vitam æternam, sed loquamur cum anima nostra. Si diligimus Christum & credimus in eum, certè relati sumus per Archicancellarium Dei per Spiritum sanctum in album Viventium, inscripti in librum vitæ. Phil. 4. v. 3. Apoc. 3. v. 5. 10. v. 8. 21. v. 27. Nec quis expunget nomen nostrum, nisi ipsi tradamus coronam nostram alteri, Apoc. 3. per incredulitatem & peccandi licentiam: siquidem homo dum hîc agit, veluti Lunæ orbis, in pietate accrescit & decrescit.

II. Quod, quoniam hic in sanctuario & contritis cordibus Deus habitat, illic cum ipso perpetuò in excelsis habitabimus. Esa. 57. ambulantes coram Domino. Psal. 116. 1. Thes. 4. Dixit enim Christus Joh. 12. v. 26. Ubi ego ibi & ministri mei erunt. Joh. 17. v. 24. Pater quos dedisti mihi cupio ubi sum ego & illi sint mecum, ut videant gloriam meam. Gregor. Nazianz. Futuri sumus parva lumina, circa lumen illud magnum tripudiantes. Nec sorte distribuetur cœlum velut terra promissa per tribus Israel; Nec certo loco includemur, sed plenum habebimus dominium; Nec corruet domus illa, sicut hic mœnia quæ fuerant candida nigra jacent. In æterna illa patria infinito æternæ Pentecostes gaudio perfruemur. Quia Deum videbimus, & refulgebit facies nostra ut in prima Pentecoste, & Spiritus sanctus ceu fons aquæ vivæ, Apoc. ult. nos reficiet, linguis q; ignitis Deum prædicabimus, velut in secunda Pentecoste. Excitatiq; à Spiritu sancto, quàm mirabiliter hic ab eo ducti fuerimus, admirabimur. Psal. 4. Nec amplius à nobis discedet Spiritus sanctus. Hic equidem dum vitam ægri trahimus Spiritus excutitur dominante cupidine carnis, & abigitur sordibus vitæ impuræ tanquam apes fumo, tantoq; hospite per fœtorem peccatorum profligato succedit multoties in hospitium Satan; Verùm ubi ille hominem inhabitat, ibi uterq; & hospes & hospes abominabilis est, & quicunq; in hac vita finaliter Diabolo hospitium præbent, illos ipse vicissim

vicissim hospitio flammarum & ejulatus in inferno excipiet, ubi cum improborum catervo cruciabuntur. Talem unumquemq; esse constat, qualem intra se spiritum gestat. Spiritus malus sicut ignis sibi similes facit quos inhabitat, superbos, rebelles, invidos, ideoq; Paulus 1. Cor. 6. dehortatur nos ab omni impietate & impuritate, per quam Spiritus sanctus amittitur. Spiritus enim, Sap. 1. v. 5. disciplinæ sanctus fugit quod fictum est, atq; recedit à stultis cogitationibus, & revertuntur Spiritus mali. Luc. 11. Cæterùm amitti posse Spiritum sanctum constat dictis scripturæ: Psal. 51. Esa. 64. 1. Cor. 10. Eph. 4. Cyprian. Spiritus sanctus non munit illos, qui se dictis impuris immergunt. Nazianz. Ubi vita degitur qualis porcorum est; ibi non est Deus sed Dæmones. Et exemplis: Adami, qui excussit Spiritum sanctum per superbiam & apostasiam. Primi mundi, nolentis admittere correctorem & correptorem Spiritum sanctum. Gen. 6. Prophetarum. Achabi. Simsonis. Jud. 16. v. 20. Saulis. 1. Sam. 16. 1. Paral. 11. Judæ, Joh. 13. quem amisso Spiritu sancto occupavit Satan. Notandum autem quod aliud peccatum sit Veniale ex imbecillitate commissum absq; malo proposito, Psal. 19. 32. 130. sic justus septies cadit cotidie. Prov. 24. Act. 15. Gal. 2. Hieron. Si cadit, quomodo justus est? sed justi vocabulum non amittit, qui mox per pœnitentiam resurgit. In ijs nihil damnabile qui in viam redeunt, nec finaliter ab ijs discedit Spiritus sanctus. Aliud peccatum Mortale est, quod fit ex proæresi contumaciter contra conscientiam, & qui sic peccat, 1. Joh. 3. ex Diabolo est. Joh. 8. Syr. 21. Quales Saulis fuerunt transgressiones plurimæ, sc. 3000. viros contra Dei voluntatem eligere. 1. Sam. 13. In messem Samuelis falcem mittere, ibid. Amalech parcere. 1. Sam. 15. Davidem innocentem persequi. Sacerdotes Messiæ 85. interficere. 1. Sam. 22. Pythonissam consulere, 1. Sam. 28. & tandem desperare. 1. Sam. 31. Mac. Hom. 28. Væ domui in qua non habitat Dominus. Væ animæ cum verum gubernatorem Christum in se non habuerit. Sed ô beatissimæ animæ in quibus non tantum præsentia universali, sed juxta gratiam suam

Deus habitat. Cum enim Deus rerum omnium perfectiones in se planissimè contineat, in anima justorum est & operatur velut pastor in grege suo: velut Rex in regno suo: velut paterfamilias in domo: velut in schola magister: velut in navi gubernator: velut in corpore anima: velut in mundo Sol. Estq; Jehovah Sadai, hoc est, qui est & qui sufficit. Sed ô infelicissimos? qui hoc inhabitatore destituuntur, quia mens spiritu vacua desertum est, in quo non tantùm omnium necessariorum regnat inopia, sed etiam eorum quæ maximè nocere possunt copia est. Mens ejusmodi civitas est ab hostibus truculentissimis obsessa, nec murorum aut militum præsidio cincta; ubi non tantùm hostes exterius urgent, sed etiam cives inter se hostilibus odijs dimicant. Navis est à tempestate jacta clavo & malo, & gubernatore amissis. Et hic quidem corruptæ naturæ vitio carnisq; ad malum proclivitate in summo versatur anima nostra periculo, ceu pulcherrima virgo inter multos adolescentes vitam agens, comite fratre germano tam pravi ingenij, quamvis admodum dilecto, ut illam semper prostituere, & importunis adhortationibus & promissis ad malum impellere velit. In vita autem æterna erũcatis carnis illecebris perpetuò templum erimus Spiritus S. illo obsignati; nec hoc sigillum frangetur unquam.

III. Quod in vita æterna exemti ab omni malo fruemur pace Christi, id est, omni bono. Luc. 2. Esa. 9. Beati mortui in Domino: Apoc. 14. quia feriantur à laboribus suis. Babylas cum filijs ad macellum tractus hilari voce proclamavit: Revertere anima in requiem tuam. Ibi Princeps mundi nos amplius haud infestabit. Esa. 32. Sedebit populus meus in pulchritudine pacis. Rom. 14. v. 17. Regnum Dei est justitia & pax, & gaudium per Spiritum sanctum. Pacem ergo habebimus cum Angelis & Archangelis, quia nos diligent & honorabunt: pacem habebimus in visceribus animæ nostræ: pacem nec turbabit mundus tumultuans, nec ipse Satan irrequietus mundi Princeps. Quid prodesset in domo habitare planè regia & illustri, opulenta ac splendidissima, si deesset pax. Quare & multi bello-

bellorum duces satis animosi conflagrationem arcium & urbium cum lachrymis aspexisse leguntur. Si ergo hic furiæ nos exagitant, iraq; & invidia, pro quibus, juxta Chrysost. melius esset in corde alere viperam, cruciant, cogitemus de pace hac æterna, de qua h. l. Princeps pacis: Esa. 9. Pacem meam, inquit, do vobis. Respondet Bernhard. Homil. 3. in Cant. Sufficit mihi Domine, gratanter recipio quod relinquis. Bene mecum agitur si pacem habuero. August. super Psal. 55. Sæviente turbine, & quævis demoliente vento, non capessimus arma ad resistendum; sed clausis foribus ac fenestris confugimus ad orationem, sperantes post tempestates tranquillum. Sic spe pacis æternæ vincimus tumultus, quoscunq; Mundus & Satan excitant: quia in vita æterna diligemus Deum perfectè. Et quoniam Christus suâ obedientia pro nostra satisfecit petulantia, morem geremus Deo perfectè, fietq; à nobis voluntas æterni Patris sicut ab Angelis, quod hic toties supplicando postulavimus. Anshelm: Tanta erit dilectio inter Deum & homines, qui ibi erunt, & inter se ipsos invicem, ut omnes ipsum diligant sicut se ipsos, sed plus ament Deum quàm seipsos. Et propter hoc nullus volet, nisi quod Deus, & quod volet unus, hoc volent omnes, & quod unus vel omnes, hoc ipsum volet Deus. lib. 2. Epistolar. Ducit autem nos Spiritus sanctus sicut dux militaris instructam aciem per hostium regiones, ut suspecta loca & imminentia pericula declinet, donec ad istam felicitatem perveniamus, ubi perpetuò coram ipso & in ipso cum Patre ac Filio lætabimur. Videbimusq; illum qui Patrem se majorem dicit non actu primo sed secundo: quia, juxta Cyrill. Pater semper in ijsdem permansit, Filius verò servi forma assumta se exinanivit, & se Patre minorem dicit: quia est homo. Athanas. Splendor est Patris, Ebr. 1. cujus omnia sunt quæ Pater habet. Joh. 10 & 16. 2. Cor. 13. v. 13.

Gratia Domini Jesu Christi & charitas Dei, & communicatio Spiritus Sancti sit cum nobis omnibus. AMEN.

Feria

Feria II. Pentecostes.

DE DILECTIONE DEI ET DONO NOBIS DATO.

Evangelium Joh. 3. à v. 16. usq; ad v. 22.

PRÆFATIO SUPPLEX.

HOdie in Ecclesia proponitur summum mysterium ex consilio Trinitatis, ex ore Christi de nostra Justificatione. Oportebat itaq; eum qui de hac tanta re, quod nos Deus dilexerit, & dederit nobis filium suum, dicere vellet, Spiritus Sancti donis esse repletum, ut de plenitudine cordis sui eructaret verbum bonum. Sed experiar tamen, & quæ mihi Dominus excitatus precibus meis & vestris dederit in medium proferam. Utinam Spiritu Sancto regente linguam & corda nostra dilectionem ac donum Dei patris gratissimis animis agnoscamus, & in gloriam Dei nostramq; salutem firma fide instructi in luce ambulemus, ut tandem luce potiamur & fruamur æterna. Pater noster, &c.

Exordium Propheticum.

E *Sa. 9. v. 6. Filius datus est nobis, qui ait Ose. 13. v. 9: Perditio tua ex te ô Israel, sed in me salus tua. Idemq; in hodierno inculcat Evangelio. Quid autem admirandum magis, quàm quod Deus summa majestas sic colluviem improborum in mundo dilexerit, ut dederit nobis filium unicum & dilectissimum. Quàm profunda & immensa est ô Deus pater misericordia tua & erga nos amor? Quàm ineffabile & immensum donum tuum in nos hostes tuos collatum? quo omnes salvari possent. Proh dolor autem quod pars magna mortalium damnetur, utpote quia non credunt in nomen Filij tui unigeniti, & stultè tenebris lucem postponunt.*

PERIO-

PERIOCHA ET DISPOSITIO METRICA.

Dilexit orbis incolas
Deus, deditq; filium,
Ut sit salus credentium,
Nec venit ut nos judicet.
Jam judicatus est homo
Quicunque Christum negligit,
Aliud nec est nomen datum
Quod sit salutis anchora.
In orbe lux apparuit
Insana cœcorum cohors
Lucem tenebris posthabet,
In luce justus ambulat.

TRES PRETIOSÆ MARGARITÆ EX HOC TEXTU.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. Quod æternus Pater Dominus & Deus nos diligat dilectione imperscrutabili & perfectissima. Testis est ipse Legatus à latere Dei, quod Deus Rex regum, Apoc. 19. figulus noster, Esa. 64. cœli creator & terræ omnipotens, Psal. 62. cui Angeli canunt Sanctus, sanctus, sanctus, Esa. 6. mundum lernam malorum, peccatores, quorum gressus iniqui, Gen. 6. Psal. 14. Job. 15. asinos ingratissimos, Esa. 1. sic dilexerit non juxta legem vel justitiam, juxta quam, cùm simile esset peccatum Satanæ & hominis, ceu August. loquitur, pœnam debitam reddidit damnato, ut se pœna indignum queri non possit, juxta cujus normam si procederet væ Manassi, Davidi, latroni, nec ullus unquam homo salvaretur; sed juxta Evangelium vel misericordiam, juxta quam gratiam suam indebitam declaravit liberato, sic ut se venia dignum gloriari non possit. August. Tractat. 110. in Johan. Oderat nos quales ipse non fecerat. Et quia

iniquitas noſtra opus ejus non omni ex parte conſumſerat, noverat ſimul in unoquoq; noſtrum & odiſſe quod feceramus, & amare quod fecerat. Sic videlicet ut daret mundi incolis non tantùm corpus & animam, Regna & Ducatus, victum & amictum de ſolo & ſalo copioſum; nec tantùm Angelos miniſtros, ſed Filium.

1. Non Monarchæ alicujus, nec noſtrum ſemen tantummodo, ſed Suum ab æterno genitum.

2. Unigenitum, ſplendorem gloriæ ſuæ unicum. Col. 1.

3. Sponte ſua à nullo coactus.

4. Cum hoc filio omnia. Rom. 8. v. 32.

5. Ut naturam noſtram aſſumeret, Immanuel.

6. Nec ut divitijs & potentia in mundo floreret; Sed ſummus factus eſt imus. Ditiſſimus factus eſt pauperrimus. Rex factus eſt Servus. Phil. 2. Honeſtiſſimus factus eſt ſpretiſſimus. Sanctiſſimus factus eſt anathema, & poſt varia convicia, flagella, vulnera, latronibus in cruce annumeratus.

Quid ad hoc dicent Angeli & homines quibus ſtorgæ inſunt, quod æternus Pater voluerit eſſe ſpectator tot cruciatuum filij ſui innocentiſſimi? & patienter audire tot ſuſpiria, tot graves querelas & triſtiſſimas lamentationes? & tantam ferre Judæorum impietatem? cum creaturæ tremuerint & Sol ad tres horas oculos ſuos clauſerit. Ne ſilentio præteream quod Deus dederit Filium.

1. Non ſui ſimilibus: quia nulla eſt collatio inter Deum & hominem, ſicut aliàs inter Cæſarem & mendicum, imò Regem & vermem.

2. Nec ſanctis & impollutis, quales ſunt Angeli, & homo fuit ante lapſum.

3. Nec potentibus & opulentis, ſed perpetuis abſq; hoc dono mendicis. Luc. 16.

4. Nec amicis, ſed hoſtibus peſſimè de Deo meritis: Romanor. 5. v. 8. quia, juxta Bernard. ut ſervum redimeret, filio non pepercit. O profunditas divitiarum!

1. Deus

Diligit { 1. Deus Filium & Mundum, cui dedit filium. Roman. 6. 8.
2. Filius nos, & semetipsum pro nobis dedit. Gal. 1.
3. Nos Deus propter filium, nec est voluntas ejus ut quis mortalium pereat.

Quis vel quid separabit nos â charitate Christi? Rom. 8. v. 35. qui gaudemus in Domino auxiliatore nostro: Psal. 13. quoniam nobis peccata non imputat. Psal. 33. 130. 143. Si nos Deum non dileximus, ille nos dilexit: si nos non invenimus auxilium; si nos legem implere non potuimus: si nos indigni sumus: si nos accusamur: si nos Mundus oderit; si nobis hic non est mansio certa: si moriendum est & putrescimus, omnia & singula nobis in Christo restitui credimus.

II. Quod Fide justificetur homo absq; operibus legis, Rom. 3. v. 28. Gratis, v. 24. id est, Dei gratiâ per redemtionem, factam per Christum Jesum, quem proposuit Deus ut esset placamen per fidem fuso sanguine suo. Quaesiverunt quidem omnes omni tempore Gentes viam salutis, sed Gentes idola colendo, Turcæ cum suo Alcorano, Judæi neglecto Christo, Papistæ in Sanctorum meritis & opere operato turpiter aberrarunt, & optatum diem filij hominis, Luc. 17. non viderunt; nec aquas vivas sitientes invenerunt. Ps. 42. Nobis autem apparuit gratia Dei, colligimusq; & credimus quod Sola fide justificemur, dum in Justificatione nostra duæ manus concurrunt; Altera Dei, qua distribuit, Verbum scil. & Sacramenta; Altera, qua nos accipimus, scil. Fides.

Dat Genitor, meruit Genitus, firmatq; salutem
Spiritus. Una Fides hanc capit, Acta probant.

Sic datur vita æterna credentibus: Joh. 17. Rom. 6. 1. Joh. 4. quia nos Deus dilexit & misit filium propitiatorium pro peccatis. Roman. 11. juxta electionem gratiæ. Si autem ex gratia, non ex operum merito. Sicut ex mera gratia ab æterno electi sumus: sic per eundem Dei amorem in tempore vocati sumus, 1. Tim. 1. vocatione

sancta, non juxta opera nostra sed juxta propositũ Dei atq; gratiam, quæ nobis data est in Christo Jesu. Sicut autem electio & vocatio; sic & justificatio ex fonte misericordiæ divinæ profluit.

Tres causæ sunt nostræ salutis: 1. Dei amor & misericordia, quà nostri misertus nos salvos facit, & impios justificat, Roman. 4. v. 5. Rom. 8. v. 33. Tit. 3. v. 5. mundum sibi concilians non imputando eis peccata. 2. Cor. 5. v. 19. Rom. 4. v. 7. χρηστότης καὶ φιλανθρωπία. *Tit. 3.* εὐδοκία τοῦ θελήματος αὐτοῦ. *Ephes. 1. v. 5. 9. Gratiosa Dei* προόρισις. *2. Tim. 1. v. 9.*

2. Dilectio & meritum Jesu Christi pro nobis oblati. Filius enim Dei pro nobis traditus est, Gal. 4. nec tantùm legem pro nobis implevit, sed in sancto corpore & anima tormenta pro transgressionibus nostris passus est, ut nos à maledicto legis liberaret, & Dominus gloriæ pro nobis crucifixus sanguine suo nos ablueret. Actor. 20. 1. Cor. 2. Ebr. 9. 1. Joh. 1. Nec extra Christum salus est, Act. 4. per cujus unius obedientiam justi constituuntur multi, Rom. 6. v. 19. in Christo habentes redemtionem & remissionem peccatorum per sanguinem ejus. Eph. 1. v. 7. Col. 1. v. 14. Sic imputata Christi justitia justificamur.

3. Fides & firma fiducia, qua nobis meritum & mortem Christi applicamus. Qui non confidit operibus, Rom. 4. sed illi qui peccatores justificat, ipsi imputatur fides ad justitiam; quia fides Christi promeritam justitiam recipit, Joh. 1. v. 12. apprehendit & sibi applicat. Deusq; apprehensam Christi justitiam fidei imputat, ut valeat coram Deo δικαιοσύνη πίστεως, *seu* ἐπὶ τῇ πίστει. *Fides in Christi sanguine. Rom. 3. v. 25. Fides Jesu Christi. Roman. 3. v. 26. Gal. 2. v. 16. Phil. 3. v. 9. Fides filij Dei. Gal. 2. v. 20.*

Hoc ergo salutis nostræ fundamentum est. Opera deinde sequantur justificatos, August. non ceu pars aliqua justificationis; Phil. 3. 1. Cor. 4. sed velut fidei justificantis fructus, qui nisi adsit de fide actũ est. Sicut enim de bona arbore judicamus non ex trunco, ramis aut foliis, sed ex fructu: sic ex bona conversatione elucet fides.

III. Quod

III. Quod arcano Dei decreto ab hac dilectione & merito Jesu Christi nemo excluſus ſit in Mundo. Optat Deus omnes homines ſalvari. Eſa. 45. v. 22. Matt. 11. 1. Tim. 2. Quicunq; crediderint, Marc. ult. ſine reſpectu perſonarum. Act. 10. v. 35. Ponitur ergo hoc loco univerſalis Omnis Mundus, cujus peccata, teſte Baptiſta Joh. 1. Chriſtus tulit & abſtulit. Et declaravit voluntatem ſuam propitius Deus: I. Addito juramento promiſſionibus. Ezech. 33. II. Donatione filij ſui. III. Illuminatione Spiritus ſancti, qui cum filio ex conſortio Trinitatis noſtræ ſalutis cauſſa miſſus eſt. Non itaq; apud Deum cauſa damnationis impiorum eſt, ſed penes ipſos incredulitas & averſio à Deo: Oſe. 13. Matth. 23. Johan. 5. quia non aliter quàm filij reprobi fideles monitus optimi patris contemnunt; vel ſi facultate videndi præditus ſpreto Solis lumine & clauſis oculis ſe det præcipitem. Atq; ſicut illi propria ſua culpa perierunt, qui ſerpentem æneum aſpicere dedignabantur: Num. 21. Sic illi divitias cæleſtes negligenter amittunt, nec præ pudore in die noviſſimo attollere faciem audebunt. Quid enim reſpondebunt diligenti Deo? quid ſatisfactori Chriſto? quid Spiritui ſancto hæc magnalia promulganti? quid Baptiſtæ & nobis? niſi quod ſe ipſos condemnabunt. Ah quanto cũ pudore & dolore ad tartara ruent, quod tam facilè ſalvari potuiſſent, modò oblatam gratiam recipere voluiſſent, & emere gratis, Eſa. 55. & pellere ſitim, Joh. 7. & ſaltare, Matth. 11. & congregari. Matth. 23.

Hîc notandum, quod Fides non ſit cujusvis, ſed Dei donum, 1. Cor. 12. detur autem ab eo per media, per orationem ex auditu in officina verbi, & pio uſu Sacramentorum. Roman. 10. 1. Theſſ. 3. Poſſunt homines etiam non renati aliquo modo audire verbum Dei: quia & Herodes Marc. 6. audivit atq; obſequium præſtitit Johanni in multis. Judæi ſcelerum cœno immerſi audiverunt Chriſtum, ſed porrigenti ipſis manum reluctantes fermentum non expurgarunt. Nec tu dicas: ſi vult me ſalvum Deus dabit etiam ocioſo fidem, ſed utere medijs, ora & dabit Deus incrementum.

II.
Fructus Fidei Triplex.

I. Ut reciprocè diligamus Deum, & debita amoris officia Christo declaremus, facientes quodcunq; ipsi gratum est, dicentesq; cum Davide Psal. 18. v. 1: Diligam te Jehovah fortitudo mea. Psal. 27: Jehovah lux mea & salus mea. Psal. 73: Domine ubi te habeo, nihil curo calum & terram. Si nos Satan accusat: sic peccasti. Si nos conscientia arrodit: sic vitam in sceleribus transegi; sic præcepta Decalogi transgressus sum, opponamus aureum hoc dictum: Sic Deus dilexit mundum, ne ad desperationem pertrahamur. Et tandem morti proximi ubi nos portæ inferorum infestant, paternum hunc Dei amorem, quo nihil dulcius, consideremus, atq; hoc dictum, quo multi in agone mortis armati feliciter militarunt, quibus annumeranda est Monica Augustini mater, quæ cum hoc dictum explicaretur alta voce proclamavit; Evolemus, evolemus in cælos, animitus recitemus: Sic Deus dilexit mundum, &c. Ut sic in lumine Dei videamus lumen: quia hoc dicto declaratur prima promissio, Gen. 3. v. 15. & explanantur omnes typi & figuræ veteris Testamenti, & depingitur Evangelica invisibilis Dei facies. Gen. 32. Num. 6. Psal. 27. Et comprehenditur denique nucleus atq; medulla totius Sacræ scripturæ.

II. Ut fugiamus peccatum, nec ambulemus in tenebris, & cum operatoribus iniquatis fugiamus lucem sicut ursi, vulpes, lupi & leones noctu prædam insectantes; siquidem oculus adulteri diligit crepusculum, Job. 24. & noctu per fenestras irrumpit, aitq; Syr. 23. v. 26: Tenebris circũseptus sum, parietibusq; occultus nec quisquam me videt. Sed oculi Domini vias mundi omnes inspiciunt, atq; abditos hominum sensus perlustrant. Adhæc nox præterijt, dies illuxit. Rom. 13. v. 12. Venit lux in mundum. Constat ex literis sacris Ebræos, cum in Ægypto vitam ducerent, Ægyptiorum idola coluisse; nec tamen Deus propter hoc scelus in ipsos animadvertit, quod ex ignorantia delinquerent. Sed postquam à Mose & Araone

rectiùs

rectiùs edocti, & tot signis educti essent accepta lege, gravissimas de delinquentibus pœnas Deus sumsit. Sic Exod. 32. cæduntur propter idololatriam vituli aurei 3000. Cum idolo Phegor immolarent cæsa sunt 25000. & cum in Ægyptum regredi statuerent. Num. 21. Ne ergo & nos magis vanitatem quàm veritatem, mortem quàm vitam, tenebras quàm lucem diligere, magisq; inter Diaboli mancipia quàm inter Dei filios numerari velle videamur; siquidem hactenus deliquimus, non oderimus correptionem. Prov. 15. Amara quidem est veritas & qui eam prædicant implentur amaritudine, Bernard. Sed multò est laudabiliùs, inquit Ambros. libenter accipere corrigentem, quàm audacter corrigere deviantem. Nec extenuemus delicta, magnitudinem iræ divinæ & imminentium pœnarum periculum, more illorum qui: 1. Tanquam lethargo correpti in peccatis dormiunt. 2. Peccatum extenuant. 3. Peccant in spe. Syr. 5. v. 4. 4. Pœnitentiam differunt. 5. Lapsorum exempla sibi accommodant. Sic Theodosius respondit Ambrosio: Quin & David peccavit. Sed ille: si imitatus es peccantem imitare quoq; dolentem. 6. Contumeliosè infernum pro vita eligunt, nec iram Dei, Psal. 2. nec infernum, Psal. 73. verentur. Sed qui non credit judicatus est, lata est super ipsum sententia; quia quæ non obsunt singula multa nocent, ubi acquirit sibi homo habitum peccandi, peccatorum cogit quasi thesaurum. Unica gutta parùm nocet, nec unica flamma, nec arenula; sed multa millia collecta ut sit flumen, rogus & mons integer possunt submergere, comburere, suffocare. Notum adhæc discrimen est inter mala corporis & animæ: Mala corporis quò leviora sunt minus curamus, gravioribus autem diligentiùs medicamẽta adhibemus. Contra verò si homo Christianus in peccata minora incidit acriter dolet, & ea diligentissimè à se propulsare studet: Impius autem quò graviora crimina committit, eò minus sentit, sed vel in rebus turpissimis exsultat, & peccator, Proverb. 18. cum venit in profundum contemnit.

III. Ut operemur veritatem, & perficiamur in opere bono

unus-

unusquisq; in suo statu, 1. Thes. 4. ne illa quæ nobis ad salutem data sunt, pervertamus, & in arma iniquitatis convertamus, ne dum nos Deus ad vitam revocare contendit, nos cæco ac furente impetu nobis mortem accersamus, & internus homo per affectuum perversitatem in spiritualem paralysin seu hemiplexiam incidat. Duo nobis maximè necessaria sunt: primum ut sciamus quomodo colenda sit justitia, quod multi norunt. Secundum ut eam ex animo colere velimus quod pauci faciunt, ajuntq́: video meliora proboq́ deteriora sequor. Et sic mali servi, Luc. 17. duplici pœna digni præceptorum divinorũ obedientiam maximè necessariam fastidiunt, interimq́ delictis suis, velut David vocando Uriam & eundẽ prodendo, velamentum obducere quærunt, sic factis magnis sumtibus Gehennam redimunt: Væ enim illis dicit Dominus, Esa. 29. v. 15. qui profundi sunt, ut à Jehova abscondant consilium, & sunt in tenebris opera eorum, & dixerunt: quis videt nos, & quinam cognoscunt nos? Ut si lutum dicat figulo, & olla dicat fictori, vel factori suo: Non fabricavit me. Psal. 94. v. 7. 8. 9. Longè melius est hîc manifestari delicta, ubi locus est pœnitentiæ, quàm in novissimo die apertis jam libris confundi. Nec tantùm vocabulum Gratis *adverbialiter, sed & nominaliter nobis attendendum est: quia Deus nobis gratis adverbialiter dat vitam æternam; sed tamen gratis ut feramus fructus justitiæ, Phil. 3. & bene operemur in Deo. Sic ut illi fructus justificatum fide certò sequantur, non ut causæ sed effectus justificationis.*

III.

Triumphus Fidei Triplex.

I. Quod, (cum impij demergantur in mortem secundam, in ignem inextinguibilem, Esa. 60. in tenebras extremas, Matth. 22. in lacum sulphureum, Apoc. 19. aquis carentem, Zach. 9. Psal. 49. Esa. 30. Sap. 5. ubi mors erit sine morte, & ignis sine combustione, Euseb. lib. 13. de præparat. Evangel. κλεπτ', ἀποστέρει, κύκα, μηδὲν πλανη-

πλανηθῆς, ἐστὶ γὰρ ἐν ᾅδου κρίσις. *Furare, defrauda, misce, ne erres, erit enim in inferno judicium. Et Tartarus dicitur* ἀπὸ τοῦ ταρταρίζειν, *hoc est, frigore cohorrescere. vel* ἀπὸ τοῦ ταράσσειν, *i. e. perturbare; quia in inferno omnia erunt confusa.) nos propter Jesum Christum inventi sicut Ovis & Drachma, Luc. 15. per fidem gavisuri simus gaudio perenni in fasciculo viventium, in manu DEI, in sinu Abrahæ, & habituri vitam æternam. Erit autem vita æterna conspectus DEI, quo Ecclesia resuscitata ex morte, & prorsus ab omni peccato liberata coràm intuebitur essentiam & voluntatem totius divinitatis, æterni Patris & Filij, & Spiritus Sancti, & nova ac perpetua luce, sapientia, justitia, vita & lætitia æterna à Deo, qui erit omnia in omnibus, complebitur, & vicissim Deum celebrabit. Conijciamus ergo oculos primò in Gehennam, quasi videamus & audiamus tormenta, stridorem dentium, ploratus qui nobis ibidem cum Epulone, Luc. 16. & fratribus ejus fuissent sustinendi. Deinde attollamus oculos in cœlos & ponderemus gaudium, quod Abrahamo & Lazaro nobisq; omnibus per fidem propter Christum contingit, nec oculus vidit. 1. Cor. 2. Sic hic Triumphus verè triumphus erit, docens quanto à malo liberati simus.*

II. Quod non veniemus in judicium, neq; Satan, nec peccata nostra, nec infernus nos ultro citroq; accusabunt. Anshelm. Siquidem Christus semetipsum pro nobis dedit, Eph. 5. & sanguine suo chirographum debitorum nostrorum delevit. Col. 2. Hinc obtinemus coronam honoris & Cimelium vitæ æternæ, & verum infinitæ Pentecostos gaudiũ in cœlis, quod peccato contritus & metu mortis anxius Nicodemus in Principatu suo super populum, in honore, sapientia & authoritate, reditibus annuis, voluptatibus, sanguine & titulo non invenit. Nec Pentecostes annuæ carnale gaudium inter mortales firmum aut constans est; quoniam avem ligneam erigere, argenteam columbam pro brabeo exponere, ad illam sagittis collimare, & emissis globis certare plus scandali, quàm gaudij

habet. Convivia antipentecostes celebrare, serta de frondibus arborum & herbis gestare, homines, ut hæc convivia frequentent, compellere nil facit ad gloriam Dei, nec ad animarum salutem; sed gaudium hoc est spurcum & evanidum, multiq; per ebrietatem jacturam faciunt pudoris & salutis. Et si ita bibatur in infinitum, quid tandem? certè verum gaudium non reperitur in tabernis, potationibus aut choreis. Si aspexerimus nos ipsos biverbium γνῶθι σαυτὸν lachrymas extorquebit. Ubi ponderamus errata nostra vix lætabimur. Considerata miseria nostra, cui sola mors colophonem addit, Syr. 40. quod ingemiscamus sat est. Si quis opulentus, citò amittuntur opes: si quis incolumis, facilè in morbum incidit: si quis gaudet de uxore & liberis, lubrica est tessera fati. Ut autem vero potiamur gaudio Christus adeundus est, qui nos, ut cum Bernardo loquar, intensivè, extensivè & durativè diligit, & ipse natura nobilissimus nobilitatem, quam viriliter pugnando pro nobis meruit, nobis largitur, Luc. 19. quæ gloria longè major est, quàm si quis sit filius vel filia Cæsaris, possitq; generis ortum deducere à centum proavis nobilibus: quoniam, 1. Vocamur Dei filij, Joh. 1. 1. Joh. 3. & fratres Christi, Joh. 20. 2. Aurea nostra catena est Verbum Dei auro præstantius. Psal. 119. Sap. 16. Joh. 8. Rom. 1. 3. Aureus noster annulus gemmâ decorus est fides, quæ in se comprehendit lapidem angularem pretiosum Jesum Christum. Psal. 17. 22. 110. 118. Es. 8. 28. 1. Pet. 2. 4. Nostrum aureum vellus est meritum Jesu Christi, qui nostra æsypa tollit. 5. Ubi potentiores supra pectus gestant agnum de auro, nos gerimus Agnum Dei, Esa. 53. Exod. 12. Joh. 1. in cordis profundo: illi leonum imagines, nos Leonem de tribu Juda: illi nummos majusculos, nos ipsi sumus nummus sub scamno inventus, & ex frivolis quisquilijs protractus. 6. Nostra corona est Dei misericordia, Psal. 103. Corona justitiæ, 2. Tim. 4. honoris & gloriæ, 1. Pet. 5. Corona vitæ. Apoc. 2. 7. Ubi magnates componunt suas rationes, nos agnoscimus debitum decem talentorum. Matth. 18. Job. 9. 8. Ubi illi colligunt thesauros & fovent somnia

somnia vana sinu, nos colligimus thesauros quos neq; erosio corrumpit, nec fures perfodiunt. Matth. 6. 9. Ubi ipsorum thesaurus ingazophilatio est, noster thesaurus in cœlis est Jesus Christus. Matth. 8. Luc. 18. Col. 3. 10. Ubi illi celebrant splendida convivia, & vescuntur ferculis lautioribus, nos lætamur in Domino convivæ in Zion. Esa. 25. 55. Psal. 23. 34. 68. Johan. 6. 11. Ubi illi dormiunt in eburneis lectis, Amos. 6. & extendunt se instratis suis, comeduntq; agnos pingues de grege, & vitulos de medio saginarij, & bibunt in phialis vinum, & electis unguentis ungunt sese, nec dolent ob contritionem Josephi; nos Christi sumus convivæ in cœna magna Agni, Luc. 14. Apoc. 19. in regijs nuptijs. Matth. 22. 12. Ubi illi manè surgunt & inebriantur in convivijs, Esa. 5. & vino æstuant, nec opus Jehovæ respiciunt, & citharis & tibijs, & tympano delectãtur; nos non inebriamur vino in quo luxus est, Eph. 5. sed implemur spiritu, loquentes inter nos mutuò per psalmos & hymnos, & cantiones spirituales, canentes & psallentes in cordibus nostris, Col. 3. & ad tibiam Domini, dolendo & credendo saltantes. Matth. 11. 17. 13. Ubi illi stipantur satellitibus nostri ministri sunt Angeli Domini. Psal. 34. 91. Ebr. 1. Murus igneus. Zachar. 2. 14. Nostra insignia & clypeus crux est sanguine tincta in candido vel albo, hoc est, in bona conscientia. 15. Nostra arma sunt vera fides clypeus, firmumq; oratio telum, Eph. 6. & gladius verbum cætera Christus agit. 16. Nostrum propugnaculum & munita arx est nomen Domini, Prov. 18. quo se conferet justus & exaltabitur. 17. Prædium nostrum & mansio hæreditaria in cœlis est, Joh. 14. Phil. 3. ubi Christo similes erimus. 18. Ubi potentiores ratione officij sui in judicio flagitiosos & sceleratos ad supplicium condemnant; Nos verè liberi per Christum non venimus in judicium, sed merito Christi pertransimus in vitam.

III. Quod perveniemus ad lucem æternam inaccessam, 1. Timoth. 6. in qua Deus habitat, orieturq; nobis Sol justitiæ, Mal. 4. & fulgebimus in luce beata, cum Angelis, Psal. 104. Matth. 17. 22.

velut Sol, Luna & stellæ. Dan. 12. 1. Cor. 15. Si enim facies Mosis in prima Pentecoste reluxit, Exod. 34. v. 14. cum Deum nondum exuta carne & deposita imbecillitate in Sinai videret; magis splendebit nostra anima & caro nostra, cum depositis sordibus repurgata Deum videbit à facie ad faciem. Quod si mortis ministerium literis informatum in Sapphiro, teste Lyra, fuit glorioſum, 2. Cor. 3. adeò ut non possent intueri filij Israël in faciem Mosis, propter gloriam vultus ejus, quæ abolenda erat, & cogebatur imponere velamen faciei suæ: Quomodo non potius ministerium Spiritus erit glorioſum? 2. Cor. 3. v. 7. 8.

Feria III. Pentecostes.

DE VERO OSTIO ET OSTIARIO ECCLESIÆ.

Evangelium Joh. 10. à v. 1. usq; ad v. 12.

PRÆFATIO SUPPLEX.

CUM Spiritus Sanctus sit Ostiarius cælestis, sine cujus numine nemo potest Jesum dicere Dominum, multò minus ipsum agnoscere & in ipsum credere, minimè verò per ipsum salvari; Oremus Deum, ut effuso super nos Spiritu Sancto aperiatur nobis janua Fidei & Salutis, & hoc magistro inveniamus Archipastorem animarum nostrarum, per eum intromittamur ad thronum gratiæ, ut adipiscamur vitam; nec quid desit nobis in æternum. Pater noster, &c.

Exordium Propheticum.

PSal. 23. v. 1. & 2. prædictum est, quod Dominus sit Pastor noster ducens nos ad viridaria & aquas viventes per semitas justitiæ.

stitiæ, propter nomen suum, idemq; tractatur in hoc Evangelio; dum Christus probat se esse Ostium, Spiritum Sanctum esse Ostiarium, qui aperiat ovile Ecclesiæ & nos intromittat.

PERIOCHA ET DISPOSITIO METRICA.

AMen nisi per ostium
Ovile si quis occupet,
Fur est latroq; pessimus
Oves nec hunc piæ audiunt.
Cæcum sacerdotum chorum
Perstrinxit hoc proverbio
Christus, nec ipsi intelligunt,
Subjungit ergo canonem
Se jurat esse januam
Et Spiritum ostiarium,
Intrantibus piè datur
Vitæ ac salutis copia.

TRIPLEX VIATICUM AD VITAM ÆTERNAM.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. Quod sit una Ecclesia, Sancta, Catholica, ratione doctrinæ, fidei & temporis per totum orbem, sicut Unus est Deus, Una Fides & Unum Baptisma; nec alligata ad certum locum vel personas, sed passim dispersa, ubicunq; quis credit in Jesum Christum. Cumq; varia creaverit Deus animalia etiam fortissima Leones, Ursos, Tauros; auditores tamen suos & Ecclesiæ membra comparat Ovibus timidis, morbidis, inermibus, sicut & Matth. 23. teneris pullis sub alis gallinæ fovendis: quia Ecclesia gubernatur & defenditur sine præsidijs humanis, ejusq; murus igneus Christus est, Zach. 2. Esa. 5.

& ipse dominatur in medio hostium; Psal. 110. v. 2. ne metuat grex parvus, Luc. 12. v. 32. populus pauper. Zoph. 3.

Nota ovilis Christi Triplex:
1. *Vox Archipastoris pura, Verbum Dei à Christo revelatum. Matth. 11.*
2. *Legitimus usus Sacramentorum Baptismi & Cœnæ Dominicæ.*
3. *Obedientia erga ministerium & ministros. Ebr. 13. v. 17.*

II. *Quod Janua spiritualis Ovilis sit Christus, non sancti præmissi, nec opera nostra. Esa. 64. Luc. 18. Per solum Jesum, per unicum hoc ostium intrandum est: quia ipse propiciator & mediator est à Deo constitutus, applicans & donans nobis meritum suum per Verbum & Sacramenta, Joh. 1. Eph. 1. Tit. 3. nosq; resuscitaturus. Joh. 6. Hinc Thomæ quærenti viam ad Patrem respondit Joh. 14: Ego sum via, eamq; non solùm monstro, sed sanguinis mei merito aperio. Ego sum veritas, ergo audiendus. Matth. 3. 17. Ego sum vita, nemo venit ad Patrem nisi per me.*

Christus est Janua seu Ostium:
1. *Ovilis vel Ecclesiæ; quia per ipsum adoptamur, & Janua Baptismi dat Semina Christianismi. Johan. 1. Rom. 8.*
2. *Ad gratiam Dei semper patens, Rom. 3. Ebr. 5. per quam etiam preces nostræ intromittuntur.*
3. *In Regnum Cœlorum, per quam animæ nostræ sedibus beatis inferuntur. Luc. 16. & 23. Estq; hæc porta Gennath, porta vitæ angusta, Matth. 7. v. 14. & pauci sunt qui eam inveniunt.*

III. *Quod Spiritus Sanctus sit Ostiarius, & nemo nisi per eum intromittatur, ille habet clavem cœlorum, quæ, teste Clemente, Fides est, & Verbum Dei, Joh. 16. quo apertum est Cor Lydiæ. Act. 16. v. 14. Ubi ergo Spiritus S. est, ibi Fides: ubi fides, ibi applicatio meritorum Christi, & vitæ integritas. Per ostiarium hunc introducimur in Ecclesiam, intromittuntur quoq; preces nostræ, ne repulsam*

pulsam patiantur apud Deum, & potiuntur salute aterna animæ nostræ. Atq; ipse aperit mediatè, dum vigilantes & fideles excitat Verbi divini ministros, insignioribus docendi donis instructos, quorum ipse aperit os & intellectum, dirigitq; linguam & labia, ut possint ὀρθοτομεῖν, docere cum magno fructu; aperit simul auditorum aures, ut verbum cum pœnitentia recipiant. Prov. 20. Sic Actor. 14. v. 17. ostium Fidei apertum est Gentibus per Paulum & Barnabam. Et gratulatur sibi Paulus de magno ostio aperto apud Ephesios, & in Troade. 2. Cor. 2. v. 12. Vultq; preces fieri, Colos. 4. v. 3. ut Deus aperiat ostium sermonis sui.

Cumq; Tria insignia Spiritui Sancto in Articulo Symboli Apostolici tertio attribuantur beneficia: Collectio scilicet Ecclesiæ, Remissio peccatorum; siquidem ipse author est pœnitentiæ, Psal. 51. & Arrhabo hæreditatis nostræ. 1. Cor. 5. 2. Cor. 1. Eph. 1. Et Mortuorum excitatio; quia recolliget cineres nostros & inspirabit ignes vitæ. Ezech. 37. Rom. 8. v. 11. Credendum certè & cum pia admiratione ponderandum est, quod, cum sit agens liberrimum, ex hara Satanæ & carcere æternæ mortis per totum orbem congreget ovile Christi, & ostiarius mirabiliter per admirandas occasiones aperiat januam Ecclesiæ: Quia vel insignes excitavit Prophetas & Apostolos, vel Reges convertit & Principes, vel egit per Laicos spretæ sortis homines. Exempla recitari possunt h. l. ex veteri Testamento, quod Josephus, divenditus à fratribus in Ægypto præses & præsul, doctrinam de Messia promulgaverit. Quod Naaman leprosus in Syria consilio captivæ puellæ Elisæum quæsiverit, & sic salutaris doctrina in patriam ejus translata sit. Sicut & per captivitatem Babylonicam opera trium virorum & Danielis conversi Nebuchod. atq; Darius verum Deum confessi & professi sunt. Sic in Novo Testamento ipsi Apostoli mirabiliter ablegati sunt. Et jam occiso Stephano per Philippum, Johannem & Petrum, Actor. 8. ostium Ecclesiæ apertum est in Samaria, quod paucissimi sperassent. Paulus, Act. 9. ex persecutore in doctorem conversus est. Legatur

Sozo-

Sozomen. lib. 2. cap. 24. de Ædelio & Frumentio in India, lib. 2. cap. 6. de Bacurio Iberiorum Rege & captiva muliercula. Nota est historia Marci Antonini, & Clodovei Regis Francorum, cui fuit Regina Christiana Chrotyldis; nec non Lutheri de Monacho in reformatorem religionis mirabili metamorphosi mutati. Sic Spiritus Sanctus ostium aperit Ecclesiæ, & linguam dirigit intus docens, qui cathedram habet in cœlis, August. ne desit incrementum. 1. Cor. 3. v. 6. Quare & ipsius auxilium in singulis exordijs imploramus: Deut. 32. Eph. 1. quia omnia operatur unus atq; idem Spiritus, dividens singulis prout vult, 1. Cor. 7. & docens in ipsa hora quid dicendum sit, Luc. 12. Gregor. Homilia penultima: In linguis igneis Spiritus sanctus apparuit; quia omnes quos replevit ardentes pariter & loquentes facit. Linguas igneas doctores habent; quia Deum prædicando & amando corda audientium inflammant. Spiritus sanctus animam nostram ad bonum semper instigat. Rom. 8. intellectum illuminat, voluntatem accendit, & vires largitur, ut carnis illecebris superiores esse queamus; nec in desperationis pelagum præcipites ruamus.

Collectis Ecclesiæ membris beneficia Tria maxima exhibet Spiritus Sanctus:

1. Regenerationem, Matth. 28. Johan. 3. Tit. 3. ut vitam & vigorem habeant, mutenturq; in alios viros: 1. Samuel. 10. v. 6. quia Spiritus sanctus lapsæ naturæ morbum sanat, algentem hominis voluntatem igne suo incendit, torpentem excitat, jacentem erigit, & in legis divinæ studium inflammat, ut Spiritui sancto donati, majori deinceps ardore & contentione cœlestia quærant & invisibilia, quàm hactenus terrena. Et sicut sensus eorum erat, Baruch. 4. ut errarent à Deo; sic conversi decies magis quærant eum, quod testatur historia Sauli mutati in Paulum. Actor. 9. & 23. Sic David lachrymis rigavit lectum suum, Psal. 6. & Maria Magdalena majori studio peccata flevit, quàm commi-

commisit. Et mirandæ hujus mutationis, vel in novam creaturam regenerationis, insigne exemplum præbet Apostolus Petrus, qui cum in passione Domini ad unius inermis puellæ vocem trepidans Dominum Jesum abnegasset, eundem Actor. 4. coram senatu Judæorum animosis inviolabilis Fidei verbis, nova fortitudine & insuperabili constantia confessus est. 2. Inhabitationem. Joh. 14. 1. Cor. 3. & 6. Psal. 145. 3. Renovationem, Ezech. 36. donando cor novum: Psal. 51. quia, teste Basilio in Hom. de Fide. per ipsum debiles fiunt fortes, pauperes ditescunt, idiotæ sapientibus eloquentiores evadunt. Renovat cor humanum ut delectetur in lege Domini, Psal. 1. & inchoet normam obedientiæ novæ, pias suggerit meditationes, infunditq; pietatem, fidem & sapientiam vitandi peccati. Gal. 5. Gubernat linguam, ut Deum honoret, celebret, invocet, veritatem loquatur & de proximo omnia in meliorem partem interpretetur. Eph. 4. Col. 4. Dirigit gestus & oculos, ut avertantur à vanitate, piè cælum aspiciant, Biblia inspiciant; nec despiciant egenos. Aures aperit, ut Deo, parentibus, præceptoribus & magistratui morem gerant; nec delectentur auditu rerum turpium, sed verbo Dei & gemitu pauperum. Manus gubernat, ut faciant labores vocationis, non ulli noceant, sed ad opera dilectionis se extendant, armaq; pro aris & focis capessent. Pedes movet, ut cum Simeone, Luc. 2. templum frequentent; nec currant cum furibus. Psal. 1. & 50. Totum denique hominem renovat Spiritus Sanctus in dictis & factis, & Consiliarius noster mente præsaga nos de instantibus monet, donatq; solatium & consilium. Si quis itaq; de locupletissimis miretur Dei donis, rogetq; unde Josepho & Susannæ tanta castitas? unde Jobi & Tobiæ tanta patientia? Jonathæ & Davidi tanta fortitudo? Petro & Martyribus tanta constantia? Respondetur omnia illa & singula dona esse Spiritus Sancti; quia ipse sanctum agens velut ignis sibi assimilat patiens, confert pietatem & patientiam, multisq; beatum ex hac vita abitum.

II.
Fructus Fidei Triplex.

I. Ut pastores, (quorum est ingredi per ostium, nec currere nisi vocentur quod in fures cadit & latrones, sed dirigente rem Spiritu sancto præmittere legitimam vocationem & arduam orationem cum manuũ impositione, sicut nec Episcopi quem minus idoneũ ovibus Christi obtrudent, aut personarum habebunt respectum præferentes Davidi Eliabum. 1. Sam. 16. v. 6. & 7.) vigilantes in officio pascant oves Christi. Joh. 21. Act. 20. 1. Pet. 5. Nec, quoniam hoc ulcerato seculo sævit maximè Satan, & irruunt lupi quam plurimi, infideliter tractent opus Domini, sed Tria præstent:

Primò *oves introducant & educant, hoc est, proponant purè & simpliciter doctrinam de misericordia Dei & merito Jesu Christi, ad Christum unicum mediatorem & thronum gratiæ oves perducant, ut sic videant faciem Dei, Joh. 3. & salventur per fidem. Simul educant & imbuant eos doctrinâ de dilectione proximi, & pia inter homines conversatione. Sic Joh. Baptista introduxit monstrando Agnum Dei & ablegando discipulos ad Christum; Eduxit autem postulando fructum pœnitentiæ. Sic Apostoli suos auditores & epistolarum lectores docuerunt fidem & dilectionem. 1. Pet. 1. & 2. 1. Joh. 2. 3. 4. Sic servus per fidem intromissus, Matth. 18. exivit ut probaret conservo dilectionem. Et observanda nobis est misericordia duplex; Passiva sc. & Activa, altera manu capiamus, altera distribuamus.*

Secundò *præeant non tantùm sanâ doctrina, sed bono, quod maximè in oculos incurrit, exemplo, ut quod alios docent ipsi faciant. Rom. 2. Nec vita destruat, quod per doctrinam ædificatum est; dum instar campanæ vel cotis alijs prosint ipsi reprobi. 1. Corinth. 9. v. 27.*

Tertiò *hoc tam assiduè & studiosè præstandum est, ut possint nominatim vocare oves suas, hoc est, quemlibet in suo statu & pro*

suæ

sua conditione admonere, quidnam agendum & quid omittendum sit: Quoniam omnium non est eadem natura, robur vel infirmitas. Sic oves morbida segregantur, ægra melius curantur, contumaces ligantur. Sic alius cibus convenit infanti, ægroto & fossori, quod novit sedula mater. Sic dissimiles libri traduntur puero, juveni & viro, quod novit sapiens præceptor. Et alia medicina applicatur vulnerato, febricitanti, leproso, quod prudens medicus observabit: nec temerè aget & promiscuè. Alio gladio utetur puer, vir & Gigas; nec apta fuit Davidi Saulis armatura. Omnes homines non sunt ejusdem ordinis & conditionis, quidam sunt magistratus, domini, quidam subditi, servi, docti, indocti, securi, pusillanimes, &c. hic discretione opus est, ut bonus pastor rudes informet, securos excitet, protervos corripiat, mastos consoletur, Ezech. 34. v. 4. 16. ut ad præsens auditorium vertatur oratio.

II. Ut oviculæ in Ecclesia attentè audiant, rectè agnoscant & devotè observent vocem Archipastoris: & cum Christus non voluerit semper visibilis docere, audiant ministros ejus legitimè missos, Matth. 10. v. 40. 2. Cor. 5. atq; spiritu armatos. Sic esuriant justitiam, Matth. 5. & quæritent regnum Dei; Matth. 6. nec tantùm domi legant, sed etiam quicunq; doctissimi, tum ut bono exemplo alijs præluceant, tum quia viva vox magis docet, templum frequentent. Nec capiantur tædio sani dogmatis, sed gratias agant Deo pro fidelibus verbi ministris, Ephes. 4. Ebr. 13. quos ipse nobis promisit. Esa. 30. v. 20. & 21. Gratam quoq; benevolentiam pastoribus declarent, viæ monstratoribus, & de lacu inferni nos revocantibus: Siquidem grati & memores id agnoscimus, si quis aberrantes in viam reducat, de periculo nos consilio & auxilio liberet, vel ab undis protrahat.

Porrò piæ oviculæ sequantur pastorem: primò quidem omnes Dominum Jesum, Eph. 5. v. 1. qui nobis exemplum dedit, Joh. 13. v. 15. & præscriptum nobis reliquit, 1. Pet. 2. v. 21. ut sequamur vestigia ejus in vitæ puritate, Joh. 8. in longanimitate & patientia,

Matth. 11. & in morte. Joh. 21. Sic sequamur Agnum, Apoc. 14. nec simus auditores vacui, Jacob. 1. inde & dignos verbi divini præcones, Ebr. 13. v. 7. Ebr. 6. v. 12. qui per fidem ac patientiam obtinent promissam hæreditatem. Suum exemplum nobis ob oculos ponit D. Paulus 1. Cor. 11. v. 1. Phil. 3. v. 17. Estote imitatores mei fratres, & considerate Eos, *qui ita incedunt sicut habetis nos pro exemplari.*

Tandem pia ovicula fugiant Satanæ ministros, pseudodoctores, fures & latrones, odio habeant mendaces, Psal. 139. Exeant ab eis. Apoc. 18. Sic fugit Johannes Cerinthum è balneo, Polycarpus Marcionem Satanæ primogenitum. Histor. Tripart. lib. 3. cap. 16. Deus enim non patitur ut colludamus cum hostibus crucis Christi, Phil. 3. sed fugiamus eos velut angues & leones; præsertim cum fugiamus dysenteriam, pestem, & alia contagia morbos tantùm & mortem corporis secum trahentia. Judicare autem & fugere hæreticos in genere mandatum est tam auditoribus, quàm doctoribus, Mat. 7. ut probent Spiritus, 1. Joan. 4. & quod bonum est retineant. 1. Thess. 5. Cumq; non omnes legere possint Biblia, & volumina magna scrutari, Johan. 5. ediscant Biblia parva Catechismi, atq; ad hunc lapidem lydium examinent doctrinam, quod fortè brevi summum erit refugium, si Deus propter contemtum verbi sui, jam elapsis centum à repurgata doctrina annis, nos tenebris involvi patiatur.

III. Ut ingressuri januam angustam, Matth. 7. dent soli Deo gloriam; Nec sint tumidi aut superbi: quia janua humilis est, ne cristæ erectæ allidant. Nec sint cupiditatibus & peccatis onusti, ne trabs scelerum in oculis perversa hærens introitum prohibeat. Nec avari sint & pinguia abdomina, crassa Satanæ & Mammonæ mancipia. Matth. 6.

Spiritus sanctus ostiarius est: 1. Justissimus nullos intromittens nisi pœnitentes, signatos & obsignatos sanguine Christi, Ezech. 9. Apoc. 7. Christi oves. Reliqua animalia sordida, leones feros,

lupos

lupos rapaces, asinos rudes, porcos lutosos, canes ad vomitum redeuntes, vulpes subdolas, hircos impuros omninò excludit, camelos quoq;, quod tamen, Luc. 18. v. 25. rectiùs de fune nautico intelligitur. Lege Apoc. 21. v. 27. Non intrabit quicquam quod inquinat aut abominandum quippiam patrat, vel mendacium loquitur; sed qui scripti sunt in libro vitæ Agni. Apoc. 22. v. 15. Foris erunt canes & venefici scortatores & homicidæ, &c.

2. Sapientissimus, cui non obtruditur fucus. Nec quis per simoniam vel dolum malum admittetur: quia Deus omniscius novit hypocritas, Psal. 139. lupos pelle ovina vestitos, Matth. 7. Satanamq;, si transformetur in Angelum lucis. 2. Cor. 11. v. 14.

3. Omnipotens, cui nemo resistet. Nemo ergo qualis quantus sit vi violentæ virium suarum aditum arripiet; nec ullibi intromittetur nisi per januam à Deo constitutam, quæ est Jesus Christus. Solis Christianis fidem habentibus in Christum Spiritus sanctus aperit, sed Icarus Icarijs mergitur undis. Hic quidem Reges & potentiores plerique quæ juvant agunt, & quò lubet penetrant; sed ibi judicio Dei subjcientur, & anima emigrans pro dignitate comitatum habebit, murmurent quantum velint.

III.

Finis & Trophæum Fidei Triplex.

I. Quod omnes, qui per Christum ingredimur, salvabimur & beati erimus, idq; Summum Bonum est, quod in omni verbo quærimus, quamvis, Luc. 13. v. 23. proh dolor pauci sunt, qui servantur, quod non contendant intrare per angustam portam. Cum noctes atq; dies pateat atri janua ditis, Matth. 7. v. 13. lataq; sit porta & via spatiosa, quæ abducit in exitium, per quam multi introeunt. Aperit enim Diabolus portas, januas & fenestras omnes, mille monstrat vias, methodos & ostia, ut impleatur infernus; nec quem abigit, omnes benevenerunt, currentes, claudicantes repentesq;, & quodlibet peccatum janua est ad infernum vergens. Gal. 5. v. 19.

20. & 21. *Et quicunq; peccati mole gravatus ad Gehennam pedes flectit. Et Satan recipit improbos, superbos, perjuros, homicidas, usurarios, crassissimosq; camelos. Nos autem retinendo fidem & bonam conscientiam in Beatorum numero salvati cœlesti fruemur hospitio.*

II. *Quod egrediemur & ingrediemur, nempe domestici Dei, Psal. 23. quorum ipse custodit exitum & introitum. Psal. 121. Et inveniemus pascua, non quidem cibum & potum, Ambros. sed infiniti gaudij participationem: quia, teste Gregorio, pascua Electorum sunt præsens vultus Dei, qui dum sine defectu conspicitur, sine fine mens vitæ cibo satiatur. Nec portæ claudentur interdiu: nox enim ibi non erit. Apoc. 21. v. 25. Esa. 60. v. 12. Impij è contra excluſi, Apoc. 22. perpetua fame & siti, Luc. 17. torquebuntur.*

III. *Quod in æterno seculo vitam habebimus & abundantiam ex Jesu Christo, Joh. 1. nec quid nobis deerit: Psal. 23. exquisitissimæ enim erunt convivij cœlestis deliciæ, Esa. 25. clara divinitatis & sacræ humanitatis cognitio, qua Beati omnes cum ineffabili suavitate reficientur. Gregorius hunc locum explanans sic scripsit: Ingredientur ad fidem, egredientur autem à fide ad speciem; pascua autem invenient in æterna refectione: Quia quisquis Christum corde simplici sequitur æterno viriditatis pabulo nutritur, & percipit interna gaudia semper virentis Paradisi. In istis pascuis de æternitatis satietate lætantur, qui jam laqueos mundi evaserunt, ibi hymnidici Angelorum chori: ibi societas superiorum civium. Ibi dulcis solennitas à peregrinationis hujus tristi labore redeuntium: ibi providus Prophetarum cœtus: ibi judex Apostolorum numerus: Ibi innumerabiliũ Martyrũ victor exercitus, tantò illic lætior, quãtò hic durior afflictus: ibi fideles viri: ibi sanctæ mulieres. Quæramus ergo fratres charissimi hæc pascua, in quibus cum tantorum civium solemnitate gaudeamus. Ipsa nos lætantium festivitas invitet. Nulla nos prosperitas blandiens seducat: quia stultus viator est, qui in itinere amœna prata conspiciens obliviscitur ire quò tendebat. Ibi*

satura-

saturabimur excitati quod hic non contingit: siquidem, Eccles. 1. v. 8. non satiatur oculus videndo, nec expletur auris audiendo, quanto enim plura videmus & audimus, tantò plura videre & audire desideramus. Hic venter impiorum est insatiabilis. Prov. 13. v. 25. Hic oculi hominum non saturantur, Prov. 27. v. 20. velut nec sepulchrum, nec perditio. Et avari oculus, Syr. 14. v. 9. nulla expletur portione. Hic Tria sunt quæ non satiantur, Prov. 30. v. 16. imò quatuor sunt, quæ non dicunt sufficit: Sepulchrum & sterilis vulva, & terra quæ non est satiata aquis, & ignis qui non dicit sufficit. Piè ergo Anshelmus monet: Ama unum bonum, in quo sunt omnia bona. Desidera simplex bonum, quod est omne bonum & satis est: Quid enim amas caro mea? quid desideras anima mea? Ibi est, ibi est quicquid amatis, quicquid desideratis.

Dominica Trinitatis.

DE COLLOQUIO CHRISTI CUM NICODEMO.

Evangelium Joh. 3. à v. 1. usq; ad 17.

PRÆFATIO SUPPLEX.

IN nomine Jesu Christi, qui explicatis præstantioribus fidei Christianæ articulis monstravit Nicodemo veram viam in vitam æternam, invocabimus Deum Patrem, ut super nos emittat Spiritum Sanctum, qui, cum Christus ipse non amplius doceat præsens visibilis, per œconomos eandem doctrinam maximè necessariam feliciter & utiliter vobis inculcet, & explicet, pro promovenda gloria Dei & animarum nostrarum salute. Pater noster, &c.

EXOR-

Exordium Propheticum.

Psal. 25. v. 12: Quis est vir timens Jehovam? docebit eum viam quam eligat. Hoc Christus in hoc textu demonstratum reddidit; quandoquidem Nicodemum instituit de via in vitam æternam, explicando summam brevem Christianæ religionis de nostra Regeneratione & Justificatione. Nec locutus est cum ipso per proverbia. Joh. 16. Et nos, hanc viam si docente Jehova cognoverimus, felicissimi in hoc orbe vitæ curriculum absolvemus.

PERIOCHA ET DISPOSITIO METRICA.

ROgatur in Cælos iter,
Amen; Salutis avidum
Renasci oportet, nec Dei
Aliàs videbit gloriam.
Quæris modum? Renascitur
Homo per undam & Spiritum.
Ventum sonus secum trahit,
Homo nec hoc intelligit.
Τὸ πῶς fuge, ex altissimis
Ad ima Christus transiens
Affixus est palo crucis,
Salvamur hinc nos per fidem.

TRIPLEX LUMEN SPIRITUALE EX HOC TEXTU.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. Quod verè sit aliquis Deus in vita æterna se nobis à facie ad faciem patefacturus, cujus adeundi causa Nicodemus adeò fuit sollicitus. Idq; etiam Gentibus notum esse potuit ex libro naturæ.

1. Ex

Triplex Testimonium quod sit Deus

1. *Ex creatione cæli & terræ, & animantium in terra atq; mari. Lege Job. 12. v. 7. 8. 9. Sap. 13. v. 1. Syr. 43.* Vel levis est cespes qui docet esse Deum.

2. *Ex admiranda formatione Microcosmi in utero materno, tot membrorum artificiosa compactione & facierum varietate.*

3. *Ex conscientiæ testimonio in bonis vel malis operibus, quæ præmijs vel pœnis non carent. Roman. 2. Testes sunt Alexander Magnus Orestesq;, & Oedipus.*

Errarunt autem Ethnici in substantia, in personis & voluntate Dei cognoscenda; quia Deus magnus est superans scientiam nostram, Job. 36. numerus annorum ejus inæstimabilis. Simonides olim interrogatus ab Hierone Siciliæ Tyranno, quidnam esset Deus, deliberandi sibi unum diem postulavit, cumq; idem ex eo postridie quæreretur biduum petijt, & sic aliquoties duplicato numero, tandem inquit: Quantò diutius considero, tantò mihi res videtur obscurior. Cic. lib. 1. de Natura Deor. Sicut enim Solem sine Sole nemo cernit: sic nec Deus sine Deo agnoscitur. Et sola sponsa Christi Ecclesia novit hoc arcanum. Jud. 14. v. 18. Notum quoq; est Augustini cum Angelo colloquium, quod scrutator majestatis maris undam cochleari exhaurire velle videatur. Agnoverunt autem Christiani

Deum Trinũ & Unũ ex

1. *Actionibus, missione Filij atq; miraculis.*
2. *Verbo utriusq; Testamenti & doctrina Catechismi.*
3. *Revelationibus. Gen. 18. Exod. 20. Matth. 3. 17. Joh. 12.*

Estq; Deus unus Deus in tribus personis, & tres personæ in unitate essentiæ, quæ tota in Patre, tota in Filio, tota in Spiritu sancto. Unus Deus incorporeus, immortalis, infinitus, immutabilis, omnipotens, naturâ maximè simplex, personarum numero & ratione discretus. In altissima Dei natura, quæ & individua & simplicissima est, tres sunt personæ: Pater ingenitus, Filius ex Patre genitus,

Spiritus sanctus à patre & filio procedens. Estq; unitas οὐσίας sed τρίας ὑποστάσεων, non commixtione confusa, nec distinctione separata, & qualibet persona habet τρόπον ὑπάρξεως, in essentia divina non extra essentiam. Unum esse Deum probatur: Deut. 6. v. 2. Esa. 44. Matth. 19. Marc. 12. v. 29. 1. Cor. 8. v. 6. Eph. 4. v. 5. 6. Gal. 3. v. 20. 1. Tim. 2. v. 5. 1. Johan. 5. Jac. 2. Et in Symbolo Apostolico. Tres esse in unitate personas demonstratur: Gen. 1. v. 26. (August. de verbis, Faciamus hominem: Cum dicit Deus ad imaginem, ostendit unam esse naturam: cum dicit nostram, ostendit eundem Deum non unam sed plures esse personas.) Gen. 3. v. 22. 11. v. 7. 18. Psal. 2. 33. v. 6. 36. 66. 67. 110. Numer. 6. Esa. 6. v. 3. 8. 48. 61. 63. v. 7. Ose. 1. Hag. 2. Matth. 3. v. 16. Joh. 3. 5. 13. 14. v. 15. 1. Cor. 6. 2. Cor. 6. Eph. 1. & 3. Galat. 4. Et in Symbolo, & in Baptismo Christi atq; nostro. Matth. 28. v. 19. Adhibentur similitudines pro simplicioribus, quod in una arbore sic truncus, radix & rami: sic de aqua, nive & glacie: sic de fonte ex quo duo rivi scatent. Et de Sole, in quo tria cernere licet, nempe Solem & lucem à Sole dimanantem, & calorem ab utroq; procedentem: ita in beatissima Trinitate patrem tanquam Solem, & Filium tanquam Solis splendidissimum radium & Spiritum sanctum ab utroq; procedentem veneramur, & in una eademq; substantia atq; essentia tres personas adoramus. Sic anima humana unica est, sed facultates ejus realiter à se differunt. Sic homo elegans, imaginem suam in speculo videns, pulchritudine motus sui concipit amorem, &c.

Porrò propter Revelationem licèt opera Trinitatis ad Extra sint indivisa, Patri tribuitur Creatio, Filio Redemtio generis humani, Spiritui Sanctificatio. Sic in hoc Evangelio Pater diligit, Filius tollitur in crucem, Spiritus regenerat & vivificat. Creavit Pater per Filium in Spiritu sancto, dedit nobis Pater Filium conceptum de Spiritu S. Et datur nobis à Patre Spiritus sanctus propter Christum. De his adscribo Distichon meum:

Inge-

Ingenitus, Genitus, Flamen, creat, eripit, ornat,
Cælum, homines, animas, voce, cruore, fide.

Ad Intra autem opera sunt distincta in proprietatibus essentialibus; quia Pater per se Deus ἀγέννητος καὶ ἀναίτιος, neq; χρόνῳ neq; φύσει filio prior sed ordine, genuit Filium, Filius est unigenitus Patris ab æterno, Psal. 2. v. 7. Ebr. 1. Spiritus ab utroq; procedens, ἐκπόρευτος. Matth. 10. v. 20. Rom. 8. v. 9. Gal. 4. v. 6. Estq; non creatus, immensus, infinitus, æternus, omnipotens Deus & Dominus. Non tres Dei & Domini, sed unus verus Deus in tribus personis. Bernard. Deus longitudo est propter æternitatem, latitudo propter caritatem, sublimitas propter majestatem, profunditas propter sapientiam. Gregor. Naz. Non possum unum cogitare quin trium fulgore mox circumfundar. Nec tria possum discernere, quin mox ad unum referar. Ergo in ipsa divina essentia realiter distincta, sed ejusdem naturæ sunt ipsæ personæ, & eadem essentia, natura ac Deitate prorsus indivisæ, nisi quod distinguatur inter essentiam & singulas personas, cum essentia sit absolutum quiddam, persona autem relativum; nec essentia essentiam sed persona personam genuit. Adhæc essentia est communicabilis & de singulis personis ex æquo prædicatur, persona verò est incommunicabilis, nec de alia prædicatur. Adeoq; in mysterio divinitatis est quidem alius & alius; alia namq; est persona patris, alia filij. Sed non est aliud & aliud: quia una est trium personarum essentia, & sic pluralitas in unitate est hypostatica, non essentialis.

II. *Quod Filius Dei è cælo descenderit, & in carne nostra pro nobis de ligno crucis sit suspensus, Redemtor generis humani credentibus salutem æternam conferens. Descendit autem assumendo naturam humanam in utero virginis; nec eam è cælo adduxit, nec descendit motu locali; quia divina essentia sic non proficiscitur de loco in locum, sed quia in terra ubiq; antea præsens erat, incarnationis opere suam præsentiam declaravit, & se filius Dei in carne manifestavit. Sic ascendendo carnem assumtam ad dextram Patris super*

omnia collocavit. Eph. 4. Et in terra agens cum Nicodemo tamen in cœlis est juxta utramq; naturam; quia in momento conceptionis relata est caro Christi in thronum gloriæ, per unionem personalem indissolubilem, quæ facit, ut in persona Christi quidem sit aliud & aliud, sed non alius & alius; duæ nimirum naturæ sed unus Christus. Nos itaq; tanquam gestati per Christum in cœlum ducimur; nec proprijs viribus quis eò pervenit. Negq; hoc novum est doctrinæ genus; quia & Moses & omnes sancti veteris Testamenti Patriarchæ, Reges & Prophetæ per fidem in Christum salvati sunt. Quod Christus insigni historia Num. 21. v. 8. descripta explicavit, ubi Deus populum murmurantem & tentantem Christum, 1. Cor. 10. v. 9. serpentibus ignitis punivit, qui dipsades græcis dicti morsu ignem quasi inspirantes multos interfecerunt. Æneus autem serpens fide eum aspicientibus medicina fuit, non signo sed signato, non propter rem visam, Sap. 16. v. 7. quæ tempore Regis, 2. Reg. 18. v. 4. Zedechiæ: quia ipsi filij Israëlis suffiebant, confracta & Nehustan, i.e. æneum appellata est; sed propter omnium Salvatorem. In hoc itaq; mysterio depicta est doctrina de pœnitentia & justificatione peccatoris coram Deo, quam ideo Christus figuram de sua morte & merito interpretatur: 1. Serpentes mortiferi, pestiferi, igniti Diabolum denotant qui virus suum Draco in Paradiso in hominem ingessit. 2. Æneus serpens erectus significat Jesum Christum, qui Psal. 22. vermis dicitur, & in deserto hujus mundi, in palo crucis erectus, & postea ingressus in gloriam ad dextram Patris signum est omni populo salutem quærenti. Factus enim est pro nobis maledictum. Deut. 22. 2. Cor. 5. Gal. 3. Adhæc sicut æneus serpens erat absq; veneno: sic factus est Christus in similitudine carnis peccati. Rom. 8. v. 3. Et infractus propter divinam naturam & sanguine suo tinctus, Es. 63. ad similitudinem cupri. 3. Aspectus serpentis est imago Fidei: nam si quispiam quæsitis alijs medijs neglecto serpente hoc æneo contra mandatum Dei sanitatem quæsivit, ille sua culpa perijt. Sic extra fidem in Christum nulla

salus

salus est, licèt hoc admirandum sit in oculis nostris, quod per mortem Christi vita detur. Nec à merito mortis Christi quis credens unquam excluſus est; vult enim Joh. 3. v. 15. & 16. ut omnis qui credit habeat vitam æternam. Et sicut Christus verè pro omnibus hominibus mortem oppetijt; ita quoq; omnium hominum peccata sufficienter expiavit, modò satisfactioni huic per Christum expeditæ ubivis responderet fides hominum, & partam liberationem sibi debito modo applicarent. Quod quamvis à maxima hominum parte negligatur, novit tamen Dominus 2 Tim. 2. & conservat Electos suos, utpote valde misericors & sapiens, & quod hoc loco videtur salutis nostræ cupidissimus. 1. Tim. 1.

III. Quod Baptismus sit lavacrum Regenerationis & renovationis in Spiritu sancto, Tit. 3. v. 5. Eph. 5. v. 26. 1. Pet. 3. sine quo nemo salvatur, si id contemnat. Auguſt. Juramento enim Christus secundò affirmat quod nisi quis regeneretur per aquam & spiritum, non possessurus sit Regnum Dei. Siquidem per primam nativitatem sumus filij iræ, Eph. 2. in quibus nihil boni, Rom. 7. à capite ad calcem, Esa. 1. quorum malum est ab infantia cor, Gen. 6. edens quaq; turpia, Matth. 15. quod peccatum ceu aquam imbibimus, Job. 15. ideo renasci oportet. Quod appellatur consilium Dei, Luc. 7. v. 30. Idq; Petrus viris 3000. dedisse legitur Act. 2. v. 38. Et Ananias Saulo Act. 9. v. 18. Et Paulus custodi carceris Act. 16. v. 31. Fœtus autem piorum in utero defuncti, vel sine baptismo emortui pro beatis habendi sunt: quia privati baptismo eum non contemserunt, quare nec parentibus in tam arduo negocio mora trahenda est,

Est denique spiritualis regeneratio merum ac gratuitum solius Dei beneficium, in quo nostris viribus, sicut nec in eductione ex utero, nihil efficitur. Quod ut plenius & planius intelligatur Christus simili de vento declarat, qui nec oculis videtur nec retinetur manibus & tamen aliqua est ejus substantia; quoniam naves promovet, turres & sylvas verberat, licèt nobis ignotum sit unde ascendat & ubinam resideat. Sic in ministerio ubi docetur verbum Dei

& administrantur Sacramenta, vox ministri auditur, & huic sono invisibilis adest Spiritus sanctus. Matth. 10. cognoscitur q. in regeneratis ex verbis & operibus tanquam conversionis fructu, quod donatus sit homo corde novo & mutatus in alium virum. 1. Sam. 10. Sicut enim ventus altiora deturbat & in vallibus reconditur: Sic spiritus elatos deprimit, humilibus autem largitur gratiam. Et cum in hac vita origo & substantia Spiritus sancti velut & venti nobis occulta sit, ipsa propter assiduam impulsionem vento assimilatur. Spiritus sanctus autem ideo assimilatur vento: 1. Quia est invisibilis. 2. Propter naturam. Gen. 1. v. 2. Gen. 2. v. 7. Johan. 20. Actor. 2. ceu ventus descendit. Actor. 17. in eo movemur. 3. Propter officiū, quod Chrysost. declarat simili de navi, quæ etiam instructissima sine vento non progreditur. 4. Quia ventus purgat aërem. 5. Non venit tacitè nec absconditur. Hinc ministerium dicitur vehiculum Spiritus sancti, & ipse anima verbi. 1. Corint. 12. 6. Nos promovet, Luc. 2. Actor. 16. ut Evangelium citò currat. 7. Nos ceu Etesiæ in arduo hujus mundi deserto refrigerat. 8. Nulla creatura sine aëre & vento vitam trahit. 9. Exsiccativus est, ut desinamus malè agere. Jer. 31. 10. Pluviarum productivus, ut preces lachrymis rigemus. Psal. 6. Syr. 35. 11. Inflammativus, ut ardeamus fide & dilectione. 12. Mortuos excitabit, Ezech. 37. Roman. 8. & cineres nostros congregabit.

Cum fides totius spiritualis ædificij & humanæ salutis fundamentum sit, nos quatenus in via salutis progressi simus probemus nosmet ipsos. 1. Credimus Deum esse Trinum & Unum. 2. Regenerati sumus per spiritum & aquam beneficio Dei, pastorum officio & parentum cura. Gratiæ Dei. 3. Sonat nobis Spiritus sanctus per ministerium Evangelij, & verbum Dei habemus intemeratum. Laus Deo. 4. Credimus in Jesum Christum mortuum pro delictis nostris. Rom. 4. Laus Deo. Si modò cum hac fide emigraremus certè foremus beati, at si adhuc aliquandiu manendum est, juxta admonitionem Pauli, militemus oportet bonam militiam retinendo Fidem

dem

dem & bonam Conscientiam, ut fidem piè confirmemus auditu verbi divini, & recto usu Cœnæ Dominicæ, ejusq; cotidie edamus fructus haud fucatos; ne cœlestia regenerationis dona per contumacia delicta deperdamus, amissa per subitam & veram pœnitentiam recuperemus, orantes Psal. 51. ut Deus creet in nobis cor novum, & audiatur in nobis dulcissimus Spiritus sancti sonitus, & elucescat fructus ejus. Gal. 5. v. 22. Unde agnoscamur filij Dei, renati non ex semine corruptibili, sed ex verbo Dei, 1. Pet. 1. quod manet in æternum. Et hæc est illa voluntas Dei, Joh. 6. ut qui videt filium, & credit in eum habeat vitam æternam.

II.
Fructus Fidei Triplex.

I. Ut omni studio & assidua vigilantia, & absq; mora, Psal. 94. v. 8. Syr. 5. v. 8. exemplo Nicodemi investigemus viam ad vitam æternam; nec leviter & minus attentè tractemus negocium salutis nostræ, ceu mundi mancipia, Phil. 3. quæ semper de terra cogitant & terrena tractant. Origen. Sed quia mors imminet spreto etiam somno Christum præceptorem sedulò adeamus, ut in verbo Dei videamus lumen; siquidem ipse Christus via est & veritas, & vita. Joh. 14. Si viator in dubio constitutus in bivijs diligenter quærit quænam sibi via tenenda sit, ut ad metam propositam recta pergat, qui licèt ad aliquot miliaria aberrârit, nec ad hospitium petitum venerit, viam relegere, vel per methodum in eandem reverti potest: illud nobis in deserto hujus mundi maximè præstandum est, quibus ad mansionem æternam gemina proposita est via: Matth. 7. v. 13. Luc. 13. v. 24. altera ad salutem, altera ad comdemnationem ducens, Esa. 30. v. 21. ut medio tutissimè euntes, nec ad dextram nec ad sinistram declinemus.

II. Ut, si homines de sustentatione corporali & mansione in hoc seculo adeò solliciti sunt, ut nihil à pueritia diligentius tractent, multiq; in mortem alterius sibi spem ponant, & hæc caduca ut plurimùm

rimùm dolo malo sibi comparent, de quibus ne ad horam quidem certi sumus, cur non illa magis inquirimus, quibus in æternum frui poterimus? recepta correptione; quia vulnus non intellectum tardiùs sanatur, & verberibus justorum amicis non repudiatis, Psal. 141. quod qui odit disciplinam oderit sapientiam, nos ferulæ Christi & ministrorum ejus castigandos patienter subÿciamus, suppressáq; ratione in verbo DEI absq; disputatione frivola simpliciter acquiescamus. Si Pythagoras Philosophus ita discipulos suos assvefecit, ut toto septennio juxta artium liberalium numerum, de ÿs quæ ab eo dicebantur, minimè rationem exigerent, sed magistri verbis fidem habentes, rationem petenti responderent: αὐτὸς ἔφα. Meritò Nicodemus doctrinam suam & pristina opera reputavit damnum esse, Phil. 3. v. 7. & rationem suam captivam duxit, ut Christum inveniret. Nec quæstionibus nostris aliquò progredimur: quia naturalis homo non intelligit. 1. Cor. 2. v. 14. Matth. 16. Caro & sanguis non revelat. Non sumus idonei à nobis ipsis ad cogitandum quicquam. 2 Cor. 3. v. 5. Ergo qui sapere cupit fiat stultus, 1. Cor. 3. v. 18. & similis pueris simpliciter credentibus, Matth. 18. & infantibus, Matth. 11. v. 25. quibus illa Deus revelat. Nos autem nec illa, quæ sub cælo in natura cotidie inter nos versantur, ratione nostra comprehendimus. Exempli gratia. Nemo dubitat se habere animam, & tamen nemo nostrum unquam vidit animam suam, aut cognovit unde sit anima, quomodo agat in omnibus membris, & abiens Imperatores quoq; & Reges faciat esse cadavera. Si quis nunquam vasa vitrea vidisset, & ostenderetur ei calix vitreus mira specie nitens, vix crederet illum unico artificis flatu ex cineribus factum. Et si quis non visas antea sericas vestes arte hominum ex bombycum vilium vermiculorum materia elaboratas narraret, fidem narranti non haberet. Beatus ergo, Joh. 20. qui credit licèt non videat: quia divinæ majestatis gloria sublimitate sua omnem creatæ mentis cognitionem infinitis partibus transcendit, solaq; humilis fidei confessione cognoscitur.

sscitur. Salomon Eccl. 11. sicut nescis, inquit, quæ sit via Spiritus, & qua ratione compingantur ossa in utero prægnantis: sic nescis opera Dei. Chrysost. Fidei maximè proprium est rationes eorum, quæ fiunt non inquirere, sed obtemperare præscriptis. Gregor. Qui in operibus Dei rationem non invenit, in parvitate sua inveniet, cur rationem non inveniat: Quid enim mirũ si divina non assequatur, qui in perveſtigatione etiam rerum minimarum passim hallucinatur. Ambros. Mihi impossibile est generationis divinæ scire secretum. Mens deficit, vox silet, non mea tantùm, sed Angelorum. Supra potestatem, & supra Angelos, & supra Cherubin & Seraphin, & supra omnem sensum est. Hilarius in libris, quos de altissimo Trinitatis mysterio scripsit, se ipsum consolatur his verbis: Ego nescio nec requiro, & consolabor me tamen. Archangeli nesciunt, Angeli non audierunt, secula non tenent, Propheta non sensit, Apostolus non interrogavit, Filius ipse non edidit, cesset ergo dolor querelarum. Hac ergo de causa homo pius sola fide contentus esse debet, quæ omni humana demonstratione certior est, utpote quæ Deo revelante atq; testante nititur. August. Quis quid inter nasci & procedere interſit explicare potest? Ego hæc distinguere nescio, non valeo, non sustineo.

III. Ut piè ac reverenter de Deo & de summo Trinitatis mysterio loquamur, quod quidem non modò sancti Doctores, sed Ethnici quoq; Philosophi admonent. Cicero: Homini timidè de potestate Deorum & pauca dicenda sunt. Seneca: Egregiè Aristoteles ait, nunquam nos verecũdiores esse debere, quàm cum de Dijs agitur. Si intramus templa compositi; si ad sacrificium accessuri vultum submittimus, togam adducimus. Si in omne genus modestiæ fingimur, quantò hoc magis facere debemus, cum de Deo vero agitur, ne quid temere, ne quid imprudenter, aut ignorantes affirmemus, aut scientes mentiamur? Deus enim semper vindictam statuit in illos, qui hoc mysterium de Trinitate & Unitate eludere non erubuerunt. Inter quos Cerinthus, Iren. lib. 3. cap. 3. apud Ephesios in balneo col-

lapsa domo tragicè periit, dum convicia de divinitate Christi edidit. Arrius intestina evomuit. Hist. Tripart. lib. 10. cap. 13. Olinthus ter fulmine ictus & ustus est cum pro concione Trinitatem negaret. Sabell. lib. 8. cap. 2. Velut similem ob blasphemiam quidam Olympius Arrianus Carthagine in balneo obrutus periit, tribus sagittis igneis transfixus & ab igne consumtus. Anastasius Imperator, cum edito mandato non Trinitatem sed Quaternitatem honorare jussisset, à fulmine ictus est. Et Theodotus quidam sutor, teste Nicep. cap. 20. & 21. lib. 4. propter ejusmodi blasphemiam à Diabolo raptus, in aëra evectus & in terram projectus, justas pœnas luit. Hinc August: Mirabile de Trinitatis Unitate & Unitatis Trinitate Sacramentum magis credendum, quàm exponendum est. Idem: Sit pia confessio ignorantiæ magis, quam temeraria scientiæ professio. Athanas. Deus comprehensibilis non est Deus. Bernard: Fide teneo quod mente non capio. Inprimis memores simus nos sub Deo vivere, qui omnia videt & judicat. Eccl. 12. sitq; in nobis desiderium illum coràm videndi ad faciem. August: Deus est in se ipso sicut Alpha & O. In mundo sicut Rector & Author. In Angelis sicut sapor & decor. In Ecclesia sicut paterfamilias in domo. In anima sicut sponsus in thalamo. In Justis sicut adjutor & protector. In reprobis sicut pavor & horror.

III.

Finis & Triumphus Fidei Triplex.

I. Quod, quoniam per Baptismum regenerati sumus credimusq; Evangelio, videbimus Regnum Dei, ascendemus per Christum & cum Christo in cælos, & habebimus vitam æternam. Erit enim doctrina de Deo vera scala Jacob, Gen. 28. v. 12. per quam Angeli Dei ascendebant & descendebant.

II. Quod, cum hic terrena scrutari non possumus, nec metiri ventum, vel scire unde veniat & quo vadat; 4. Esd. 4. v. 5. nec ponderare ignem & scrutari terrena, in futura vita rectiùs edocti etiam

etiam cælestium habituri simus cognitionem, intelligentes hyperphysica omnia: Quantæ magnitudinis sit corpus Solis, cujus circumferentia 29700. miliaria germanica, diameter autem 9450. continere putatur. Sic ut corpus Solis 166. terræ magnitudines efficiat, atq; unde nobis tam exiguum corpus esse videtur, 1000000. miliaria germanica à terra distet. Et quàm incomprehensibili atq; velocissimo cursu unius horæ spatio 240000. miliaria, quolibet minuto, seu sexagesima horæ parte 4000. miliaria absolvat. Stellæ fixæ emetiantur ad horam motu primi mobilis 1980000. milliaria. Quomodo terra pilæ similis nullo fulcimine nixa, aëre sublimi tam grave pendeat onus? quomodo nubes circumferantur? Ibiq; non interrogabimus jumenta aut volatilia cæli; Job. 12. v. 7. 8. nec docebit nos terra aut narrabunt pisces maris, de istis quæ fecit manus Jehovæ, sed ex operibus cognoscemus artificem & opificem. Sap. 13. v. 1. Tunc enim perfecti erimus, cum eò pervenerimus, quò tendimus. August. Et qui creatoris sui claritatem vident, nihil in creatura, agitur quod videre non possint. Gregor. Imò & ventorum & tonitruorum natura atq; causæ nobis erunt notissimæ. magnitudo Solis.

III. Quod Deum, qui hîc nobis est invisibilis, illic Trinum & Unum, & duas in Christo naturas cum æterno gaudio spectabimus à facie ad faciem. 1. Cor. 13. Nec Fidemus tantùm, sed Videbimus. Hîc Deus est ineffabilis, August. & ideo facilius dicimus quid non sit, quàm quid sit. Si hîc suspensi admiratione tenemur ubi spectaculum novum & jucundum occurrit, quid non continget ubi glorificatis oculis Deum immortalem videbimus? In hac vita Deus tribus modis se revelavit: 1. Per creationem, dum ex operibus agnoscitur ejus omnipotentia, Rom. 1. & cælum clamat quod Deum habeamus, August. Chrysost. ut ex visibilibus creaturis invisibilem agnoscamus creatorem. 2. Patriarchis & Prophetis se varijs modis revelavit. 3. In verbo tanquam in speculo cognoscitur. 1. Cor. 13. Sed in futura vita sicut Angeli vidēt faciem Patris cælestis: Mat. 18. ita & nos visuri sumus. August. de Civit. Dei lib. 22. cap. 29. Non

Prophetæ tantùm, sed omnes Electi: nec ad mille annos, sed in sæcula sæculorum. Hic quidem Sol sæpius nube tegitur, sed Deus erit lux perpetua. Esa. 60. Nec viso Deo ceu subditi visa Regis majestate abibimus, sed coràm Deum semper intuebimur dicentes Gen. 32: Vidi Dominum & salva facta est anima mea. August. in Soliloquio: Beatus ero si fuero admissus ad videndum claritatem istam: Deum enim ad momentum videre, omnia mundi gaudia superabit. Ps. 42. v. 2. Sitit anima mea ad Deum vivum, quando veniam & apparebo coram Deo? August. ibid. in Solil. O Domine moriar ut te videam. Volo mori, dissolvi cupio, Phil. 1. & esse cum Christo, mori desidero ut videam Christum. Contra malè operantes non videbunt Deum, Joh. Epistola 3. & omnia Gehennæ supplicia superabit Deum non videre. Bernard. Augustin. lib. 50. Homil. 9: O infelix anima, etiamsi te Deus non mittat in pœnam, & tantummodò faciem suam te non videre permittat, nunquid non meliùs fuerat nunquam nasci? Bernard. Plenum prorsus omni suavitatis dulcedine videre Hominem hominis conditorem. August. Visio Dei est Fons omnium bonorum. Idem: videre faciem Dei vivi hoc est summum bonum, gaudium Angelorum, atq; omnium Sanctorum, præmium vitæ æternæ, gloria spirituum, lætitia sempiterna, corona decoris, bravium felicitatis, requies opulenta, pulcritudo pacis, intimum & extremum gaudium, Paradisus Dei, Hierusalem cœlestis, vita beata, plenitudo beatitudinis, gaudium æternitatis, pax Dei, quæ superat omnem sensum. Hæc est plena beatitudo, & tota glorificatio hominis videre faciem Dei sui, videre eum, qui fecit cælum & terram, videre eum qui fecit eum, qui salvavit eum, & qui glorificavit eum, videbit eum cognoscendo, amabit diligendo, laudabit possidendo. Ipse enim erit hæreditas populi sui, populi sanctorum, populi quem redemit. Ipse possessio felicitatis eorum, ipse præmium & merces expectationis. Cassidor. Epistolar. lib. 2. In cælesti beatitudine veraciter sine fine gaudium est, sine aliquo tædio manens semper æternitas, & inspectio sola divinitatis efficit, ut beatius

beatius nil esse posit. Hæc veraciter perennitatem præstant, hæc jucunditatem accumulant. Hîc cum sublime & adorandum de divinitatis unitate & unitatis pluralitate mysterium nulla vox nec ratio explicare posit, & sterilis angustaq; humani ingenij vena ne umbram ejus quidem exprimere valeat, hoc rudibus quasi similitudinum lineamentis adumbratur, ex ipsis quoq; appellationibus quæ Filio Dei in scriptura attribuuntur; quoniam Joh. 1. dicitur Λόγος & Verbum Patris. Ebr. 1. v. 3. Splendor Patris nuncupatur, & Joh. 1. Lux atq; Lumen in tenebris. Ebr. 1. v. 3. Character substantiæ Patris. Sic quidem cogitationes nostras ad venerandam illam sublimitatem erigimus, sed arcana tanta tantùm balbutiendo exponimus, illorum in vita futura plenam expectantes cognitionem, & in cœlesti Academia planam explicationem, ubi Deum coràm intuebimur, audituri. Joh. 3. v. 11. Pictura artificiosa artificis ingenium & artem declarat, mores autem, patriam, genus, nomen & fortunam non exprimit: ita mundus hic opificis summi potentiam, sapientiam, bonitatem & providentiam exprimit, multa tamen alia quæ in Deo sunt non declarat, quæ coràm videbimus.

Dominica I. Post Trinitatis.

DE DIVITE EPULONE ET LAZARO MENDICO.

Evangelium Luc. 16. à v. 19. usq; ad fin.

Præfatio Supplex.



Osaphat pius Rex, 2. Paral. 20 v. 20. optimum dedit consilium populo Judaico & habitatoribus Jerusalaim, timentibus impetum Ammon & Moab: Credite in Jehovam Deum vestrum, & roboramini, credite Prophetis ejus, & prosperè cedet vobis. Quod si

Epulo feciſſet, non eſſet detruſus ad dolores inferni. Nos autem cautiùs agemus, felices quos faciunt aliena pericula cautos, verbum Dei attentè obſervabimus, & ſequemur ſpirituales Dei œconomos, ut concio Evangelica ſit nobis potentia ad ſalutem; nec prolabamur in mortem ſecundam. Cum autem nihil ex nobis, intercedente prō nobis apud Patrem Chriſto, auxilium Spiritus Sancti impetrabimus, orantes: Pater noſter, &c.

Exordium Propheticum.

Eſa. 66. v. 24. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, eruntq; opprobrium omni carni. Quod ita verè verum fore teſtatur Chriſtus in hodierno Evangelio, probaturq; eventus illius Prov. 21. v. 13: Qui claudit aurem ſuam ad clamorem pauperis, etiam ipſe clamabit & non exaudietur.

BREVIS SUMMA ET DISPOSITIO METRICA.

Dives ſuperbus purpura,
Byſſoq; vivit ſplendidè,
Inopes, Deumq; poſthabet,
Deſcendit ergo ad Inferos.
Sed ulceroſus ſuſtinet,
Pauper famem, lingunt canes,
Obit diem conſtans fide,
Transfertur in ſinum Abrahæ.
Micam negans guttam rogat,
Optatq; quem de mortuis
Monere fratres! Nil datur.
Sed audiendus eſt Deus.

QUICUNQ; SALVARI CUPIT TRIA EX HOC TEXTU OBSERVET.

I.

Confirmationem Fidei Triplicem.

1. Quod

I. Quod Animæ sint immortales, nec moriantur cum corporibus, nec evanescant velut impij de hominis fine somniant Sap. 2. v. 1. 2. 3. 4. 5. quod spiritus sit fumus in naribus, qui quasi aër fluxus diffundatur. Videntur enim in anima Epulonis sensus & attributa propria vivi hominis: Quoniam videt Lazarum, sentit dolores inferni, loquitur orando Abrahamum, audit responsum, & recordatur fratrum suorum. Vivit itaq; post mortem & emori potius optasset. Sive autem historia hæc, sive quod verisimilius parabola sit, proposita est ab illo qui linguam habet eruditam, Esa. 50. qui ipsa est veritas, Joh. 14. qui Dei librum aperit, Apoc. 5. & scripturam propheticam, Luc. 24. Solus Magister & Doctor, Matth. 23. veritatis professor. Joh. 18. Cui fides habenda, quod verè sit vita post hanc æterna in qua pijs bene, impijs autem malè erit. Joh. 5. v. 29. Et angustia erit in Gehenna, qualem nemo satis exaggerare potest; quærent enim damnati mortem & non invenient, sed fugiet ab illis, Apoc. 9. v. 6. eorumq; verme immortali. Esa. 66. v. ultimo. Et erit, juxta Gregor. pœnarum varietas & contrarietas, semper in excessu frigus & calor, sine intervallo & temperamento, uti inquit Bernardus. Damnatorum hospitium lacus erit & locus profundus, Num. 16. tenebrosus, Matth. 22. igneus, Matth. 13. horribilis, Job. 10. aquis carens, Zach. 9. & Luc. 16. fatidus, Apoc. 20. venenatus, Esa. 14. periculosus, Matth. 5. ejulatu & stridore resonans, Esa. 56. 66. & omni carens gaudio & omni bono.

Damnatorum cruciatus immensi erunt & infiniti: 1. Quia erunt in potestate & sub pedibus Diabolorum. Nos horrescimus audientes historiam de tyrannide Satanæ, & viso spectro vel calcato serpente contremiscimus, quid illi in medio Diabolorum non sustinebunt? 2. Tradentur tortoribus, Matth. 19. &, teste August. contra Pagan. cap. 4. Satanas eos accusabit in novissimo die, dicens: Æquissime Judex judica, Justitia & Judicium præparatio sedis tuæ, judica meum esse qui tuus esse noluit. Amissa ergo omni recreatione & suscepto hic gaudio, illic torquebuntur. 3. In igne cruciabuntur inextinguibili,

tinguibili, Matth. 25. Apoc. 20. siti intolerabili. Bernardus ait, unam scintillam ignis in Gehenna superare omnem totius mundi ignem, eumq; vel hoc posse extingui. Sic ut omnia martyria cum hoc collocata nihil sint. 4. Dolores augebuntur quando videbunt illos in gloria, Sap. 5. quos hic odio persecuti sunt, & antea suppressis erunt supplices. 5. Per parentum, sobolis, fratrum, quod hic Epulo timet, & agnatorum condemnationem dolor magis exacerbet; tantùm enim lucis, quantum ad multiplicandos cruciatus sufficiet ignis inferni suppeditabit. Et multi parentes maledicent soboli suæ, cui dum prospicere voluerint de divitijs cumulandis, ipsi in æternam demersi sunt inopiam; nec minus pueri parentibus à quibus malè educati sunt, in eadem flamma dira precabuntur. 6. Ex inferno non erit redemtio. Eccl. 11. v. 3. In locum quem ceciderit arbor vel ad austrum vel ad aquilonem ibi manebit. Facilis descensus averni, sed revocare gradum superasq; evadere ad auras, hoc opus hic labor est. Si princeps hîc captivus detinendus esset licèt bene tractandus ad vitæ finem, potiùs mori quàm sic incarcerari optaret. Perpetuum itaq; damnatorum carcerem veteres simili de arenâ & aviculâ declararunt. Nec si pro singulis foliis, graminibus, guttis aquæ, arenis & atomis numerare quis posset centum millia annorum, spectanda esset redemtio ex lacu secundæ mortis. Nec si quis singulis diebus unicam lachrymulam mittendo adæquaret fluctus maris, stagna & lacus in toto orbe, tantumq; aquarum ex oculis emitteret, quantum fuit in diluvio, in inferno absolveretur: quia, juxta Cypr. in hoc mundo vita vel tenetur vel amittitur. Si hîc cum Manasse, Maria Magdalena atq; Petro paucis lachrymis ex animo indolentes deploraverimus delicta nostra, dum vivitur in tempore gratiæ, certò veniam consequemur: si enim misertus est Epulo jam condemnatus fratrum suorum, pro quibus mali nihil sustinuerat, quid non misereatur Christus illorum quos sanguine suo redemit?

II. Quod ex rerum prospera vel aspera sorte, sive secundæ sive adversæ

adversa vehatur fortuna phaselo, nesciat homo an sit odio vel amore dignus. Eccles. 9. v. 1. Judicat quidem mundus & statuit filios hujus seculi, quorum descriptio legitur Sap. 2. v. 6. Psal. 17. v. 10. 11. Psal. 37. v. 35. Psal. 73. v. 4. 5. 6. Psal. 144. v. 12. 13. 14. felicissimos, quod habeant omnia vitam quæ faciunt beatiorem jucundissima in hoc seculo. Miraturq; Job. cap. 21. v. 7. 8. 9. cur impij vivant, senescant, & polleant opibus, & Jer. cap. 12. v. 1. & 2. Sed lata est sententia, quod ejusmodi potentes impij potenter tormenta patientur: Sap. 6. quia homicidæ sunt panem pauperi eripientes, 1. Joh. 3. & non pascendo occidentes, Ambros. nec Deum diligentes. 1. Joh. 4. v. 2. Job ergo ait cap. 21. quod sint sicut palea coram vento, & sicut gluma quam suffuratur turbo. David inquit, quod positi sint in lubrico, Psal. 73. & defloreſcant instar lauri, Psal. 37. ponanturq; sicut pecora, in inferno. Psal. 49. v. 15. Jeremias cap. 12. v. 3. quod præparentur ad jugulationem. Christus ipse testis est h. l. quod Epulo, quem apparet fuisse Judæum de stirpe Abrahæ opulentum magnificæ domus Dominum, splendidè vestitum, victus abundantia vigentem, poculis frequenter indulgentem, liberum in vita celibe, incolumem, nec fratribus nec canibus quidem destitutum, condemnatus sit: quia nec dignus est cujus nomen exprimatur, quod in catalogum vitæ non esset relatus. Et avocante ipsum morte nullibi datur delitescere; nec ferunt opem fratres, Psal. 49. sed sui obliviscitur moriens, qui antea Dei oblitus erat. August. Dumq; splendidè sepelitur corpus animæ portio est in Gehenna.

De pauperibus & afflictis vafrum est impiorum judicium: quia mundus ejusmodi calamitates frivolè ad Dei judicium transfert, aitq; Mal. 3: Vanum est servire Deo, quid prodest strenuè vivendo coram Jehova servare mandata ejus? Nos laudamus contemtores: quia impij proficiunt & tentatoribus Dei bene est. Sed non intelligit quod Dominus mirificet sanctos suos, Ps. 4. castigetq; quos diligit. Prov. 3. Ebr. 12. Quare aliam fert Christus sententiam Luc. 6. v. 20. Beati pauperes, &c. Et h. l. testis est quod Lazarus, licèt fuerit

Mendicus, proprio carens tugurio, ulcerosus & famelicus, nec exauditus à lurcone, adhæc nudus & tentatus, sic tamen Deo curæ fuerit, ut paupertas ejus non sit perpetua, sed hîc lingantur à canibus ejus ulcera, gaudeatq; inscriptus in libro vitæ. Dumq; moritur & miserè ad funus deducitur corpus, Angeli ab ipso quod ager sit & malè olens faciem non avertunt, sed animam deportant in gremium Abrahæ. Hoc ergo est quod legitur Prov. 22. v. 2. Obviaverunt sibi dives & pauper, scilicet non tantùm ut alter in hac vita rebus fruatur secundis; alter adversis: sed ut alius in morte transeat à laboribus ad felicitatem, alius ab abundantia ad miseriam. Ita enim hic dives mortuus fortè ceu Nabal & Belthasar, Dan. 5. in medijs poculis, in momento omnibus spoliatus est divitijs, corpus ejus, quod splendido victu & vestitu fovebatur, vermibus esca datur, anima flammis inferni involvitur. Hem quanta mutatio! Ille autem qui nudus & inops erat, redditur glorioſus & in æternum dives; nec deest ipsi diversorium.

III. Quod quando homo dissolvitur, atq; anima ab exuvijs corporis emigrat, in eodem momento vel in Gehennam, ex qua nulla erit redemtio, vel in Paradisum ducatur, non dormiat, nec circumvagetur ad diem usq; judicij divini; nec sit in purgatorio, vel Lymbo patrum & infantium, quæ Ireneus & August. Serm. 8. de verb. Apost. gentiles nugas esse asserunt: quia duæ tantùm post mortem viæ sunt & habitationes, August. lib. 5. contra Pelag. una in igne æterno; altera in regno æterno. Tertium locum planè ignoramus, imò non esse in Sacris scripturis reperimus. De animabus impiorum allegetur historia Saulis. 1. Sam. 28. v. 19. De animabus credentium historia latronis. Luc. 23. v. 43. De utriſq; fides habenda est narrationi Christi in hoc Evangelio satis perspicua. Et recitetur historia, quam August. annotavit sermone 69. ad fratres in Eremo, de exemplo hominis impiè defuncti in Ægypto, cujus animam Diaboli exceptam de corpore ad infernum deportarunt, & de animarum cruciatibus.

II. Fru-

II.

Fructum Fidei Triplicem.

I. *Ut si quis dives est, vel ex hæreditate, vel ex laboribus suis, vitam transigat in timore Domini, & cum timore operetur salutem: quia licèt divitiæ per se non sint damnabiles, tamen cum Satan eas subtiliter convertat in laqueos, propter abusum homines opulenti versantur in summo periculo inter spinas, Luc. 8. sic ut Syr. 31. beatus prædicetur dives sine crimine repertus, & 1. Tim. 6. v. 9. volentes ditescere incidant in tentationes & laqueos cupiditatum, quibus demerguntur in exitium & interitum. Atq; tam difficulter quam camelus seu funis nauticus crassior per foramen acus transit, veniant in Regnum Dei. Matth. 19. v. 24. Hinc David seriò monet Psal. 62. v. 11. si substantia multiplicetur & divitiæ affluant, Matth. 6. adjectæ nobis, ne apponamus cor. Paulus 1. Tim. 6. v. 17. divitibus hujus seculi tria denunciare jubet: 1. Ne efferantur in animo suo. 2. Ne spem ponant in divitijs incertis, sed in Deo vivo. 3. Ut benefaciant, atq; divites sint in operibus bonis. Sic cautiores facti exemplo hujus divitis bene utantur opibus suis: 1. Erga semetipsos, ne lascivo & superbiore vestitu & cotidianis comessationibus incidant in asotiam: Eph. 5. Esa. 5. quia pulvis & umbra sumus, Syr. 10. & vestis quam gerimus memoriale primæ transgressionis, sordida lana fuit. Adhæc ebrietas quid non designat? ubi homo qui vix septimum diem in gloriam Dei aliàs sanctificat, cotidie veneratur Deum suum ventrem. Sed qui talia faciunt non possidebunt Regnum Dei. 1. Cor. 6. Gal. 5. 2. Erga proximum ne subtrahant se à carne sua. Deut. 15. Psal. 41. Esa. 58. Matth. 25. 1. Johan 3. Inprimis cum non sint noverca in proprium ventrem, & misereatur justus jumenti sui. Prov. 12. v. 10. 1. Joh. 4. 3. Erga Deum, ut fugiant securitatem & incredulitatem, nec Mosi aut Prophetis quicquam detrahant, sed tribuant Deo quæ Dei sunt. Mat. 22.

II. *Ut si quis inops & ager est, sub paupertatis onere* ἀπορίας

& sorte sua contentus, 1. Tim. 6. se pium & modestum gerat, primò quidem erga seipsum, ut agnoscat se portare pœnam peccatorum, nec animum despondeat; sed tollat & patienter ferat jugum Christi, Matth. 8. & 11. 2. Cor. 8. sic viribus destituitur stipem petat, cum aliud non detur sustentationis medium. Secundò erga proximum, ne invideat ditioribus, & modestus tantummodo micas petat, paucis contentus; nec à janua repulsus maledicat. Si quoq; in necessitate quicquam à felicioribus mutuo acceperit gratus persolvat, ne ipsi contingat, quod rustico Spiridoni Episcopo in Cypro fucum obtrudenti. Histor. Tripart. Eccles. lib. 1. cap. 10. Deniq; erga Deum, ne murmuret sed Domino confidat, qui ipse pauper, Matth. 8. 2. Corint. 8. paupertatem nostram sanctificavit. Et cælestes quærat divitias, Matth. 6. 1. Tim. 4. ut sit dives in Deo; nec coram ipso nudus, Apoc. 16. v. 15. ambulet, & videantur pudenda ejus, sed constans fide ornatus sit purpura atq; bysso sanguinis & innocentiæ Christi. Apoc. 19 v. 8. Sic erit ipsi Deus merces magna, Gen. 15. nec quærenti Dominum deerit omne bonum. Psal. 34. v. 11. Psal. 73. v. 25.

III. Ut, sive divites, sive inopes simus, sequamur consilium Abrahæ, quod nec aliud datur quinq; fratribus Epulonis, & Mosen audiamus atq; Prophetas, Christumq; missum de cælo nobis Doctorem, & à mortuis redivivum, ut ambulemus ad normam in verbo ejus præscriptam. Idem suadet nobis Christus Joh. 8. v. 5. 1. Johan. 14. v. 21. Paulus Rom. 1. & Jacob. cap. 1. Chrysost. Ad quem confugies? ad Abrahamum? sed non audiet. Ad virgines illas Matth. 25? sed nec ipsæ tibi dabunt de oleo suo. Idem homil. de præmijs Sanctorum diversis: Utinam cum cænatur, cum prandium sumitur, aut cum lavatur, Gehennæ apud nos fiat mentio. August. Timete mecum ut gaudeatis mecum. Id caveamus ne ad istam flammam perveniamus, videntesq; folia vel gramen, aquam vel arenam cogitemus de æternitate, quod Deus tam districtè judicet, & tam severè puniat, & flexis oremus genibus, ne in cruciatus infinitos detrudamur.

III. Trium-

III.

Triumphum Fidei Triplicem.

I. Quod Angeli boni non tantùm in vita nobis inserviant, Psal. 34. 91. sed etiam in agone mortis animas justorum excipiant, Ebr. 1. & in gremium Abrahæ, in consortium credentium deportent. Chrysost. Unus quidem Angelus potuisset animam Lazari deportare, sed plurimi adsunt, ut singuli declarent quantum concipiant de salute hominis gaudium. Unde & in hora mortis eluctantibus sæpe apparuerunt instar florum, agnorum & columbarum, sic præsentiam suam declarantes. Sic & Lazaro agonizanti & ulcerum fœtore liventi in vili thoro adfuerunt, & animam ejus in gloriam ubi perpetuò manebit transtulerunt, ubi Deum Trinum & Unum coràm intuetur, & gratias agit Patri, Filio ac Spiritui sancto, quod creatus, redemtus & sanctificatus, Angelis junctus & senioribus, Patriarchis atq; Prophetis Finem & victoriam fidei adeptus sit, nec vellet in mundum reverti, si quis totius orbis divitias ad mille annos offerret; quod una dies melior sit in atriis cæli, quàm alibi mille. Psal. 84. v. 11. Hîc quidem oculi nostri per claritatem Angelorum obtunduntur, Dan. 10. sed cælesti collyrio conspectus Dei confortati, non timebunt amplius. Luc. 2.

II. Quod qui hîc tribulantur, 2. Thes. 1. v. 7. Apoc. 7. illic cum Sanctis pacem habebunt, 1. Pet. 1. & relaxationem, cum patefiet Dominus Jesus de cælo cum Angelis potentiæ suæ, ut glorificetur in Sanctis suis, 2. Thes. 1. v. 10. & admirandus fiat in fidelibus omnibus, quod fides habita sit testimonio nostro apud vos in die illo. Tunc liberati ab omni malo solatio & recreatione, Sap. 5. Esa. 49. 55. perfruemur æterna in Beatorum hospitio, quod à Christo appellatur sinus Abrahæ; locus scilicet in quo collectæ sunt animæ piorum, qui in semen Abrahæ promissum crediderunt, & velut infans in sinu matris foventur: hoc enim spiritualiter accipitur, sicut & Luc. 23. dicitur Paradisus propter recuperationem justitiæ in Paradiso amissæ.

Dicitur aliàs hic locus Manus Dei, Sap. 3. Psal. 31. Joh. 10. Luc. 23. Tabernaculum pacis, Esa. 32. Quietum cubile, Esa. 26. & 56. Fasciculus viventium, piorum Politevma, Phil. 3. & terra Viventium. Psal. 27. Nec inde ad orcum unquam transibimus. Cum enim Deus impijs, ceu paterfamilias mendico vel servo stipem & mercedem ad nutum porrigat, & postea abire jubeat, Matth. 20. nec amplius illos curet; filijs suis licèt modicum expectare cogantur tempore tamen oportuno victum & amictum suppeditat, paternè prospicit, & tanquam hæredes semper secum retinet. Hoc idem est quod Dominus Jesus Luc. 12. v. 32. promisit: Ne timeas tu parve grex, nam complacitum est Patri vestro dare vobis Regnum. O Felices quibus hoc tam ingens bonum ab ore veritatis promissum est: Felices quibus in hac etiam vita degentibus hoc tantum arcanum scire concessum est: Felices iterum atq; iterum quibus in hoc exilio spe licuit esse beatos, & in fragili corpore æternæ vitæ primitias degustare. Pusillus quidem grex, sed minimè pusillus cui tam magna merces in cælis reposita servatur. Si quis omnium mortalium labores in corpore suo perferret, qui tamen certò sciret se post brevem lucis hujus usuram cum Lazaro choris Angelorum esse inserendum; quid illi malorũ colluvies nocere posset? Rursum si totius mundi imperio potiretur, exacta brevi illa felicitate cum divite hoc ad tartarorum supplicia ablegandus & perpetua siti enecandus; quomodo præsentes delicie illum possent oblectare?

III. Quod in cælesti vitâ jucunda erit cognitio. Sicut enim Gen. 3. Adam cognovit adjutorium suum, & Matth. 17. discipuli Mosen atq; Eliam, nec non Epulo Abrahamum & Lazarum: sic nos agnoscemus non tantùm antea visos, sed & dudum præmissos, quorum nomina apud nos in memoria sancta fuerunt, quorum diem natalem quotannis sanctum celebravimus. Adhæc mutuum erit colloquium, crescetq; gaudium justorum, teste Greg. quia injustos in tormentis conspicient, quæ ipsi per Dei misericordiam evaserunt. Sap. 5. Nec irato Deo ulla erit in Sanctis erga improbos commiseratio, sed major de

justa

justa eorum damnatione lætitia: Lætabitur enim justus cum viderit vindictam, Psal. 58. & manus suas lavabit in sanguine peccatoris. Adeò unum sancti cum Deo erunt, & gloriam ejus sitient, ut summo cum odio persequantur, quos Deus odit sive parentes sint, sive fratres & sanguine juncti, quod filij Levi pio zelo in deserto fecerunt. Exod. 32. v. 28. Sicut h. l. Abraham non miseretur condemnatæ animæ nepotis, sed confirmat sententiam justi judicij divini, qua Epuloni juxta opera, Abrahæ autem juxta fidem retributum est. Tunc Abel sine condolentia aspiciet tormenta Cain & septem cum matre fratres lætabuntur de vindicta, quod retribuatur Antiocho, 2. Mac. 7. Psal. 91. Et Athanasius dicet: ubi modò Julianus? qui nobis aqua & igni interdicebat, rapiebat illa quæ nostra erant & insuper illudebat. Sed vox mortalis rei hujus magnitudinem exprimere nequit, Angelica opus esset voce, aut Lazari, aliusvè beati narratione, vel saltem alicujus, qui ab Inferno excitatus, & periculo suo edoctus gustata morte secunda rem tantam pro dignitate nobis aperiret. Tunc oculis nostris videbimus retributionem impiorum, Psal. 91. v. 8. conspectis q. in lacu mortis primi mundi inhabitatoribus prædicabit Noha Dei justiciam: siquidem admonitionem Spiritus sancti non admittebant, sic Loth Sodomitas improbos, Moses Pharaonem, David Saulem, & omnes Martyres persecutores suos justo Dei judicio in abyssum abjectos gaudebunt. Quamvis in hoc ævo vindicta nostra esse debeat, orare, ut illi qui nos affligunt salventur. Luc. 23. v. 34. Act. 7. v. 60. Gregor. in 5. cap. Jobis lib. 6. cap. 16. Cum iniquos omnes extrema ultio percutit, justus de gloria digna retributionis hilarescet. Nec damnatis ex humanitate compatietur, quia divinæ justitiæ per speciem inhærens inconcusso districtionis intimæ vigore solidatur. Ansbert. lib. 6. in 14. cap. Apoc. Videbunt justi damnatorum pœnas, & quoniam veluti cives in patria æterna ex aspectu Dei perfecto gaudio imbuentur, nullum ex damnatorum doloribus mœrorem concipient. Interim, teste August. in libro de agenda cura pro mortuis, ita divi-

ti illi

ti illi qui apud inferos torquebatur fuit cura de vivis, quamvis quid agerent omninò nesciret; quemadmodum nobis est cura de mortuis, quamvis quid agant omninò nescimus.

a) Ut breviter dicam animæ justorum 1. Colliguntur ad populum suum in congregationem magnam. Gen. 15. 25. 40. Sic Lazarus transfertur in sinum Abrahami ante multos annos præmissi. Et Elias post longum intervallum collectus est ad Mosen. Matth. 17. David ad præmissum infantem. 2. Samuel. 12.

b) 2. Se mutuò, quod in hac vita non contingit, contemplantur à facie ad faciem. Angeli nobis invisibiles sunt Spiritus, nec corporalibus hic videntur oculis; se autem mutuò vident, conversantur & colloquuntur. Sic animæ à corporibus segregatæ, ut h. l. & Matth. 17. sepulto Mosis corpore, Deut. 35. Jud. Epist. animæ in Thabor apparet.

c) 3. Se agnoscunt velut Adam & Eva ante lapsum, quare ubi anima beata in sinum Abrahæ ab Angelis deportatur, præmissæ non rogant quanam hæc vel illa, sed gaudentes ajunt: En pater, mater, conjunx, soboles mea, &c. Gloria sit Domino quod victoriam obtinueris per Jesum Christum, sic adveniens cognoscet dudum præmissas dicetq;: En Abraham, &c. O conjunx, soboles, pater, mater, frater, &c. Gloria sit Deo Patri Filio & Spiritui sancto, quod hic vos inveniam in terra viventium, Halleluja, lætemur in Domino. Et hæc cognitio perfecta erit absq; omni suspicione, ira & odio. August. lib. de agenda cura pro mortuis: Fatendum est nescire quidem mortuos quid hic agatur dum hic agitur; postea verò audire ab ijs qui hinc ad eos moriendo pergunt, non quidem omnia, sed quæ sinuntur etiam isti meminisse, & quæ illos quibus hæc indicantur oportet audire. Possunt & ab Angelis, qui rebus quæ hic aguntur præstò sunt, audire aliquid mortui, quod unumquemq; illorum audire debere judicat, cui cuncta subjecta sunt.

Domi-

Dominica II. Post Trinitatis.

DE COENA MAGNA.

Evangelium Luc. 14. à v. 16. usq; ad v. 25.

PRÆFATIO SUPPLEX.

QUandoquidem ad Cœnam magnam, convivium sacrum & Epulum cæleste convenimus, gratulor in nomine Jesu adventui vestro. Ut autem egomet servus Dei vobis saluberrima fercula possim proferre, vosque mecum spiritualem gustare dulcedinem, & ex præsenti Evangelio in peregrinatione hac capiamus animarum nostrarum recreationem, pascamurq; pane cæli & aqua vitæ, Joh. 4. & 6. & in Christo simus perpetuò saturi & salvi, orandus Deus est, ut nos per Christum dirigat Spiritu sancto, & ablegandus ad eum cordis nostri tabellarius in nomine Jesu. Pater noster, &c.

Exordium Propheticum.

PSal. 19. v. 5. *vaticinatur David de Regno Christi & doctrina Evangelij, in toto orbe per varias Gentes & varijs linguis propaganda instar Solis, qui omnibus lucem & calorem communicat. In omnem terram exivit lingua eorum, & in extremum orbis eloquia eorum. Soli posuit tabernaculum in eis. Idq; probat Christus in hoc textu.*

SUMMA ET DISPOSITIO METRICA.

COenam Deus magnam instruit
Et convocantur plurimi.
Missiq; servi annunciant
Parata quod sint omnia.

Sed gens vocata turpiter
Agros, boves & conjugem
Prætendit; & convivium
Cæleſte ſtulta negligit.
Iratus ergo cælitum
Rex de vijs & ſepibus
Alios vocat, prioribus
Guſtare nec cœnam dabit.

TRIA SACROSANCTA FERCULA EX HOC TEXTU.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. Quod Deus ſeriò velit omnes homines ſalvari, & ad cognitionem veritatis pervenire; idq; ex hoc Evangelio triplici confirmatur teſtimonio: 1. Ex invitatione ad Cœnam magnam Agni, Apocal. 19. v. 9. quoniam argumentum immobile eſt: Deus me vocat, ergo voluntas ejus eſt ut veniam, agam pœnitentiam, credam Evangelio & ſalver: quia Deus non eſt hypocrita, ſed bonus, 1. Cor. 10. absq; fraude, Eſa. 53. & ipſa æterna veritas. Johan. 14. Nec decrevit in abſcondito conſilio ſuo, quod plurimi, licèt vocentur, excludi tamen & damnari debeant: quia Deus non eſt ſicut homo, qui interdum honoris cauſa quem invitat, & tamen libenter eundem dimittit, ſuisq; parcit ſumtibus. 2. Quia iraſcitur venire nolentibus, optaſſet potius ipſos apparuiſſe & bonitate ſua fretos eſſe, quod juramento confirmat Ezech. 18. v. 32. & cap. 33. v. 11. 3. Quia voluntatem Dei etiam facta comitantur: præparavit enim cœnam, omnia ſunt inſtructa, venit Chriſtus, tulit peccata mundi, mortuus eſt, prædicatur hic ſermo, datur nobis Spiritus ſanctus, rogamur ut approperemus & reconciliemur Deo. Cumq; Fides, per quam ſalutem apprehendimus, non ſit in poteſtate noſtrâ, ſpondet ſe in nobis excitaturum fidem per Verbum, Rom. 10.

modò

modò non reluctemur; nec spreturum fidem pusillam, si quoq; sit instar lini fumigantis, Esa. 42. vel grani sinapis. Marc. 9. Luc. 17. v. 6.

Vocatio licèt in hoc textu propriè intelligi possit de Johanne Christi prodromo, collectivè tamen exponi debet de Patriarchis, Prophetis, Apostolis eorumq; successoribus. Orditur 1. Deus ipse vocationem in Paradiso. 2. Ante diluvium, per Adamum, Seth, Enoh. Noah. 3. Post diluvium per Sem, Abraham, Isaac, Jacob in terra Canaan. 4. Per Josephum, Mosen, Aaronem in Ægypto etiam inter Chami posteros. 5. In Israël, Syria, 2. Reg. 5. & 8. & Sidon, 1. Reg. 17. per Prophetas. 6. Per Jonam & Tobiam in Ninive. 7. Per Danielem & Ezechielem in Babylone. 8. Per Aggæum, Zachariam & Malachiam post captivitatem Babylonicam. 9. Venit ipse filius Dei Matth. 11. Et ipse ablegavit Apostolos suos in orbem universum, Marc. 16. donatq; adhuc idoneos Verbi præcones, Eph. 4. & nobis adest ad consummationem usq; seculi, Matth. 28. sapientiæ pane nos pascens. Syr. 15. Nec tantùm vocavit Gentem Israëliticam Deus; verùm etiam concessit aureas commoditates, regionem feracem mellis & lactis, agros, boves, conjuges, liberos, pacem, defensionem, qualiter non fecit omni nationi. Psal. 147. v. 20. Sed quoniam improbitas nullis flectitur officijs, donis acceptis datorem posthabuerunt, sicut & Sodomitæ partem terreni Paradisi inhabitantes. Nec exigua in nos constant Dei beneficia, sed multi quos Deus erexit de stercore ingratissimi donis ejus abutuntur, sic ut illa quæ ipsos ad gratitudinem erga Deum impellere deberent, maximè eos retrahant & retardent. Deniq;, ne sit convivantium inopia, Deus qui non alligatus ad unum certum populum, Act. 13. v. 46. jussit invitari Gentes, Esa. 25. & 27. pauperes spiritu, Roman. 3. claudos & mortuos ad opera bona, Rom. 7. cæcosq;, nec Deum nec seipsos agnoscentes, & quasi septo, Eph. 2. à populo Dei segregatos. Illiq; jubentur compelli per { 1. Cornua Mosis & per excommunicationem, si id requirat necessitas: requiret enim sanguinem Jehovah de manibus nostris. Ezech. 33. Ebr. 13.

* 2. *Magistratum Legis divinæ custodem & vindicem.*

3. Crucem & calamitates. 2. Paralip. 31. Daniel. 4. Actor. 9. Quia, juxta Gregor. proximus Deo plenissimus est flagellis.

Si quis ergo, quod Deus clementer à nobis avertat, condemnatur, causa illius nõ in Deo, sed in Satana est avertente convivas, & in hominibus venire nolentibus. Quod ipse Christus manifestè exponit Matth. 22. v. 5. Matth. 23. v. 37. Joh. 5. v. 40. Quomodo autem Satan inescet, avertat & retineat invitatos, videtur in Protoplastis, quibus ut neglecto mandato divino de fructu vetito comederent persuasit, fore promittens ut ipso creatore sapientiores evaderent. Unde cum omnia Paradisi ligna ipsis in cibum data essent, illis relictis in solum prohibitum manus atq; oculos conjecerunt. Sed velut Absalon Ammonem invitavit: sic quærit Satan perniciem hospitum. Et ipse habet servos præstantiores, nec hospitum est inopia; sed potentiores quiq; affluunt, præmetuunt se serò venire, picemq; cum sulphure pani & aquæ vitæ præferunt. Sed o detestanda cæcitas! Quid majus aut melius offerri potest damnando, quàm salus & redemtio? Quam libentissimè rediret Epulo ex inferno? Luc. 16. Optaretq; decollandus dimitti? cum propter ventrem multi etiam non vocati convivia frequentent, neglectores autem hujus cœnæ æternam famem sustinebunt.

II. Quod vocatio nostra sit opus solius misericordiæ divinæ absq; ullis meritis nostris. Col. 1. Eph. 2. Non juxta opera nostra, sed juxta suum propositum & gratiam nos vocavit, 2. Tim. 1. v. 9. & 10. cum ipse per se sit perfectissimus, Job. 36. nec nostri indigeat, nec quis ei prior dederit ut reddatur. Rom. 11. v. 34. & 35. Paterno affectu tamen nos æternæ salutis participes reddi optat, & ad cœnam nos vocat quæ est ἀγάπη; ut sic qui olim non eramus populus Dei, jam simus populus ejus, Ose. 2. v. 23. 1. Pet. 2. v. 10. consecutus misericordiam. Et ipse fecit nos oves pascuæ suæ, Psal. 100. v. 3. quas

ipse

ipse trahit, vocat & illuminat, Joh. 6. v. 65. 1. Sam. 3. v. 4. Act. 8. v. 36. volentes tamen, non autem repugnantes. De hac immensa & gratuita Dei vocantis bonitate, Mira res, inquit Greg. hom. 36. offert Deus quod rogari debuerat; non rogatus dare vult, quod vix sperari potuerat. Contemtoribus verò paratas delicias refectionis æternæ denunciat, & tamen simul omnes excusant. Ponamus ante oculos mentis minima, ut possimus dignè pensare majora. Si quispiam potens ad invitandum quemlibet pauperem mitteret: quid pauper ille faceret? nisi de invitatione sua gauderet, vestem mutaret, ire quantopere festinaret, ne prior se ad potentis convivium alter occurreret? Homo ergo dives invitat, & pauper occurrere festinat. Ad Dei invitamur convivium & excusamus. Idem: Utrique peccatores erant & illi qui ad cœnam venire renuerunt, & qui iterum vocantur: sed peccatores superbi respuuntur, ut peccatores humiles eligantur, Matth. 21. quibus hic Christus proponitur hospes opulentissimus sponte instituens convivium nec respiciens ad persolutionem nostram, ter invitans & compellens plurimos, etiam pauperes, quod omnia ipse paraverit vel pro mille mundis.

III. Quod Sola fide gratis per gratuitam Dei misericordiam propter Christum justificemur. Rom. 3. Eph. 2. Christo quod nostrum est ita fuit imputatum judicio æterni Patris, ut ob scelus alienum extrema quæq; sustinere coactus fuerit. Hinc nobis credentibus in Christum justitia ejus, hoc est, activa & passiva obedientia ita imputatur, ut ob alienam justitiam judicio æterni Patris justi & sancti pronunciemur: quia Fides nostra primò apprehendit Christi satisfactionem & obedientiam non pro se, sed pro nobis præstitam, qua hominibus justitiam coram Deo promeruit. Deinde veritatem Evangelicæ promissionis, quod Deus hanc satisfactionem & obedientiam Christi vera fide apprehensam & applicatam reputare velit pro justitia coram ipso valente. Hinc dicitur Christus justitia ratione meriti, & quidem nostra ratione applicationis. 1. Cor. 1. v. 30. Ideoq; cum Christus omnia apparaverit, invitati apparatis & ap-

positis in hac cœna cum humili gratiarum actione frui debemus: non enim afferendæ sunt in regium convivium super mensam regaliter instructam micæ vel fragmenta ostiatim collecta; nec coram Deo opera nostra, Esa. 64. quæ quidem justificatum sequuntur justificandum non præcedunt. August. Sicut nec fructus arborem facit bonam, proceram vel patulam, nec fumus ignem incendit aut urit; sed testimonium edit fructus de arbore quod sit bona, fumus de igne quod sit incensus.

II.

Fructus Fidei Triplex.

I. Ut invitati per ministros, per Esaiam cap. 45. v. 22. cap. 55. v. 1. per Davidem Psal. 42. v. 1. Psal. 95. v 1. per Christum, Mat. 5. & 11. non negligamus vocationem nostram, sed sedulò advolemus, & famelici accurramus, dum strata est mensa Evangelij per ministerium, Verbumq; offertur nobis & Sacramenta. Nec tamen quis accedat peccati lethargo correptus. Nec illotis manibus & ore turpi, nec quis dormiat in conspectu Dei, quod Princeps haud ferat si subditum invitaverit.

Cana

1. *Ratione promissionis datæ in Paradiso ad vesperam. Gen. 3. v. 8.*
2. *Propter vesperam mundi. Psal. 22. Joel. 2.*
3. *Propter vesperam vitæ nostræ, ut per communicationem Evangelicæ consolationis beati transeamus in cubiculum nostrum. Esa. 26.*

Magna propter

1. *Maximum Institutorem. Apoc. 19.*
2. *Magnos ministros & Angelos.*
3. *Invitatorum multitudinem.*
4. *Magnitudinem apparatus, cibiq; & potus præstantiam. Johan. 6. v. 53. 54.*
5. *Durationem. Luc. 22. v. 30.*

1. Quia

Optima
1. Quia non tantùm modicum exhilarat, & oblivionem curis ceu mundana convivia obducit; sed æterno nos adimplet gaudio.
2. Non affert propter excessum agritudines, Syr. 31. v. 23. sed semper fortificat.
3. Nec labimur & periclitamur, sicut Nabal, 1. Samuel. 25. v. 37. Belthasar Dan. 5. v. 5. & Filij Jobis cap. 1. v. 19. & v. 5. sed resurgimus virtute hujus cœnæ à lapsu & delictis nostris.

Fuerunt quidem insignia & memorabilia convivia: Nutritio filiorum Israel in deserto ad annos 40. Tractatio Ahasveri pro 127. provincijs diebus 180. & 2. Samuel. 6. v. 19. distributio Davidis. Triumphantes Romani 22000. mensas instruxisse leguntur, nec sumtus fiunt exigui ubi coronantur Cæsares atq; Reges. Sed horum conviviorum cum cœna magna Christi nulla est collatio; hanc enim si neglexerimus non est quo resarciamus damnum, aut reparemus salutem. Nec prætendemus, quod in mundo hoc locum habet: Aliàs veniam, vel alibi frontem exporrigam, vel his neglectis est mihi domi quo recreer. Cautiores itaq; exemplo divitis, Luc. 16. & fatuarum virginum, Matth. 25. ponderemus sententiam Christi, Johan. 6. Amen Amen dico vobis, qui non edit carnem filij hominis, non habet in se vitam æternam.

II. Ut, quoniam tempus est malum, Eph. 5. & contractum, 1. Cor. 7. qui habent uxores sint tanquam non habentes, & qui flent tanquam non flentes, & qui gaudent ut non gaudentes, & qui utuntur mundo hoc velut non abutentes, & qui emunt velut nil obtinentes; præterit enim species hujus mundi. Effodiatur ergo oculus, Matth. 18. v. 9. & odio habeatur pater, uxor propriumq; corpus, Luc. 14. v. 26. ut Christum retineamus, & ipsius simus discipuli. Ne Chorus, Forum, vel Thorus, nec agri, tauri & res domestica nos abstrahant à salutis methodo. Et ceu filij Gad atq; Ruben Num. 22. amœnitate & fœcunditate hujus mundi rapti locum

eligamus,

eligamus extra patriam. Et infantum more nutricem parentibus anteponamus, quod ejusmodi simili Brentius declarat: Si in civilibus convivijs invitatorum alij maturè, alij tardiùs adveniant, ijs autem qui accesserunt paterfamilias aleam vel aliud genus ludi apponat, ut dum reliqui accedant vel cibus commodè apparetur animum oblectent, tempus fallant, corpus exerceant, cibiq; fiant appetentiores. Si autem quis convivarum ita ludo & delicijs hortensibus fixus adhareat, ut convivium contemnat, & patrem familias convicijs proscindat, apud quem prolixa perfrui posset voluptate, is meritò dicendus esset insanus; quia opiparis ferculis se ageret indignum. Ita à Deo vocati sumus ad lautissimum convivium Regni cælorum. Accedimus cum baptizamur & credimus in Christum. Sed quia baptizati non statim abripimur, ut fruamur continuo aterni convivij voluptate, proponit Deus suum unicuiq; vitæ genus ac suam vocationem tanquam ludum in quo interea temporis se exerceat, dum in aliud seculum migrandum est. Deus enim proponit nobis varia vitæ genera, non quod in eis sit perpetuò durandum, sed ut sint exercitia, quibus subinde convivij cælestis in nobis excitetur desiderium. Quid ergo hac insania furiosius, si quis alicui vitæ generi ita se immergat, ut malit in hujus sordibus volutari, velut sus in horto amœnissimo, nil curans herbarum odorem aut virtutem, sed rapas & lutum, quàm lautitias Regni cælestis percipere? Lactant. lib. 3. divin. Instit. Necesse est ut sit mirabilior qui mirabilia fecit. Nam si te quispiam vocasset ad cœnam, in eaq; optimè acceptus esses, num sanus videaris, si pluris faceres ipsam voluptatem quàm autorem? Est quidem agricultura optima vitæ ratio modò ipsi cœnam magnam & Agnum Dei non postponamus. Mercatores quoq; multos qui terra mariq; merces mutarunt in cælesti gaudio videbimus, qui temporalia æternis non prætulerunt. Esa. 1. Mat. 8. Licèt peccatum inter venditionem & emtionem sit, velut paxillus fixus inter compages lapidum. Syr. 27. v. 2. Prov. 23. v. 4. 1. Tim. 6. v. 9. Et bonum est ducere uxorem, 1. Corint. 7. si conjugium servetur

vetur honorabile, Ebr. 13. modò absit abusus, qui solus est in crimine: cum illa immoderato amore diliguntur, cum illis perpetuò animus adhæret, cum totus homo his, quæ ad usum & voluptatem corporis pertinent, sic per amorem affixus est, ut animæ suæ & verbi divini prorsus obliviscatur. 1. Joh. 2. v. 15. Nolite diligere mundum, &c. Aug. Non ait nolite habere, sed nimium diligere in crimine est. Idem: Amor rerum terrenarum viscus est spiritualium pennarum. Si concupivisti hæsisti. Greg. Sic tenete quæ hujus mundi sunt, ut tamen per ea non teneamini in mundo: ut terrena res possideatur non possideat: ut sub mentis vestræ sit dominio quod habetis, &c.

III. Ut compulsi quocunq; modo, Act. 20. v. 31. 2. Tim. 4. v. 2. non irascamur instinctu Satanæ; nec ad illicita declinemus, sed Deo & pastoribus agamus gratias; nec adventum nostrum ad vesperam usq; vitæ differamus, cum nesciamus an detur vivere in crastinum. Syr. 7. Perpendamus animo tempus famis in tempore saturitatis; Syr. 18. v. 25. ne cum expergiscemur vacua sit anima nostra. Es. 29. v. 8.

Pœna triplex contemtorum.

1. Ira Dei ex qua omnes scaturiunt afflictiones. Ps. 2. 6. Syr. 1. v. 24. Prov. 19. Jer. 10. Am. 9. Nah. 1. Irato Deo omnia irascuntur Elementa. Deut. 4.

2. Vocatio aliorum, ut Esther succedat repudiatæ Vasthi, & pueris adesse nolentibus præcludatur cibus. Cant. 3. Amos 8. v. 11. Luc. 10. v. 11.

3. Amissio vitæ æternæ & privatio omnis consolationis, dum pœna temporalis æternam secum trahit, & qui cœnam neglexerit salvabitur nemo. Maxima sunt Dei beneficia ipsa creatio, & corpus sanum, & panis cotidianus: sed quid hæc proderint torquendis in Gehenna? quorum judicium longè intolerabilius erit, quàm primi mundi & Sodomorum. Matth. 11.

III.
Finis & Triumphus Fidei Triplex.

I. *Quod Deus nobis paraverit convivium in patria cælesti splendidissimum, Esa. 25. v. 6. 7. 8. cum omnibus populis, convivium pinguium medullatorum & vindemiæ defecatæ. Et perdet in monte hoc faciem operimenti expansi super omnes populos, perdet mortem in sempiternum, & absterget Dominus Jehovah lachrymas ab omni facie, & opprobium populi sui auferet ab universa terra: quia Jehovah locutus est. Sic Vates sanctus, terrenorum bonorum imagine cæleste convivium describit, quod non tantùm Judæis, sed omnibus populis paratum est, Apoc. 7. cum exquisitissimis delicijs & infinitis opiparorum gaudiorum ferculis, quibus cum ineffabili suavitate omnes Beati reficientur, & liberrima pace fruentur; nec ullo incommodo, injuria vel damno felices animæ afficientur; nec lachrymis aut ullo mortis metu perturbabuntur. Ideoq; dicet populus in die illa Esa. 25. v. 9: Ecce Deus noster iste est, expectavimus eum & servavit nos, exultabimus & lætabimur in salute ejus. Hieron. Ecce ille Mariæ filius, quem increduli hominem tantùm putabant Deus noster est: ibi enim clarissima erit infinitæ divinitatis & sacræ humanitatis cognitio, & agnoscemus illam majestatem Christi, quam hîc per speculum tantùm contemplati sumus. In hac vita ubi ad convivium etiam splendidissimum invitamur, eo finito cogimur discedere, dum post tres sæpe dies piscis vilescit & hospes. Et lautissimè tractati cras etiam ex crapula laborantes iterum sitim famemq; patimur. Adhæc cum bellarijs sparguntur flores, & apponuntur vitra, ut nos de omnipotentia Dei, de nostra fragilitate & resurrectione commonefaciant. Convivium autem cæleste fine carebit, famemq; & sitim tollet omnem; nec imbecillitas ulla nos invadet. Si ergo quid in cœna Agni hîc neglectum est, cum Deus sit ditissimus & magnificentissimus, id mea & vestra culpa factum est, quod frigidè nimis docuerimus & didicerimus. Verumtamen resarciemus docendo & frequentando templum, ut habeamus per beatum obitum vesperam jucundiorem, atq; curarum expertes evigilemus in die novissimo.*

II. *Quod*

II. *Quod omnia nobis apud Deum sint parata. Si urgent nos delicta, parata est justitia; quia misericordia Dei & meritum sanguinis Christi perennes sunt fontes, & divitiæ inexhaustæ. In luctamortis parata est nobis victoria, ubi caduca hæc domus, divitiæ, horti, deliciæq; præsentes per mortem erunt derelinquendæ, paravit nobis Christus mansiones, Joh. 14. v. 2. Angelicaq; cibaria & cælicæ gaudia, diceturq; nobis Matth. 35: Venite benedicti Patris mei, possidete Regnum paratum vobis à jactis mundi fundamentis. Non ergo cum Hadriano trepidandum, sed in Christo gaudendum: quoniam scimus Animula beata, blandula, quænam transmigret in loca, jocos datura ter optimos.*

III. *Quod exclusis contemtoribus gustabimus cœnam Dei, edemusq; & bibemus super mensam Christi in Regno ejus, Luc. 22. Joh. 6. gustabimus dulcedinem, & bonitatem videbimus Domini. Psal. 34. Inebriabimur pinguedine domus Domini, & de torrente deliciarum ejus potus dabitur nobis: quia apud ipsum est vena vitæ, & in lumine ejus videbimus lumen. Psal. 36. Ipse reficiet egentes bonitate sua, Psal. 68. & Regnum Dei non consistit in cibo & potu, sed in justitia, pace & gaudio in spiritu. Roman. 14. Habet Deus omnia, nec abbreviantur, & in ipso sunt omnium rerum perfectiones, & perfecta omnium rerum pulchritudo. Si delectamur jucundo Solis aspectu, unius videlicet creaturæ: Si nos trahit speciosa forma fœminæ, & pulchrum miramur florem: Si Ammon pulchritudine sororis Thamar: 2. Sam. 13. Si Paris Trojanus speciæ Helenæ tantum exarsit, ut exigua pulchritudinis guttula immensos decennij labores, & mille rerum discrimina subire ipsum compulerit, Trojanosq; simul & Grajos principes. Quantum quæso in nobis regnabit gaudium, ubi Angelos inspexerimus, eorũq; ordines, & ipsum Deum, in quo ad momentum videbimus omnia, & hoc cælesti pane satiabimur hoc fonte vitæ recreabimur, sic ut nunquam amplius neq; esuriamus neq; sitiamus; nec perceptam jucũditatem ulla unquam temporum vicissitudine amittemus.*

Die Iohannis Baptistæ.

DE NATIVITATE ET CIR-CUMCISIONE IPSIUS ET CANTICO ZACHARIÆ.

Evangelium Luc. 1. à v. 57. usq; ad fin.

PRÆFATIO SUPPLEX.

IN nomine Jesu invocabimus Deum patrem, ut detur nobis Spiritus sanctus, qui aperiat os mutum & surdas aures nostras, illuminetq; corda & animas, quò egomet virtute ipsius possim præparare viam Domini in cordibus vestris, & communicare vobis sapientiam justorum per remissionem peccatorum; vosq; mecum confirmari in fide, laudare Deum & servire ipsi in sanctitate & justitia, ut potiamur & fruamur pace æterna. Pater noster, &c.

Exordium Propheticum.

Psal. 132. v. 16. 17: Sacerdotes ejus induam salute, & sancti ejus exultando exultabunt, ibi oriri faciam Cornu ipsi David, parabo lucernam Christo meo. Quis non videt apertissimè hæc in hoc textu tractari? siquidem Zacharias exultat, & laudat linguam muti. Esa. 35. v. 6. Et Christus veluti etiam 1. Sam. 2. v. 10. ab Hanna dicitur Cornu uncti. Et Johannes, sicut etiam à Christo Johan. 5. v. 35. Lucerna ardens & lucens.

BREVIS SUMMA ET DISPOSITIO METRICA.

EFfœta mater parturit.
Congratulantur plurimi.

Infansq;

Infansq; circumciditur,
Nomen Johannis inditur.
Sermone reddito Senex
Deum Patrem quod visitet,
Christum celebrat quod liberet,
Quod hæc revelet Spiritum.
Simul canit de filio
Quod sit Propheta Altissimi
Christo viam qui præparet,
Veram docens sapientiam.

TRIPLEX HOMINIS CHRISTIANI RECREATIO EX HOC TEXTU.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. Quod Deus non sit alligatus ad leges naturæ vel causas secundas, sed magnificus & potentissimus liberrimè agat, detq; sobolem etiam effœtis matronis, &, quod Psal. 113. inter præcipuæ misericordiæ ac potentiæ divinæ opera numeratur v. 9. constituat sterilem matrem filiorum lætantem. Sic Abrahæ cum natus esset annos centum & Saræ nonagenariæ datus est filius Israëlitica Gentis pater, Rom. 4. Ebr. 11. petra & fons unde excisi atq; eruti sunt Judæi. Esa. 51. v. 1, & 2. Sic Annam filio Samuele donavit quem & ipsa Deo consecravit, 1. Sam. 2. nec non Manoæ uxorem. Jud. 13. v. 3. Et h. l. scriptum extat, quod fecerit Deus misericordiam magnificè cum Elisabetha, Luc. 1. v. 58. uxore Zachariæ quibus non erat proles, quod Elisabeth esset sterilis, & ambo provecti ætate v. 7. Dilationemq; Deus donatorum filiorum excellentiâ compensavit. Insigne ita q; misericordiæ divinæ testimonium est, ubi piorum thorus legitimus sobole decoratur, Psal. 127. & fructu ventris v. 3. qui merces ac donum Dei est & benedictio. Gen. 3. quam Rahel à marito suo, Gen. 30. v. 1, cum acriter postularet, ipse respondit: Nunquid pro

Deo sum, qui prohibuit à te fructum ventris? Illi quibus proles copiosa est judicant quidem commodiùs trahi vitam in matrimonio sterili. Sed prole carentes contrarium statuunt, quod sic possimus Dei cultores post nos relinquere, & laborum nostrorum haeredes, & nominis nostri propagatores, atq; thesaurum hunc Deo reddere. Scortatores nollent liberis donari, quin & datos sæpius trucidant. Dat tamen Deus justus & bonus, ut accusent parentes in die novissimo. Sap. 3. Dantur quoq; improbis, ut & hoc bono fruantur in vita sua & justior sit eorum damnatio. Dantur tandem pijs egenis, qui fortè nec optarent, sed minùs consideratè; quoniam numerosa proles bene educata omnes superat divitias, nimirum: quia Angelis circumdantur, & precibus suis benedictionem impetrant nobisq; & sibi Deum reddunt propitium.

II. Quod Johannes Zachariæ filius sit Prodromus Christi promissus & lucerna ante Messiam præcedens, de quo Psal. 132. & Esa. 40. cap. v. 3. ante annos 750. & Mal. 3. v. 1. Ante annos 450. cap. 4. v. 5. prædictum fuit. Felix qui Prophetas, qui Angelos, qui Evangelistas & ipsum Jesum habuit commendatorem, quem Prophetæ appellant Angelum, Mal. 3. Angeli magnum coram Domino prædicant, Christus Dominus maximum inter natos mulierum testatur. Matth. 11. Evangelistæ verò gesta ejus & sanctitatem literis commendarunt. Sicut lucifer ante Solem exoriens Solis proximum adventum prænunciat: ita Baptista ceu spiritualis quidam lucifer Solis justitiæ adventum mundo annunciavit, quia venit ut testimonium perhiberet de lumine. Joh. 1. Tantusq; splendor vitæ & doctrinæ ejus spectatorum & auditorum oculos aureisq; perstrinxit, ut non lucifer ante Solem, sed ipse Sol crederetur, cujus se tamen corrigias solvere indignum confessus est. Inter omnia quæ hominibus credenda proponuntur maximè arduum & difficile erat, ut homines hominem inter homines versantem, humanæq; vitæ pœnis ac doloribus obnoxium verum & omnipotentem esse Deum crederent. Ideo Johannes locupletissimus ante illum testis præmissus est

Chri-

Christumq; digito monstravit & viam Domini præparavit: 1. Doctrina, eadem docens quæ in Catechismo comprehenduntur. 2. Vita & moribus. 3. Morte. Matth. 14. Marc. 6. Luc. 9.

Docuit Johannes eodem quo nos modo, monstrando:

1. Fidei Confirmationes. *Tres esse in unitate essentiæ divinitatis personas, quas & ipse vidit. Matth. 3. De Patre & Filio loquitur Joh. 3. de Spiritu sancto. Matt. 3. Marc. 1. Luc. 3. Duas esse in Christo naturas. Johan. 1. v. 27. Mich. 5. De officio Christi, quod tollat iniquitates nostras. Joh. 1. Esa. 53. Mich. 7. De Ecclesia eam non esse alligatam ad posteros Abrahæ. Matth. 3. De Justitia Fidei, quod accipiamus gratiam ex abundantia Christi. De novissimo die & vita æterna, Luc. 3. quod Christus habeat ventilabrum in manibus, purgaturus aream suam.*

2. Fidei Fructus. *Ut agatur pœnitentia, Matth. 3. dolendo & credendo, nec quis capiat plus justo; sed stipendijs suis contenti, Luc. 3. v. 12. 14. etiam illi qui duas habent tunicas alteram dent indigenti. Thorus quoq; servetur immaculatus, quam ob causam non quidem parabolâ velut Davidem Nathan; sed verbis manifestis Herodem taxavit.*

3. Fidei finem. *Quod coget Christus triticum in horreum suum. Luc. 3. v. 17.*

Officij cursum Johannes intra duos annos absolvit, uno quidem in carcere detentus Macheruntico. Altero docuit in Bethabora, Ennon & Herodis aula. Miracula ut sic à Christo dignosceretur nulla fecit, sed tota vita ejus fuit miraculum & virtutibus quamplurimis ornatissima: quia in ipso eluxit ingenua Dei confessio, vera humilitas, modestia in vestitu, temperantia in victu, assiduitas in officio, & constantia ad finem. Quoniam nec promissis inescatus, nec minis fractus est.

III. Quod Jesus Christus Unctus Dei, sit Messias & Cornu salutis unicum; quia oblationum Mosaicarum & ceremoniarum de-

mactan-

mactandis pecoribus jam finis erat, idq; non in domo Levi sacerdotali, sed in domo David erectum est in salutem Aaronis & omnium credentium: nec per legem justificamur. Ideoq; Zacharias obmutescit & veteri Testamento quodammodo valedicit, praco autem novi Testamenti propter salutare officium Johannes *appellatur, quod gratiam Dei praedicaturus sit, quod per fidem propter meritum sanguinis Christi habeamus remissionem peccatorum, quæ non emitur nec jure capitur hæreditario, nec operum meritis acquiritur. Sed donum Dei est in Christo Jesu Rom. 6. Johan. 1. per viscera misericordiæ divinæ. Sicut locutus est Deus & loquitur adhuc per organa Spiritus sancti, 2. Sam. 23. 2. Cor. 5. 1. Pet. 1. Matt. 10. v. 20. Luc. 16. per os ministrorum Verbi, quos ipse novit, Jer. 1. v. 5. antequam formarentur in utero. Et sanctificatos dedit præcones Gentibus in diversis locis, quæ nec ullam in novissimo die prætendent excusationem, quod illis Evangelium non fuerit occultum.*

In præconibus ejusmodi requiruntur bis Tria: 1. Divina electio, ut Deus faciat eos ministros Novi Testamenti & Spiritus sancti idoneos. 2. Cor. 3. v. 6. Sic Apostoli dicuntur electi, Johan. 15. & Paulus vas electum. Actor. 9.

2. Honesta procreatio ex legitimo thalamo, in quo Apostolos & eorum successores vixisse testantur exempla Petri, Philippi, Polycarpi, Tertulliani, Hilarij, Spiridonis, Basilij & Nazianzeni. Spurij à ministerio in veteri Testamento excludebantur. Deut. 23.

3. Manus & benedictio Domini, sine qua non: illaq; mox elucet sicut in hoc puero, & in Athanasio. Ruff. lib. 10. cap. 14. Sicut è contra Basilius maturè prævidit Julianum fore Tyrannum: quia agnoscitur leo ex unguibus. Et Urit maturè quod vult urtica manere.

4. Ardens oratio & pia apud Deum intercessio, qualis & Monicæ fuit pro Augustino.

5. Bona educatio & pia institutio, qua in parte Basilius & Gregor. Neocæsar. maximè prædicant parentum & nutricum diligentiam.

6. Labor

6. *Labor assiduus in prædicando ne lumen absondatur, Luc. 8. nec defodiatur thesaurus. Matth. 25. Nec quis subterfugiat ceu Moses, Exod. 3. Jeremias cap. 1. & Jonas cap. 1.*

II.

Fructus Fidei Triplex.

I. Ut parentes prole felices tantum Dei donum grati agnoscant, vicini vicinis congratulando bene precentur, Ruth. 4. v. 14. & gaudeant cum gaudentibus, Rom. 12. ut sic vicinus propinquus sit melior fratre remoto. Prov. 27. Nec differant parentes sobolem suam per fœdus gratiæ Deo offerre. Circumcisio quod esset cruentæ ad octavum diem delata est, Gen. 17. & moram propter in summo periculo fuit Moses. Exod. 4. Cum baptismo autem cui certum tempus positum non est, quod infantes sine hac regeneratione, Johan. 3. non intrent in Regnum Dei, properandum esse, quis non videt? Imbecillioribus pro temporis qualitate vel domi conferatur Baptismus, sicut & Johannes domi circumcisus videtur propter colloquium matris. Deniq; nullum non moveant lapidem parentes ut pueri in timore Domini educentur. Eph. 6. & flectant eorum colla à teneris, nisi velint colla sua confringi cum Eli: 1. Sam. 4. quia cum pueri tenelli flectantur veluti cera,

Blanda patrum segnes facit indulgentia natos.

Et Diogenes dixit se malle Megarensium esse caprum quàm filium, quod præceptore posthabito plures alerent opiliones, sicut & nos, dolor heu, magis solliciti sumus de gallis & de porcis quàm de pueris.

II. Ut exemplo Zachariæ, qui non tantùm pro filio dato, nec tantùm pro resoluta lingua quæ duo magna erant beneficia, sed pro summo bono; exhibito sc. Messia Deo gratias egit, resolvamus os nostrum in laudes Domini, & linguis nostris prædicemus bonitatem Dei viventis, primum & postremum verbum sit de operibus Dei, pueri quoq; nostri, quorum lingua ad annum vel ultra quasi ligata videtur, ab infantia discant sonare laudes Dei & invocare nomen

Jesu. Lingua nostra membrum est exiguum, sed nisi coërceatur turpe ac luctiferum, Psal. 10. 53. 120. Jac. 3. vel arces diruens. Syrac. 28. Monet itaq; Paulus Eph. 5. ut gratias agamus Deo patri in omnibus & prædicemus virtutem ejus, 1. Pet. 1. qui nos ex tenebris vocavit ad lucem. Sitq; Symbolum nostrum illud Psalmographi Psal. 103. v. 1. Psal. 146. v. 1. 2. Lauda anima mea Jehovam, laudabo Jehovam in vita mea, psallam Deo meo quamdiu hîc ero.

III. Ut quoniam liberati sumus ab hostibus nostris non obducamus oblivionem tantæ liberationi; nec tanta Dei bonitate ad peccandi licentiam abutamur; nec recurramus ad Satanæ vincula, sus ad volutabulum. Deo qui nos ex mera misericordia ab hostibus redemit servi facti sumus, nec tenui pretio redemti sumus: 1. Pet. 1. v. 18. sed pretioso sanguine Christi agni incontaminati. Ne contemnamus ergo tantum pretium, nec id quod tam pretiosè redemtum est, ô misera anima quæ contemnit semetipsam! Sed conversatio nostra sit in timore Domini, voluntas Dei est nostra sanctificatio, 1. Thes. 4. ut serviamus Domino non veneri & ventri, mammonæ & mundo; nec tantum die Dominica, vel illa tantùm qua confessi sumus, vel in senectutis tantùm fecibus; sed ab initio ad vitæ usq; terminum ut nos finis coronet, Matth. 10. Apoc. 2. & in utraq; fortuna absq; timore servili, Rom. 8. non in statutis hominum: sed ejusmodi operibus juxta præscriptum legis, quæ Deo placent, Matth. 15. in vera fide. Rom. 14. Ebr. 11. Apparuit enim salutaris Dei gratia omnibus hominibus, Tit. 2. v. 11. 12. erudiens nos, ut abnegata impietate & mundanis cupiditatibus moderatè & justè, & piè vivamus in præsenti seculo, simusq; studiosi bonorum operum. v. 14. Ut quoniam nobis ortus est Sol Justitiæ & dies appropinquavit, Rom. 13. abijciamus opera tenebrarum, nec truculentarum bestiarum more noctu grassemur; sed fugiamus leonum rapacitatem, ursorum furtum, vulpinam fraudem, porcinam ingluviem, caninam avaritiam. Ne quid quod claritate lucis divinæ indignum sit in nobis appareat.

III. Tri-

III.

Tripudium Fidei Triplex.

I. *Quod Christus sit Cornu roboris & salutis, quo confracta est vis hostium nostrorum. Gen. 3. Psal. 110. Rom. 14. Cornu enim in Ebræo significat Regnum & potentiam. Et Dan. 7. quatuor Monarchiæ cornua dicuntur. Christi autem Regnum fine caret. Et ipse est cornu copiæ & unctionis in quo nos coram Deo sumus Regale sacerdotium, sancti Reges & Sacerdotes: Apocalip. 5. v. 10. 1. Pet. 2. v. 9. quia in veteri Testamento Reges & Sacerdotes ex cornibus ungebantur. 1. Sam. 10. & 16. Est tandem cornu refugij & Asylum nostrum in perpetuum. Erant quidem altaria in veteri Testamento jussu divino cornibus ornata in quatuor angulis, Exodi 27. v. 2 Exod. 38. v. 3. quæ dicebantur asyla profugorum; sed tamen non absq; exceptione rata aut firma. Legimus enim 1. Reg. 1. v. 50. quod Adonias timens sibi à facie Salomonis tenuerit cornua altaris, miseritq; Salomon servos ut illum inde abducerent, v. 53. & occisus est. 1. Reg. 2. v. 25. 1. Reg. 2. v. 29. quod Joab apprehensis in tabernaculo cornibus apud altare percussus sit. Nos autem à Christo asylo nostro non divellemur in perpetuum.*

II. *Quod per Christum liberati simus à manu hostium, qui nos oderunt & persequuntur usq; ad mortem, quæ illorum postremus est, 1. Cor. 15. v. 26. in hac mundi miseria. Ideoq; nemo condemnabit nos, Rom. 8. ab inferno, Ose. 13. à captivitate, Psal. 68. de lacu mortis, Zach. 9. & insultu Dæmonum planè ereptos; sed perpetuùm in Christo securi agemus, & in omni sanctitate Deo inserviemus: quia cessante corporis & mentis mutabilitate liberum arbitrium erit liberatum, ut quod volumus possimus, & quod possumus rectè velimus. Giselbert.*

III. *Quod Sol Justitiæ illuminatos in umbra mortis nos per viam pacis traducat in pacem & gaudium infinitum, ad lumen incircumscriptum. Ubi perpetua erit jucunditas, quæ, teste August.*

excedit omnem cogitatum. Oculus non vidit, quia non adest color. Auris non audivit, quia sonus non est. Nec in cor hominis descendit, quia non est terrena cogitatio. Idem de triplici habitaculo Dei cap. 10. Regnum Dei est plenum lucis, pacis, claritatis, sapientiæ, gloriæ, honestatis, dulcedinis, misericordiæ, lætitiæ, beatitudinis perennis, & omnis boni ineffabilis, quod nec dici nec cogitari potest. Idem: Erit superfluitas omnium bonorum, jucunditas omnium beatitudinum, cumulus felicitatis, & superabundans lætitia. Nam Deus implebit rationale nostrum luce sapientiæ, ut penitùs nobis nihil desit de sapientia. Bernard. Implebit concupiscibibile nostrum fonte justitiæ ut omninò desideremus eam, &c. Augustin. O Deus tu verus Sol Justitiæ mira tuæ pulchritudinis visione mentes reficis, & ita universos cœlestis patriæ cives illuminas, ut luceat ipsis lumen, videlicet illuminatum per divinum lumen, illuminans ultra omnem Solis nostri splendorem, atq; cunctarum stellarum claritatem, immortali adhærentes Deitati, ac per hoc immortales & incorruptibiles factos, ut juxta promissionem Christi videant claritatem ejus. Propter hanc gloriam Moses parvifecit divitias Ægypti, Ebr. 11. & Daniel magis splendidè evectus quàm Joseph, quod in regno Persico in quo ille post regem primas tenebat 127. essent provinciæ, potius leonibus obijci, quàm hoc lumine spoliari elegit. Zachariasq; cũ gnato Johanne quos in luce æterna videbimus, hujus æterni luminis ardore mortem non gravatim oppetierunt.

Hîc quod Zacharias accuratè descripsit, vita nostra est umbratica, fallax, umbra, & umbræ somnium. Jacob. 4. Primò enim sicut umbra res est evanida, quæ quidem videtur sed non apprehenditur nec tenetur, nec est nisi adsit corpus umbram faciens: sic prorepunt juncto vitaq; morsq; pede. Secundò sicut umbra assiduè movetur nec subsistit, nec retrahitur, nisi in diebus Josuæ & Zedechiæ, si quoq; Sol nubibus tegatur, nec umbra appareat movetur tamen, & Sole occidente evanescit: ita vita nostra in ægritudine & gaudio semper vergit ad occasum & fugiunt freno non remorante dies. Tertiò

umbra

umbra ad occasum Solis in orientem projecta longissima apparet; sic ubi optimam de vita spem fovemus rumpitur & aufugimus, Psal. 90. in oriente Christum expectantes. Psal. 68. Cujus claritate immensa illuminati fulgebimus in Regno cælorum.

Hîc, quod Syracides inter res novem cogitatione sua beatas primum judicavit, cap. 25. v. 10. multi homines in vita sua ex liberis lætitiam sibi reddi optant, nec eam consequuntur; siquidem pueri multoties degenerant, Noha, Jacob, Eli, David viri honesti improbam genuerunt prolem. Ne præteream, quod sæpius peccata seminis puniantur in semine, multisq; noceat blanda educatio, quod de filijs Eli codex sacer commemorat. 1. Sam. 2. Alij divitias injustè quæsitas cumulant, easq; pueri impiè educati postea dispergunt. Interdum honesti liberi ab improbis procreantur parentibus. 2. Regum. 18. Achas filium optimum post se reliquit. Augustus Imperator, percepta sobolis & nepotum perversitate, dicere solitus fuit: O utinam cælebs essem vel prole carerem. Sæpius pij homines etiam sancti Evangelij ministri supplice voce precati sunt tanta felicitate à Deo donari, ut ante eorum obitum vel unica filia bene elocaretur, nec voti compotes facti sunt. Zachariæ ab Angelo Gabriele expressè promittebatur de hoc filio, Luc. 1. v. 14. & ipse erit gaudio tibi & exsultationi, multiq; super ejus nativitate gaudebunt. Quis autem non videt Zachariam plus doloris, quàm gaudij coram mundo in hoc filio adeptum esse? Si enim, licèt alij aliter de morte Zachariæ scripserint, ipse pater, quæ vulgaris Theologorum sententia est, cum Mater Elizabeth, teste Niceph. lib. 1. cap. 4. propter tyrannidem Herodis effugiendam cum infante secessisset in desertum prope Adunim, ubi Elias & Elisæus vixerunt, quod infantem cujus nativitas in tota montana regione Judææ divulgata erat Luc. 1. v. 65. sicarijs prodere nollet interfectus est, non gaudij sed mortis ipsi causa fuit. Si quoq; parens ad annum ætatis 30 filij hujus superstes fuisset, qui cursum officij intra duos annos absolvit, uno quidem incarcere detentus Macheruntico, ubi & caput ense revulsum est,

materia illa exultationis exigua coram mundo fuisset. Si modò opulentioribus ejusmodi offerretur gnatus, agnita conditione vix latarentur, nec eum in scholam mitterent. Sed pondera ô homo quid sit Rex damnandus & Mendicus salvandus, Matt. 16. v. 26. hic si quoq; cæcus sit & claudus ô felix animi divisq; simillimus ipsis. Johannes non fuit dives agris positisq; in fœnore nummis, sed tenui vestitu & cibo viliori contentus, & tamen, Christo teste, maximus inter natos hominum, jamq; corona gloriæ redimitus. Zacharias hunc filium suum spiritualibus oculis intuetur, prævidetq; ipsum honore & divitijs in mundo haud auctum iri, nihilominus in spiritu exultat quod sit Organon Dei electum, licèt in exilio educandum & decollandum, & quod ipsi de filio hic negatum est gaudium in vita æterna obtinuit.

Sic ergo Lazari matrem licèt attenuatam gaudere oportuit, Epulonis autem genitrix licèt sex filijs suis sat divitiarum reliquerit, fuit infelicissima. Verè itaq; scriptum est Prov. 15. v. 20. quod filius sapiens lætificet patrem, Eccl. 4. v. 13. quod melior sit puer pauper & sapiens Rege sene & stulto, qui nescit admonitionem recipere amplius, qualis fuit ipse Salomon quæ hæc scripsit, quamvis cap. 1. gloriatur de sapientia sua. In futura certè vita illi qui præmissi sunt cotidie subsequentes cum gaudio excipiunt, nec instituitur quæstio de sylvis, agris, prædijs, vel nummis hîc relictis; sed de fide ac pietate. Lætaturq; Adam cum Noha & Japhet posteros suos ad se congregari, inprimis Adam pater & primus proditor omnium. Sicut modò quis ex se prognatos & sibi agnatos hostibus prederet, sed ipse elapsus alios alteriùs opera ac merito liberatos ad se videret recolligi. Sic Abraham Lazarum gremio suo excepit, nosq; excipiemur cum exultatione & ex tota anima congratulabimur, congratulabunturq; vicini & agnati. Ita sanctorum historiæ non tantùm ostendunt mirabilem Ecclesiæ successum, nec tantùm monent ejusmodi divina beneficia agnoscere & gratias agere; Sed etiam

ex va-

ex varijs eorum casibus animos obfirmare, eorum pœnitentiam, fidem & constantiam imitari, & pijs suspirijs eorum petere consortium, ut sic promtiores moriamur.

Die Visitationis Mariæ.

DE CONVENTU EIUS CUM ELISABETHA.

Evangelium Luc. 1. à v. 39. usq; ad v. 57.

PRÆFATIO SUPPLEX.

UT imitati exemplum Mariæ & Elisabethæ in spirituali hac Synodo, vel conventu Christiano piè de Deo cogitare credere & loqui possimus, in gloriam nominis divini & animarum nostrarum salutem, quæ duo Deus unicè quærit, sic ut anima nostra & in hac & in futura vita possit magnificare Dei misericordiam, potentiam, ac veritatem, & spiritus noster perpetuò exultet in Deo salutari nostro, orabimus nos à Deo patre illuminari Spiritu sancto, per & propter Christum. Pater noster, &c.

Exordium ex Propheta.

GEn. 49. v. 10. *Non recedet Sceptrum ex Juda, nec legislator de pedibus ejus, donec veniat Siloh. Idq; impletum esse docet hodiernum Evangelium: Postquam enim Herodes pios Doctores interfecerat, & Zacharias propter incredulitatem factus erat mutus, pauciq; in templo inveniebantur, qui promissionem de Messia rectè explicarent, piæ mulieres in sancto suo concilio de eo collocutæ sunt cum vero gaudio.*

PERIOCHE ET DISPOSITIO TEXTUS METRICA.

PRoperante Messiæ pede
Montana mater transiens In-

In urbe Judæ gaudium
Precatur agnatæ in Deo.
Salute dicta infantulus
Sub corde matris se movet,
Et ipsa gaudens prædicat
Fœtum, Fidemq; virginis.
Sed virgo sancto cor Dei
Manum atq; linguam Cantico
Celebrat, domum revertitur
Versis tribus Lunæ orbibus.

TRIA PRO CONSEQUENDO ÆTERNO GAUDIO EX HOC TEXTU.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. Quod Deus sit misericors, omnipotens & verax: quoniam misericordia ejus quam abundè declaravit, parata est ubiq; in omnes ætates timentibus ipsum. Luc. 1. v. 50. Et potentia ejus infinita est, qui dissipat sapientes mundi superbos in mente cordis sui, Syr. 10. detrahitq; potentes è thronis, & divites evacuat. Adhæc Deus est veritatis & promissionum suarum servantissimus, Gen. 12. 18. 22. 28. 2. Reg. 7. 1. Par. 18. nec mutatur. Mal. 3. 1. Cor. 10. Ergo non rapiemur de manu ejus, nec in sepulchro manebimus. Bernard. Tria considero in quibus tota mea spes consistit: 1. Charitatem adoptionis. 2. Veritatem promissionis. 3. Potestatem redditionis. Murmuret jam quantum voluerit insipiens cogitatio mea dicens: Quis es tu? aut quanta est illa gloria, quibusve meritis hanc obtinere speras? Et ego fiducialiter respondebo: Scio cui credidi, & certus sum, quia in charitate summa adoptavit me, quia verax in promissione, quia potens in exhibitione: licet enim ipsi facere quid voluerit. Hic est funiculus triplex qui difficillimè rumpitur, quem nobis à patria nostra in hunc carcerem usq; dimissum firmiter obsecro teneamus, ut

mus, ut ipse nos sublevet, ipse nos trahat & pertrahat usq; ad conspectum magni Dei. Et hoc notandum contra funiculum triplicem ex peccato originali & actuali atq; prava peccandi consuetudine compactum, quo se Augustinus vinctum fuisse queritur his verbis: Vinctus eram non ferro, sed ferrea mea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & de me mihi catenam fecerat atq; constrinxerat. Ex voluntate quippe perversa facta est libido. Et dum libidini non resistitur secuta est consuetudo, qua ceu catena vinctus in peccato tenebar. Sed Deus nobis manum porrigit, quam nos manu fidei apprehensam tenemus & educimur sicut Loth de flammis. Si quoq; aliquandiu differat Deus, promissum tamen non auferetur: quia pepigit nobiscum pactum sempiternum. Esa. 55. v. 3. Et servabit Jacobo fidem, Mich. 7. Verbumq; Domini manebit in perpetuum. Psal. 33. Luc. 21. Abac. 2. v. 3.

II. Quod conceptus sit Filius Dei Deus & Dominus noster in utero virginis & apparuerit Messias; Psal. 84. dum Verbum caro factum est. Johan. 1. Et Dei misericordia, justitia atq; veritas ceu tres manus Filium Dei ex sinu Patris protraxerunt. Idq; confirmatur triplici testimonio: 1. Elisabethæ quæ ex animo gaudet ob præsentiam matris Dei, & prædicat fœtum uteri Mariæ, atq; triplicem edit Prophetiam: quia præterita se agnovisse ostendit cum ait, Beata quæ credidisti. Sicut & Moses præterita de cœli, terræ & hominū creatione historicè descripsit. Futura indè prædicit, quod perficientur ea quæ dicta sunt. Tandem præsentia tamen nec rationi cognita exponit, quod Maria sit mater Domini. 2. Testimonium est Baptistæ, qui adhuc in utero latens præcursoris officium inchoavit, non maturus ad ortum & jam maturus ad officium; Luc. 1. v. 15. Joh. 1. v. 8. quia in utero materno Prophetam agit, adorat, tripudiat & adventum Christi annunciat. 3. Est Mariæ consentientis & prædicantis Dei misericordiam, quæ Fide omnes Sanctos superavit; dum Gideon, Jud. 6. Ezechias, 2. Reg. 20. Zacharias, Luc. 1. & ipse Abraham ut minora crederent signa petierunt. Confirmant eadem

fidem nostram de hoc puero quod sit Deus & homo; dum Maria vocatur Mater Domini, *in quo duæ naturæ unitæ unam constituunt personam. Psal. 110. Matth. 22. Misit enim Deus Filium suum, Galat. 4. ipse est Jehovah qui venit, Apocalip. 1. Deus & homo, 2. Samuel. 7. Phil. 2. proximus Deo, Zachar. 13. Psal. 2. & proximus nobis, Luc. 10. caro nostra Ephes. 5. verus benedictus atq; benedicens, qui nos ab omni maledicto liberat: Gen. 3. 12. & 22. quoniam* noster *est* JESUS *Dominus Redemtor & Salvator* noster, *Johan. 20. v. 28. quem manu Fidei cum omnibus meritis ejus apprehendimus, arreptumq; certa fiducia per promissiones tenemus. Quia in nomine ejus baptizati sumus, nec abnegabit semetipsum, cum nos simus imbecilles, egeni, & mendaces, ipse potens & bonus semper fidem servat. Ambros. In Deo homo erat & Deus in homine, ut ex utroq; esset Mediator, & utrumq; reconciliaret. Hinc tandem certò constat nos per Fidem in hunc* ἀνθρωπον *salvari, Act. 15. v. 11. & hic consensus est unanimis totius scripturæ sacræ. Gen. 15. Esa. 53. Abac. 2. Actor. 10. Rom. 3. 4. Galat. 2. 1. Pet. 2. Retineturq; in Ecclesia hæc propositio: Homo justificatur gratis absq; operibus* Sola Fide, *quæ sola est sustentatio nostra in omnibus angustijs in agone & media morte, ubi natura trepidat, & longè lateq; circumspectat, omnesq; fidæ carnes nullo oblato præsidio desperant. Nos autē vitā in media morte invenimus, & morientes mundo vivimus Deo, qui nobiscū est, Ps. 23. ut in pace dormiamus. Ps. 4.*

III. Quod, licèt Mulier prima peccaverit, Gen. 3. v. 6. 1. Timoth. 2. v. 14. sitq; vas fragile; nec admittatur ad docendum, 1. Tim. 2. v. 12. 1. Cor. 14. v. 34. & 35. fœminæ tamen sint cohæredes gratiæ, 1. Pet. 3. v. 7. sine respectu personarum: Act. 10. quia in Christo non est neq; mas neq; fœmina, Gal. 3. sed fœminæ & virgines Deum laudabunt. Voluit ergo Deus in defectu Prophetarum hanc synodum celebrari à sexu fœmineo, cujus de prece principium de prece finis erat, adfuitq; veneranda Trinitas. Matth 18. Joh. 14. Et Maria flosculos sive mel Cantici sui tanquam apicula ex sacra-

scriptura

scriptura congessit. Et multoties per vasa ejusmodi fragilia res magnas Deus effecit, h. l. per Elisabetham, Luc. 2. per Hannam Phanuelis de Filio Christo testatur, primaq; de resurrectione Christi testes fuere fœminæ. Matth. 28. Marc. 16. Sic confundit Deus sapientiam hujus mundi, 2. Cor. 4. ut nomini suo det gloriam, Ps. 115. perficiaturq; virtus ejus per infirmitatem. 2. Cor. 12. v. 9. Imò ex ore parvulorum & lactentium fundavit fortitudinem propter inimicos suos. Psal. 8. v. 3. Quapropter nullo modo dubitandum de salute infantium nostrorum, vel in utero, vel ante susceptum Baptismum defunctorum: quia Deus in illis operari potest sicut hoc loco in Johanne. Licet enim homines obligaverit ad media ordinata, se tamen ipsum haud ita incluserit, quin in casu necessitatis absq; medio fidem infantibus largiri velit. Sic in deserto 40. annorum spacio infans nullus fuit circumcisus, quod patienter Deus ijs condonavit; nec juxta comminationem Gen. 17. ex libro vitæ deleti sunt, quod privatio hæc esset sine contemtu. Elias flammas cum lacte suxisse legitur, Jeremias vocatus est ab utero, & Spiritus sanctus idem in infantibus operatur, ipsos illuminat, Fidemq; in ipsis obsignat. Hinc contra Anabaptistas insigni concione, Matt. 18. affirmat Christus infantes credere in filium Dei. Idq; probatur: 1. Quia Spiritus sanctus cum sua operatione alligatus non est ad rationem humanam fidei maximè contrariam. Nec hîc Johannes ratione usus est in utero. 2. Homo dormiens nihil ratiocinando, vel in somno decedens, sicut & morbi violentia rationem amittens, tamen beneficio Spiritus sancti fidem retinet. 3. Infantes Deo placent. Marc. 10. Oportet igitur eos fide esse instructos. Jerem. 5. v. 3. Ebr. 11. v. 6. 4. Ad infantes judice Christo, Marc. 10. v. 14. pertinet Regnum cælorum. Ergo sunt in cætu credentium, Joh. 3. Marc. ult. non incredulorum & damnatorum. 5. Marc. 10. v. 15. Qui non acceperit regnum Dei ut puerulus nequaquam in id ingredietur. Ergo necessariò sequitur ipsos virtute Dei capaces esse fidei: quia nos non reddimur hæredes vitæ æternæ per aliud medium, nisi per fidem in

Jesum Christum, quam in casu necessitatis extraordinariè, aliâs per balneum Regenerationis operatur Deus in infantibus.

II.

Fructus Fidei Triplex.

I. Ut respicientes ad Deum ipsi commendemus vias nostras, nec longum iter pro confirmanda fide suscipere gravemur, Deoq́, quod & Maria, soror Mosis, Exod. 15. Debora, Jud. 5. Anna mater Samuelis, 1. Sam. 2. Judith. cap. 16. feciſſe leguntur, non tantùm ore & verbis, sed anima & spiritu laudes offeramus, psallamusq́ in cordibus nostris in Jesu Salvatore nostro, Psal. 103. Eph. 5. Phil. 4. tam fœminæ quàm viri. Psal. 148. Animæ siquidem nostræ finis ille est, ut abjectis rebus terrenis vilioribus supra mũdum assurgens in Dei contemplatione semper oculos habeat defixos, sicut ignis semper purior ad sphæram suam contendit. O quàm cõtemta res est homo, nisi supra humana se erexerit, inquit Seneca; nec nati sumus, ut cibos & potiones percolemus, ut hoc fluidum corpus, quod nisi subinde impleatur, periturum est semper farciamus, & mortem, cui omnes nati sumus, timeamus. O miseros homines, qui vix aliquid vero homine dignum aggrediuntur, sed immodico studio, quasi nihil ipsis in cœlo sit reconditum, oculos in terram declinant, & prono in terram corpore, Jud. 7. v. 6. sese super genua ad bibendum incurvant, hoc est, qui mentem & animam, corpusq́ & omnes corporis sensus, qui spes curasq́, & cogitationes suas in res fluxas & evanidas abjecerunt. Quare & ab exercitu Dei pelluntur, indigni qui militibus Christianis, Dei servis annumerentur.

II. Ut respicientes ad proximum ipsum amicè visitemus, ipsi opera dilectionis exhibeamus fraterna charitate alij ad alios amandos propensi, honore alijs alij præeuntes, Rom. 12. v. 10. Eph. 4. v. 2. 1. Pet. 2. v. 17. in utroq; sexu. Sic Ruth adhæsit socrui suæ Ruth. 1. v. 16. Et Maria longum iter emensa est, amore colloquij sacri sitiens, Psal. 42. ut amitæ suæ quæ jam in senectute conceperat, bene precando

precando gratularetur, ipsiq; operam navaret ante & post elucta-tionem ex partus doloribus.

III. Ut respicientes nosmetipsos imitando vestigia Mariæ si-mus humiles; cum enim mater esset seminis benedicti, Gen. 13. 18. 22. Deipara, Esa. 7. agnatam per montana visitavit, agnoscens se gra-tiam invenisse. 1. Cor. 4. August. in Joh. 8. Agnosce Deum qui su-pra te est, ut agnoscant te qui infra te sunt: quia Daniel timens Deum honoratur à leonibus. Simus pudici, quia ipsa cum festinatio-ne iter absolvit, nec moras in via trahit, aut vana oculis perlustrat, sed ipso incessu probat castitatem, modestiam & verecundiam. Sic Ezech. 1. sacra animalia ad impetũ spiritus ibant & redibant summa cum celeritate, in similitudinem fulguris coruscantis. Sic describitur properans Abrahami obedientia Gen. 17. quod nonagenarius eadem ipsa die ipse & Ismaël filius & omnes vernaculi circumcisi sint. Gen. 22. quod ipsa nocte filium Isaac immolandum excitaverit. Gene-s. 18. Quod festinãter convivium Deo adornaverit, de quo Origen. Nullus piger est in domo sapientis, omnes ad parendum celeres, omnes alacres & expediti. Abraham festinat, Sara festinat, festi-nat puer, &c. Sic properant Ninivitæ ad resipiscentiam. Jon. 1. Sic Act. 9. Paulus non verbis tantùm, sed reipsa dicit: Domine quid me vis facere? nescit enim tarda molimina Spiritus sancti gratia. Ambros. lib. 2. in Lucam. Surgitq; & properat amica Dei, Cant. 8. Impij contra lento incedunt gradu, parumq; multorum annorum circulis proficiunt. Hinc egestatem operatur manus remissa, Prov. 10. & 18. atq; tributis serviet. Ambros. Maria sera in domo, festina in publico, mansit apud cognatam tribus mensibus. Discite virgines non circumcursare per ædes alienas, non demorari in plateis, nullos in publico miscere sermones. Tit. 2. & 1. Tim. 5. Jubentur fœminæ do-mi vitam transigere, ut sint ornamentum domus. Gen. 18. Syr. 26. Hinc stantem in concha mulierem pinxit Apelles. Circumvagando facilè pudori macula inuritur, quod de Dina, Gen. 34. & Bethsabea, 2. Sam. 11. Codex sacer commemorat: quia

Nota puella nimis casta puella minus.

Et oculo nihil nequius est, Syr. 30. quod difficilius sit animum ubi aliquid pulchrum visu concepit purum & integrum conservare, quàm illum à videndo cohibere ipsa docet experientia. Commendaturq; ob hanc virtutem Alexander Magnus, quod, teste Plutarcho, Darÿ uxorem pulcherrimam aspicere noluerit, ne forma ejus captus aliquid sua majestate indignum committeret. Et Cyrus Darÿ filius, qui ab Araspe invitatus ut Pantheam egregia forma virginem adiret, si illam convenero cum per ocium vacat, respondit, fortè illa mihi persuadebit, ut neglectis regni negotÿs illam etiam cum non vacat conveniam. Simus tandem civiles, &, quod Matth. 10. v. 12. mandatur, quod Maria, & ipse Christus, & Angeli Luc. 1. præstiterunt, salutemus libenter, optantes nobis invicem pacem, *hoc est, omnia bona à Deo dari. Syr. 41. v. 25. Et pudeat nos coram salutantibus silentÿ.*

III.

Finis Fidei Triplex.

I. Quod, quoniam Johannes Baptista in utero matris, agnoscens ex salutatione Mariæ præsentiam Christi, salÿt, nos in novissimo die, ubi vocem Christi præsentis in adventu glorioso audiemus in sepulchris sub terra, quæ omnium mater communis est, Syr. 40. v. 1. prosiliemus lætam agentes resurrectionem, velut infans ex utero protractus, vel captivus ex tenebroso carcere prodiens. Nec alia est conditio vitæ nostræ, quàm si homo in profundo carcere subterraneo educatus nihil cogniti habeat de cælo & terra, de lumine & animalibus. Cui si quis enarret quàm splendida sit structura cæli, quanta sit lux Solis, quam varÿs ornata sit terra arboribus, fructu & floribus, sic de auro & reliquis metallis, de arcibus & domibus splendidis, Regumq; & Principum majestate & gloria vix crederet, nec intelligeret, aspiceretq; hæc singula cum singulari admiratione. Sic ergo & nos de ventre matris terræ extracti coram Deo intuebimur ἄρρητα seu ineffabilia. Lactant. lib. 3.

lib. 3. divinar. instituit: Magnum esse credis videre cælum atq; Solem. Cur non ipsius virtutem, prudentiam, potestatem metiris ante, cujus opera miraris? Veluti ergo Elisabetha ad Mariam dixit: Beata quæ credidisti; ita Angeli suo, hoc est, angelico modo, cum cantico, psalmodia & jubilo exclamabunt: O beata anima electa quæ credidisti; quia jam impletur quod tibi promissum est à Domino. Bonam militasti militiam, 1. Tim. 4. curriculum absolvisti, Fidem retinuisti, venisti ex tribulatione magna, Apoc. 7. & lavisti vestem in sanguine Agni. Laudamus te, Tu es de domo Domini. Ps. 118. Tu modò pervenisti ad Angelorum multitudinem. Ebr. 12. Et nobiscum opera Domini annunciabis, pax tecum, Allelujah.

II. Quod illic veniet Maria ad Elisabetham, ubi jam congregatæ sunt earum animæ cum animabus Johannis & Zachariæ in Electorum consortio, & nos cum jubilo veniemus ad agnatos & amicos in civitate sancta in domo Domini. Insigne fuit gaudium Elisabethæ ubi venit ad ipsam mater Dominis quia & Johannes in utero præ gaudio tripudiavit. Sic gavisus est Joseph de adventu patris in Ægypto, canumq; caput cum animi lætitia excepit. Sic Tobias de reditu filij secum adducentis novam nuptam, & mirabile collyrium immensum concepit gaudium. Sic qui manserunt cum Jeremia in terra Sancta, redeuntes de captivitate Babylonica cum summa jucunditate exceperunt. Sic nos de hac carcere liberati in novissimo conventu celebres agemus triumphos: Quia si crediderimus salvabimur, & verè exultabit spiritus noster in cælesti gaudio, eritq; in media morte vitæ melioris origo; cui comparata omnis aliunde jucunditas mœror est, omnis suavitas dolor est, omne dulce amarum, omne decorum fœdum, omne postremò aliud quodcunq; delectare posit molestum est: Cum Dei Bonitas in infinitum excedat omnem bonitatem creatam. Bernard. Hic Maria elapsis tribus septimanis discessit ab Elisabetha, præter dubium cum gemitu, sicut cum singulari gaudio ab ea erat excepta, nec postea forsan in hac vita amplius convenerunt; in venturo autem seculo perpetua erit cohabitatio.

III. Quod

III. Quod in fine seculi Deus esurientes implebit bonis immarcessibilibus, & humiles extollet, quod quidem multis cum Josepho, Davide, Esther & Daniele in hac vita contingit; omnibus autem credentibus, etiam Lazaris ulcerosis Luc. 16. in vita aeterna. O quanta evectio, quod non tantùm animam pij hominis caelesti sede Deus recipiat & coram se honoratam collocet; sed & putridum corpus è tumulo tractum glorificabit. Phil. 3. v. 21. Siquidem ut municipes caelorum nos gerimus.

Dominica III. Post Trinitatis.

DE OVE ERRANTE ET DRACHMA PERDITA.

Evangelium Luc. 15. à v. 1. usq; ad v. 11.

PRÆFATIO SUPPLEX.

EVigilate peccatores qui declinastis à pacto Baptismi, quos conscientiæ metus & sollicitudo angit, diem festum agite, & attollite capita vestra; quia ne in desperationis ac Gehennæ barathrum descendamus, res nostra agitur, dum nobis proponitur in historia Evangelica, quod ille qui choris supereminet Angelorum Cherubin & Seraphin mensam peccatorum non aspernatus sit. Quin & eosdem receperit, & propter conversionem eorum Angelos lætari docuerit. Ut autem hæc doctrina aculeos infigat pectoribus nostris, flexis genibus invocabimus Deum patrem & impetrabimus auxilium Spiritus sancti, dicentes in nomine Jesu: Pater noster, &c.

Exordium Propheticum.

E*Sa. 40. v. 4. prædictum est; quod in diebus Messiæ omnis vallis exaltabit se & omnis mons & collis humiliabit se, eritq; curvum*

vum in directionem & excelsa in planitiem. Idq; impletum fuisse docet textus proposita una ex maximè illustribus Christi concionibus, qua superbis & murmurantibus Pharisæis detracta sunt crista, peccatores per philanthropiam Dei in gratiam recepti: Dum non clamat, Esa. 42. v. 2. nec fulminat Christus.

PERIOCHA ET DISPOSITIO TEXTUS METRICA.

GRavata turba pondere
Transgressionum sordido
Ad sublevantem confluit
Jesum, daturq; gratia.
Ægreferentes grunniunt
Hoc Pharisæi, frivolè
Christiq; ab illis carpitur
Persona, vita, dogmata.
Ove pastor at ceu reddita,
Drachma & reperta fœmina,
Sic Angelorum jubilat
Ob pœnitentiam chorus.

HIC TEXTUS HOMINI CHRISTIANO TRIPLICITER PRODEST.

I.

Confirmando Fidem tribus modis.

I. *Quod Deus non delectetur morte peccatorum, quod juramento asseveravit Ezech. 33. v. 11. De quo Tertullian. O Beatos quorum causa jurat Deus, O miseros qui nec juranti Deo credunt. Et h. l. videtur vera facies invisibilis Dei, quod sit Deus vitæ, Ps 30. & ipse amor, 1. Joh. 4. qui neminem protrudit admitti cupientem. Joh. 6. Recipit ergo peccatores, & comedit cum illis, Luc. 7. à Pharisæo invitatus, sed Mariæ ferculis saturatus. Joh. 4. Et illorum causam tuetur. Nec facit furorem iræ suæ, Ose. 11. si quoq; subitò lo-*

cutus sit contra populum. Jer. 18. v. 7. Stat ad ostium & pulsat, ut ingrediatur cœnetq; nobiscum, Apoc. 3. v. 20. & abluat transgressiones, si quoq; fuerint tanquam coccinum. Esa. 1. v. 18. Hæc doctrina licèt ad Theoriam facillima esse videatur, praxis tamen est durissima, præsertim quando homines gratia divina, ejusq; sigillo diu multumq; turpiter abusi sunt. Videtur hoc in lucta conscientiæ latrante ejus cane, & in mortis agone, quare ne quis cum Caino succumbat fides maximè stabilienda est. Nec pertinet hæc doctrina ad securos & hypocritas, sed ad contritos misericordiam Dei in Christo quærentes. Quales enim Deus recipiat in hoc cardo potissimum volvitur. Omnes esse peccatores certum est, Psal. 51. Rom. 3. 6. sed non recipiuntur illi qui peccant in spe, & hypocritæ pro justis haberi volunt. Nec illi qui obdurati in malitia de sceleribus gloriantur. Nec illi qui magnitudine peccati, victi desperant, vel petulanter ad inferna ruunt; Sed illi, qui seriam agunt pœnitentiam, & ad Christum appropinquant, inveniunturq; μεταμελεῖσθαι, hoc est, post factum angi & cruciari, atq; μετανοεῖν post factum sapere, recipiuntur à Deo ex gratuita misericordia & mera dilectione propter Christum. Joh. 3. 2. Cor. 5. 1. Tim. 1. Hinc scriptura inculcat vocem gratis, & ponit exclusivas Solum, Tantùm. Rom. 3. Et si abundavit peccatum, Rom. 5. v. 15. usq; ad decem talenta, Matth. 18. abundantior est gratia Dei.

Recipi à Deo peccatores testantur,

1. Illustria Sacræ scripturæ dicta: Esa. 40. v. 11. & 53. toto capite. Ezech. 33. 34. v. 23. Joh. 1. & 3. Matth. 9. & 11. & 18. v. 27.

2. Meritum Christi pro toto mundo, & ministerium Evangelij universale. Matth. 11. Marc. 16. Luc. 24.

3. Exempla: Adami, Davidis, Manassis, Petri, Pauli, latronis & fœminarum Johan. 4. v. 7. Johan. 8. v. 4. Luc. 7. v. 37.

II. Quod Deus pro infinita sua bonitate, quia ipse miseriam nostram, & cœlestium bonorum magnitudinem, & pœnarum in Gehenna

benna atrocitatem rectiùs perspicit quàm nos, magis sollicitus de nostra quàm nosmetipsi salute, ô mirandum opus misericordiæ divinæ! sponte quærat peccatores; quia homo in conversione habet se passivè, nec potest assentiri, credere, ad Deum venire, nisi detur ei desuper. Nec se propriis viribus ad ovile recolligit, sed veluti avicula fune alligata retardatur; gratuita autem & præveniente Dei misericordia quærit Christus quod perierat, Matth. 18. v. 11. & portat nos in sinu suo. Esa. 40. Et eripit ceu duo genua ex ore leonis, Amos. 3. datq; velle & perficere, Phil. 2. v. 13. pro gratuita sua benevolentia. Nec est ejus qui vult, nec qui currit, sed miserentis Dei. Rom. 9. v. 16. Ille quærit amissam drachmam, & bonus pater filio pœnitenti occurrit, Luc. 15. v. 20. cum adhuc longè absit. Hinc Basilius: Tantùm velis & Deus præoccurret. Quærit autem Deus, uti scribit Clemens Alexandr. de processu, 1. Verbo Legis & Evangelij, ut excitetur sensus iræ divinæ & appetatur gratia. 2. Minis in cælo, terra, aquis & conscientia. 3. Virga. Psal. 89. 1. Corinth. 11. Ansbertus lib. 8. cap. 19. Apocal. Gaudeamus & exultemus, & demus gloriam ei: Quoniam venerunt nuptiæ Agni. In eo autem ei damus gloriam, quod nullis præcedentibus meritis bonorum operum, sed sola nos ejus misericordia ad tantam dignitatem perveniſſe, fatemur. Idem: Perveniente gratia salvamur, & subsequente justificamur. Idem lib. 10. cap. 22. Apocal. Gratia præcedit hominem, ut ei quo pergere debet iter ostendat, & ipsa subsequitur ut ad id quod ostendit etiam impellat. Tertull. scriptum reliquit, quod olim in calicibus depictus fuerit Salvator ovem humeris portans, ut de hac ineffabili Dei misericordia communicantes commonefierent.

III. Quod sit gaudium inter spiritus cœlestes super uno peccatore agente pœnitentiam plus, quàm super nonaginta novem justis, non quidem quasi Deo & Angelis gratius sit post lapsum redire ad pietatem, quàm contra lapsum perseverare in innocentia, Cyprian. lib. de duplici martyrio. sed scriptura suo modo loquitur secundum affectus humanos, illud testatum esse volens, Deo gratissimam esse,

peccatorum confessionem. Et interdum piorum hominum lapsus quamvis enormes dispensatione vertuntur in summũ Ecclesiæ profectum, & solatium domus Dei. Div. Gregor. in homil. sentit, plus de conversis peccatoribus, quàm de stantibus justis in cælo gaudium esse: quia plerumq; illi qui nullis se oppressos peccatorum molibus sciunt, stant quidem in via justitiæ, nulla illicita perpetrant, sed tamen ad patriam cælestem non anhelant, tantoq; sibi in rebus licitis usum præbent, quantò se perpetrasse nulla illicita meminerunt. Et plerumq; pigri remanent ad exercenda bona præcipua; quia valde sibi securi sunt, quod nulla commiserint mala graviora. At cõtra nonnunquam ij, qui se aliqua illicita egisse meminerunt, ex ipso suo dolore compuncti inardescunt in amorem Dei, seseq; in magnis virtutibus exercent. Cuncta difficilia sancti certaminis appetunt, omnia mundi derelinquunt, honores fugiunt, acceptis contumelijs lætantur, flagranti desiderio ad cælestem patriam anhelant, & quia se errasse à Deo considerant, damna præcedentia lucris sequentibus pensant. Majus ergo de peccatore converso quàm de justo stante gaudium est in cælo. Sicut belli dux in prælio magis diligit militem qui post fugam reversus hostem fortius adoritur, quàm illum qui nunquam in manibus hostium fuit. Et agricola magis diligit terram repastinatam, quæ eruncatis spinis uberes profert fruges, quàm eam quæ spinas non habuit, nec fertilem messem produxit. Et veluti parentes magis gaudent de restituta unius filij valetudine, quàm de multorum perpetua sanitate. Jer. 32. v. 9. Et erit mihi in gaudium inquit Jehovah, &c. Si manserit ovis in ovili, hoc est, si homo retinuerit fidem & bonam conscientiam, manseritq; in Ecclesia fidelium, gaudent quidem Angeli; sed quia contristantur propter defectum à Deo, facta conversione gaudium illud majus est propter præcedentem mœrorem.

1. Angelus Testamenti, Mal. 3. consubstantialis Patri, propter efficaciam mortis & sanguinis sui: quoniam nostro amore in desertum hujus mundi descendit, & nihil

non sustinuit ut drachmam amissam inveniret, dedit & pro ovibus vitam Joh. 10. ut quæsitos ad Ecclesiam reduceret, & sic ira divina à nobis averteretur. Augustin.

Conversso homine gaudet

Tantum gaudium est Christo de conversione peccatorum, quod si non sufficeret sua passio, rursus pati & mori paratus esset.

2. Angeli sancti, qui vigilarunt pro salute nostra, Ebr. 1. propter custodiæ & intercessionis suæ fructum. Quia homines concelebrabunt Deum ad quod conditi sunt, & augetur Regnum Dei novis civibus, & vident Satanæ regnum aboleri. Hinc Bernard. lachrymas pœnitentium vocat vinum Angelorum.

3. Angeli pacis, Esa. 33. sacerdotes propter admonitionum suarum effectum, quod non laborent frustra, Ebr. 13. & propter præmium quod fidelioribus promissum est. Dan. 12. 1. Cor. 15.

Sequitur hinc quod ubi quis ex regno Christi in regnum Satanæ transit, lugeat exercitus cælestis, quod ab ijs defecimus. Sic conqueritur Deus Gen. 6. & lachrymatur Christus Luc. 19. Ubi verò quis in viam redit gaudium excitatur in cœlis, Pater nos propter Christum adoptat, Christus sua nos ornat justitia, Spiritus Sanctus illuminat & confirmat, Angeli cum glorificatis exultant. E contra contristatur Satan. August. Quoties à bono deviamus Diabolum lætificamus & Angelos suo gaudio defraudamus: sed quoties benè agimus, gaudent Angeli tristantur Dæmones, quibus ut hoc modo mœroris ansam præbeamus obnixè annitendum est. De quo enim gaudet Satan, ille miser in æternum ejulabit.

II.

Monstrando Fructum Fidei Triplicem.

I. Ut cum publicanis & peccatoribus confugiamus ad Thronum gratiæ, Ebr. 4. v. 16. ad Cornu salutis, 1. Reg. 2. in domo David.

Luc. 2. Et quæramus requiem animabus noſtris, Matth. 11. v. 28. 29. non in domibus Phariſæorum & ſuper menſa Publicanorum; ſed in Verbo & Sacramentis per arduam invocationem. Ambroſ. Omnis anima accedat ad Chriſtum: quia omnia ipſe nobis eſt. Si vulnus deſideras curare, ipſe Medicus eſt. Si febribus æſtuas, fons eſt. Si iniquitate gravaris, juſtitia eſt. Si auxilio indiges, victus eſt. Si mortem times, vita eſt. Si cœlum deſideras, via eſt. Si tenebras fugis, lux eſt. Si cibum quæris, alimentum eſt. Apud ipſum eſt fons vivus. Pſal. 36.

Agamus pœnitentiam dolendo, credendo & reſipiſcendo, quod iter omnibus tenendum eſt. Nec publica pœnitentia contumelia erit reſipiſcentium; ſed gaudij exordium. Quare & Paulus ſuum peccatum & pœnitentiam publicè deſcribit 1. Tim. 1. v. 13. 1. Cor. 15. v. 9. Nec Reges David, Manaſſes, Imperator Theodoſius publicè confiteri erubuerunt: quia, Auguſt. humanum eſt peccare, Chriſtianum eſt peccata fateri, & ab illis deſiſtere; ſed diabolicum eſt in peccatis perſeverare, & errorem excuſare. Nec ullus unquam niſi acta vera pœnitentia ſalvatus eſt. Hinc monet Baptiſta: Agite pœnitentiam & credite Evangelio & facite fructus dignos. Luc. 3. v. 8. Chriſtus Luc. 13. v. 3. Niſi reſipiſcatis, &c. Luc. 24. prædicari jubet in nomine ſuo pœnitentiam. Idemq; monſtratum fuit ſalvandis in Vet. Teſt. Num. 15. v. 24. dum peccator offerre tenebatur vivum animal pro expiatione mactandum, ut de tribus admoneretur: 1. quod meritus eſſet mortem, 2. quod credere deberet in Agnum Dei, pro peccatis mundi mactandum. 3. ut cotidie occideret veterem hominem eſſetq; Deo hoſtia accepta in vita novitate, Rom. 12. Bernard. Pœnitentia eſt de præteritis malis dolere, & ſic plangere commiſſa, ut non committas plangenda. Irriſor namq; & non verè pœnitens eſt, qui adhuc agit cujus eum pœniteat. Nec differamus pœnitentiam obturatis auribus, Pſ. 58. 95. Syr. 5. ſed quæramus Dominum dum inveniri poteſt. Eſa. 55. Ne languor prolixus gravet medicum; Eccl. 10. Siquidem peccatum

quod

quod per pœnitentiam non diluitur mox suo pondere ad aliud trahit, quod historia Saulis, 1. Sam. 15. Davidisq; lapsus cumulati, 2. Sam. 11. & 12. aliorumq; abundè testantur. Laudat autem Chrysostomus celerem Ninivitarum pœnitentiam, quod cum 40. dierum inducia illis data essent, nihil in alterum diem distulerint: sed ubi primùm minantis Prophetæ vocem audirent, protinus jejunium, saccum & cinerem arripuerint. Idemq; verè expressit festinatio illa in liberatione ab Ægyptiaca servitute adhibita, & quod de Agno Paschali nihil in posterum diem reservandum fuit. Eccl. 5. v. 8. Ne differas converti ad Dominum, &c. Nec alia methodo itur ad astra. Adfuere enim hoc loco Christo publicani usurarij ditissimi, & peccatores Epicurei voluptatibus addicti, & Pharisæi doctrina atq; authoritate eminentes. Sed extra Christum, in quo omnia posita sunt, publicani divites in æternum egent, peccatores isti ad orcum descendunt, & Pharisæi arrogantes dantur in reprobum sensum; sed per & propter solum Christum pœnitentibus ac credentibus datur vita æterna.

II. Ut anima nostra mentis domum evertat, quò se perditam inveniat & sic verè ad Deum convertatur. Primò advertat & consideret à quo & in quem finem condita sit, nec conditionis & finis sui obliviscatur, quod non sit terrena. Secundò beneficia omnia quæ à Domino accepit sibi ante oculos ponat, ut agnoscat quantùm Deo liberalissimo debeat, qui immeritam tot beneficijs cumulavit. Tertiò evertat omnia interni hominis latibula, & omnia vitæ anteactæ scelera perscrutetur, & recogitet annos suos in amaritudine. Esa, 38. Sic tandem homo abstineat, nec peccatis amplius involvatur, Dominum Jesum invitet, & fide apprehensum sequatur, seq; componat ad exemplum publicanorum, Matth. 9. v. 9. & 10. Luc. 5. v. 27. & 28. Luc. 19. v. 8. ut abjiciat jugum impietatis, veluti pueri combusti ignem fugiunt. Nec amplius furentur, Ephes. 4. nec sedeant in cathedra impiorum, Psal. 1. vel currant cum prædonibus, Psal. 50. nec immodica usura proximum exhauriant, sed dolentes:

lentes deflectant à malo & quærant bonum. Job. 28. Quod à Deo prohibita sit usura lege Exod. 22. v. 25. Levit. 25. v. 36. Deut. 23. v. 19. & 20. Neh. 5. v. 9. & 13. ubi fœneratoribus dira minatur; quia nec habitabunt in monte sancto Dei. Psal. 15. v. 1. & 5. Imò Gentes seu Ethnici quoq; ab usuris abhorruerunt: Scribit enim Aristot. τῶν ὀβολοστατικῶν, id est, fœneratoriam παρὰ τὴν φύσιν εἶναι: 1. Polit. 7. cap. quod pecunia non inventa sit ut pecunias sui similes progeneret. Solon usurarũ crudelitatem apud Athenienses sustulit, ne fœnus esset funus. Et tam infamis usura fuit apud veteres Romanos, ut Cato pejorem civem existimarit fœneratorem quàm furem. Et in legibus Romanis fur duplo, fœnerator autem quadruplo damnatus est.

Consilium bonum de collocandis in fœnore nummis. 1. Egeno dandum est mutuò sine usura, & erit merces copiosa apud Deum. 1. Tim. 6. Proverb. 19. v. 17.

2. Homini mediocris fortunæ, qui lucrum ex mutuo accepto quærit, dandum est pro usura honesta & tolerabili, quod lex & æquitas, & charitas postulat.

3. In vendendo merces periculo vitæ advectas lucrum justum prohibitum non est: modò ne quid nimis.

III. Ut peccatores sedulò converti optemus, moneamusq; & oremus ut nobiscum revertantur ad Dominum. Psalm. 51. v. 15. Ose 6. v. 1. Luc. 22. v. 32. Act. 26. v. 29. Et hæc sit vindicta nostra, ut pessimi quoq; hostes nostri salventur. Nec ulli unquam salutem animæ invideamus, sicut turpissima hæc progenies Christum recipere noluit, & peccatores à Christo recipi more Satanæ ægerrimè tulit. Nec temere judicemus vel condemnemus quemquam. Luc. 6. 18. Fieri potest ut qui heri lapsus est hodie in Christo resurgat, sicq; velit intrare nobiscum Dominus in judicium nemo beatus erit; quia decem talenta debentes ne ad unum quidem de mille respondemus. Matth. 18. Job. 9. Monet igitur Syrac. 8. cap. v. 6. ne pœnitenti probrum objiciamus. Paulus Gal. 6. v. 1. ut præoccupatos aliqua offensa

sensa instauremus. Nec condemnemus alienum famulum, Rom. 14. v. 4. sed qui sibi stare videtur elaboret ne cadat. 1. Cor. 10. v. 12. Deo in more positum est ut gravissimos publicos peccatores ab iniquitate recedentes hypocritis & operarijs longissimo præferat intervallo, teste Christo. Matth. 21. v. 31.

III.

Ostendendo Triumphum & Finem Fidei Triplicem.

I. Quod non tantùm in hoc seculo per veram conversionem, sed etiam quod ad animã per beatam emigrationem, & quod ad exuvias per lætam resurrectionem peccatores, jam non amplius peccato polluti ad Christum appropinquabimus, qui ex albo politiæ cælestis propter transgressiones minimè expunctos, cum Angelis & Electis veste Justitiæ suæ circumdatos sibi adhærentes coram se statuet, comedemusq; cum Christo panem in Regno Dei, Luc. 14. v. 15. & ipsum audiemus evocantem mortuos de tumbis, & annumerantem nos benedictis æterni Patris. Matth. 25. v. 34. Rumpantur ut ilia Satanæ & membris ejus, quorum murmur raucum nihil nobis oberit.

II. Quod drachma animæ nostræ, per Diaboli invidiam perdita, à Christo quæsita & inventa ad Dei similitudinem reformabitur cum decore perfectissimo. Impressa fuit homini in creatione vera imago DEI, quam primi parentes in scelus prolapsi amiserunt, ideoq; scriptum est Genes. 5. v. 4. Adam genuit ad similitudinem suam, ad imaginem suam filium, qua non amplius fuit Dei. Sed per Christum restituta in futuro seculo præstantior erit in Electis; quoniam consanguinei sumus filij Dei per incarnationem ejus, & confirmati non deficiemus à Deo; nec terreni sed cælestis Paradisi fructibus vescemur omnibus.

III. Quod non tantùm Angeli, verùm & nos multò magis cum illis in perpetuum gaudebimus, quod hic pœnitentiam egerimus &

sic ab omni malo simus liberati. Siquidem & homo gaudet à bello, naufragio & flamma ereptus, quotiesq; recordatur in quanto constitutus fuerit discrimine miratur, & Deo pro paterna liberatione gratias agit. Macar. Homil. 1. Luget Deus & Angeli sancti animas illas, quæ non vescuntur cælesti cibo. August. De miraculis sacræ script. Qui per pœnitentiam peccata diluit, Angelicæ felicitatis consors in æternum erit. Hinc est quod sub conversionem peccatoris, velut de suo consorte Angeli in cælo gaudere dicuntur.

Dominica IV. Post Trinitatis.

DE OPERIBUS CHARITATIS ERGA PROXIMUM.

Evangelium Luc. 6. à v. 36. usq; ad v. 43.

PRÆFATIO SUPPLEX.

HOmines nulla re magis sive in vita sive in morte, quàm divinæ misericordiæ ope, quæ commune miseriarum omnium perfugium est, nec peccatores tantùm; sed etiam justi indigent, illiq; solî debetur, quod non consumti sumus. Quin etiam misericordis DEI philantropiâ hodie congregati sumus ut de passiva & activa misericordia doceamus & discamus, quod ut rectius fiat impetrandum est auxilium Spiritus sancti, in nomine Jesu. Pater noster, &c.

Exordium Propheticum.

ESa. 11. v. 3. *Non secundum visionem oculorum suorum judicabit, neq; secundum auditum aurium suarum arguet; sed judicabit in justitia pauperes, & arguet in rectitudine propter mansuetos terræ. Hoc est, etsi videat innumeris nos esse pollutos & cotidie*

pollu-

pollui peccatis, attamen haud juxta merita nostra; sed juxta gratiam & misericordiam suam nobis retribuit, quæ ab Augustino Regina dicitur Regni cælorum, postulatq; à nobis, Ose. 6. v. 6. misericordiam erga proximum declarandam præ sacrificio, quam Bernhardus usuæciam appellat. Utrumq; tractatur in hoc textu.

PERIOCHA AC DISPOSITIO METRICA.

BOnitas, Amor, Favor Dei
Perennis est, immensus est.
Piosq; filios decet
Patris sequi vestigia.
Cor, os, manusq; proximo
Servire sint promtissima
Pressa ut bona & superfluens
Mensura detur in sinum.
Cæcus vide ne judices:
Festuca quid te proximi
Tangit? Trabem tibi erue,
Tuamq; vitam corrige.

TRIA EX HOC TEXTU SINE QUIBUS NEMO SALVATUR.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. Quod paterna misericordia Dei immensa sit & infinita, Psal. 103. non deficiens à seculo in seculum super timentes eum, Ps. 25. Luc. 1. ceu fons semper manans & semper manens, Syr. 18. v. 14. & ignis nunquam extinguibilis; quia novæ sunt quolibet mane misericordiæ ejus, Thren. 3. nec unquam defatigatur benefaciendo. Si quoq; pater vel mater Esa. 49. non misereatur sobolis suæ, singulis diebus quasi de novo effundit super nos Deus fluenta misericordiæ suæ. Ubi eramus miserere Domine, promptissimus exaudit & benefacit,

facit, ac si jam primò cepisset, & comitatur nos misericordia ejus per totam vitam nostram. Psal. 23.

Licèt autem tanta sit misericordia Dei, ut nemo Angelorum, nemo mortalium id effari possit, ejusq; commendatione referta sit tota Scriptura sacra. Exod. 34. Psal. 57. 103. Syr. 2. v. 13. Elucet tamen ejus magnitudo ex beneficijs primùm spiritualibus, de quibus sibi gratulatur David Psal. 103. v. 4. quod coronet *ipsum Deus misericordia & miserationibus, utpote absq; fine. Ubi considerandæ venit nostra Creatio, Redemtio, Joh. 3. Electio, Eph. 1. Sanctificatio, quibus Christus non tantùm datus est Salvator; sed & Doctor à Deo. Deut. 4. Ebr. 1. v. 2. Adhæc Remissio cotidiana peccatorum, quod ipse præstat gratuitò, totaliter & absq; tædio. Verbum & Sacramenta, Angelorum custodia in vita & morte, & mirabilis contra Satanam defensio, quem securi homines aliàs invitant, minusq; metuunt quàm muscam vel culicem. Videas enim studiosè de cubili abigi culices fumo absinthij, nec oratione depelli examen Dæmonum. Videas de vitro tolli muscam, audias è contra levissimè se obligantes ad imbibendum Diabolos innumeros. Sed misericordiæ Domini quod non consumti sumus: quoniam non defecerunt misericordiæ ejus. Thren. 3. Deinde apparet misericordia Dei ex beneficijs corporalibus, de quibus gloriatur David Psal. 65. v. 12. quod* coronet *Deus annum bono suo, & semitæ ejus stillent pinguedinem: quia singulis anni temporibus in singulis benedicit elementis, dum largitur nobis panem cotidianum. Et conspicitur misericordiæ ejus magnitudo in facie terræ, in terminis maris, in firmamento cœli, & membris corporis nostri.*

II. Quod à gremio misericordiæ divinæ nemo sit excluſus, sed ea complectatur mortales omnes; Syr. 18. v. 12. dum etiam malos & injustos patienter ferens fovet Deus, facitq; ut Sol suus oriatur super malos & bonos, pluatq; super justos & injustos. Matt. 5. v. 45. Luc. 6. v. 32. Aliàs innumeri in delictis deprehensi tenebris ac siccitate punirentur. Imò turpissimis peccatoribus offertur gratia

Dei.

Dei. Hinc Chrysost. super Psalm. 22. Dei, inquit, misericordia est communis portus omnium qui peccarunt, & peccatori solatium, & justo ingens securitas, &c. Nisi ingens esset magnitudo ejus, aut pauci aut nulli essent salvati: Justorum enim numerus semper fuit exiguus, quod docet historia diluvij & Sodomorum. Et si cum Ps. 14. è cælo prospiciat Jehovah super filios hominum, non est faciens bonum, non est etiam unus. Interrogemus modò conscientiam nostram, & loquamur cum anima nostra, quales nos erga Deum gesserimus ab ineunte ætate, mox in eandem cum Sanctis erumpemus confessionem Esa. 1. v. 9. Nisi Jehovah exercituum reliquisset nobis paucos superstites, sicut Sodoma & Gomorrha facti essemus. Dan. 9. v. 8. 9. O Jehovah nobis pudor faciei, tibi autem misericordiæ & propitiationes. 2. Pet. 3. v. 15. Domini nostri patientiam salutem arbitremini; quia ipse proprio motu inquit Jerem. 3. Revertere rebellis Israël, non faciam cadere in vos iram meam; quia misericors sum, nec reservabo iram in seculum. Jer. 18. v. 7. 8. Ezech. 22. v. 30. Soli ergo misericordiæ divinæ debetur quod vivimus, quod movemur, quod docemur, quod credimus, quod tandem salvamur. Ambros. Novit Dominus mutare sententiam, si tu noveris mutare delictum.

III. Quod πάντα θεὸς ὀφθαλμὸν ἴδει καὶ πάντα νοεῖ: quia ipse habet ἔχδικον ὄμμα, quo etiam festucam perspicit in oculis nostris, nec ipsum latere potest, si quem judicamus vel condemnamus. Væ etiam laudabili vitæ hominum, inquit Augustinus, si remota misericordia sua discutiat eam Dominus, cui ratio reddenda, Matth. 12. Rom. 14. 2. Cor. 5. ut quæ testis conscientiæ intus animam accusat, Gregor. super Matth. qui in hac vita nec despicit pauperem & egenum. Quare nec inopes dubitent sed firmiter credant: 1. Se in cælis patrem habere ditissimum, cui sicut placet ita cuncta procedunt. Prov. 22. 1. Reg. 2. 2. Fratrem benevolentissimum, cujus sumus coheredes. Rom. 8. Et ipse pro nobis pauper factus est. Matth. 8. 2. Cor. 8. Ebr. 5. 3. Amplissimas in

verbo Dei promissiones ; Sap. 5. Syr. 21. Matth. 15. siquidem & ditioribus mandatum est : Date ut detur vobis.

II.

Fructus Fidei Triplex.

I. Erga Deum. *Ut gratias agamus Deo pro inexhausta bonitate & misericordia amplissima, sub cujus alis defendimur. Nec propter scelerum multitudinem desperemus: Gen. 4. Syr. 2. Apoc. 21. Sed ad misericordiam Dei confugiamus, certò statuentes, nullum unquam peccatorem quantumvis magnum repulsam passum esse, si ad misericordiam Dei se reciperet, quod exempla docent plurima. Si quando polliciti sumus emendationem, & iterum deliquimus, non aufugiamus tamen, sed fiat recursus ad gremium misericordiæ divinæ. Sit peccatum magnum, abundantior est misericordia Dei. Et ceu totum mare guttulam superat, ceu omnia pondera plumulam levant, ceu pontus unicam scintillam ignis : ita Sanguis Christi totius mundi transgressiones extinguit. Sit peccatum antiquum, utpote quod ab uberibus suximus auximusq; cotidie delinquendo, misericordia Dei antiquior fuit ab æterno. Sit peccatum novum hodiè commissum, novæ quoq; exoriuntur Dei commiserationes singulis momentis. Incidemus ergo in manus Domini : Syr. 2. v. 22. nam quanta est majestas ejus, tanta ejusdem est misericordia. Incidam in manum Jehovæ, 2. Sam. 24. v. 14. quia multæ sunt miserationes ejus. Bernard. Omninò propter mansuetudinem quæ de te prædicatur Domine Jesu currimus post te, audientes quod non spernas pauperem, nec horreas peccatorem. Ne tamen tanta interim misericordia divina quis petulanter abutatur, nec invitet animam suam ad peccati licentiam : quia Syr. 5. v. 6. & 7. tam ira quàm misericordia à Deo properabit, & super scelera-tos furor ejus requiesceret. August. Clementissimus Dominus agentibus pœnitentiam ignoscit. Sed videndum nobis est, ne de pœnitentia securi existentes peccatis peccata augeamus, dicamusq;, do-*

nec

nec viget ætas carnis nostræ concupiscentias exerceamus; postremò in senectute acturi malorum pœnitentiam. Bernard. Infelix est fiducia, solius utiq; maledictionis capax, cum in spe peccamus. Sunt qui dicant: Si scortatus fuero, si proximum deceperim, si vindictam exercuerim, deprecabor culpam; quia misericordia Dei plurima est, Syr. 5. v. 6. multitudinem peccatorum mihi ignoscet. Sed nonne rectius oraveris, tibi dari cor purum, cor ἀπαρχον & cor placidum? Timendus quia Dominus est & sperandum in bonitate ejus. Psal. 147.

II. Erga proximum. Primò quidem, cum mundus sit in maligno positus, & homines sint φιλαμάρτηνοι, ut fiamus misericordes, gaudeamus cum gaudentibus. Rom. 12. v. 15. Simus induti ut electi, sancti & dilecti Dei, visceribus miserationum, benignitate, mansuetudine & lenitate. Col. 3. v. 12. Ut quemadmodum triplex usus est vestium nostrarum: scilicet defendere à frigore, contegere pudenda, & ornare, idem quoq; præstet misericordia. Nec simus vindictæ cupidi, sed remittamus & condonemus nobis invicem, Eph. 5 Diligamus nos: quia hoc signum & nota Christianorum est, Joh. 13. ut alter alterius onera portet. Gal. 6. Tantum autem aliquis portat proximum, quantum amat, si desiviſti amare desiviſti portare, inquit Gregor. Unusquisq; videat quomodo proximum suum ex faucibus Diaboli eripiat. Chrysost. in Genes. Sic Christus in cruce, Luc. 22. Stephanus inter lapides, Act. 7. & Apostolus 1. Cor. 4. pro hostibus rogarunt. Sit autem ad mandatum & exemplum Dei patris illa dilectio, misericordia & condonatio nequaquam fucata & frigida; sed intima ex cordis sinu, ut sit in nobis ubiq; sympathia: quia membra sumus unius capitis. 2. Cor. 11. Manus autem non lætantur dolente corde, nec pedes laborante stomacho. Qui vindictam quærit in illum vindictam statuet Deus. Syr. 28. Ideoq; Jacob fratri, Gen. 32. Joseph fratribus, Gen. 45. Moses sorori, Num. 12. remiserunt. Nosq; læsi, si adversarius noster foret occæcatus, exemplo Dei ladentibus reconciliationem offeramus &

mus: quia si fulmina mittat quoties peccamus Deus, exiguo tempore mundus corruet. Semper igitur recogitemus, quod Deum offenderimus, quod ille habuerit patientiam nobiscum, quod errata proximi exigua sint, si cum nostris conferantur delictis, quod Deus cum sit pars læsa nobis offerat reconciliationem, idq; ego & alij Christi synergi sedulò loco Dei præstamus. Hoc officium cordis erit sic piè dirigendi.

Secundò, cum bona lingua sit lignum vitæ, Prov. 15. & mendax lingua excitet dolores, Jac. 3. ut neminem judicemus neq; condemnemus contra 8. præceptum; sed fugiamus obtrectationes, delationes, calumnias & maledicta ex pravis privatis affectibus orta; quia detractator & auditor, ut Bernard. scripsit, uterq; habet Satanam, ille in lingua; hic in auribus. Syr. 28. Charitas autem requirit ut infirmitates proximi tegantur, & ipse per fraternam correctionem in viam reducatur. Matth. 18. v. 15. Syr. 19. v. 13. Ne ergo quis loquatur falsum testimonium, ceu factum legimus in historia Naboth, 1. Reg. 21. Christi & Stephani; sed unusquisq; loquatur veritatem cum proximo suo, Syr. 13. qua proximè ad Deum acceditur. Demosth. Nec frivolum & inhonestum quid de proximo spargat, quod fecisse legitur Simei, Ancillæ Saræ, Raguelis & Simon. 2. Mac. 4. Nec quem ex fortuna adversa judicet, sicuti agnati Jobem Job. 22. Saulita Davidem, Psal. 3. Malthenses Paulum. Act. 28. Luc. 13. v. 2. Hoc erit officium oris nostri, ne calumnia frangat cor sapientis. Eccl. 3.

Non patitur ludum Fama, Fides, Oculus.

Tertiò, cum certo Dei consilio multi sint in Ecclesia inopes, quorum sic probat Deus fidem & patientiam, ne desit ditioribus ansa declarandi beneficentiam, ut fontes nostros derivemus foras, Deut. 15. Prov. 5. Luc. 16. misereamur pauperum; Psal. 41. nec subtrahamus nos à carne nostra. Esa. 58. v. 7. 8. 9. Sumus enim constituti à Deo, qui pauperes facit & divites, Prov. 22. ad certum tempus, 1. Tim. 6. dispensatores; nec perpetui Domini divitiarum. Ideoq; ceu promi condi

vendi debemus ad mandatum patrisfamilias distribuere de penu nobis concredito pro facultate nostra; quia Deus inspector est, Marc. 12. Luc. 21. & rationem postulabit, prædicabitq; beneficentiam. Matth. 25. v. 35. Dandum autem est hilariter, 1. Cor. 9. & largiter, Gal. 6. & simpliciter absq; jactantia, Matt. 6. & citò. Prov. 3. Ne quis dicat egenti: abi in crastinum & sic revertere; ne interea vel ipse vel mendicans diem obeat, doleatq; ille quod vacuum dimiserit, vel hic justum prædicet Dei judicium, quod spoliatus sit avarus & nudus abierit relicta alijs possessione sua dives. Christiani sumus quos non decet rapere, nec parcè metere, Luc. 16. sed dare, atq; imitari exemplum Zachæi, Luc. 19. v. 8. qui, ecce, ait, Domine dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quid per fraudem cuipiam eripui reddo quadruplum, quo nos docet: 1. Fugere avaritiam, qua vel nihil vel exiguum datur. 2. Cor. 9. 2. Superbiam & delicias, ne lautiora retinentes mucida, putrida, rancida, pendula & vilissima demus egentibus. 3. Injustitiam, ut quod injustè quæsitum est reddamus, nec rapinas vel ex spolijs holocausta offeramus; Esa. 61. Eccles. 34. sed opes nostras *distribuamus. Gregor. Non est putanda eleëmosyna, si pauperibus dispensetur, quod ex illicitis rebus acquiritur; quia qui hac inventione mala accipit, ut bene dispenset, gravatur potius quàm juvetur. August. De justis bonis facite eleëmosynas, non enim corrupturi estis judicem Christum. Nolite eleëmosynas facere de fœnore & usuris, &c. de verbis Domini Serm. 30. 4. Tarditatem & moram periculosam, ne in testamento primum frangamus esurienti panem. 5. Levitatem, ne demus saltanti sed indigenti. Hoc est officium manuum nostrarum, ut beneficentiam exercere certent.*

III. Fruct. Fid. Erga nosmetipsos. *Ut erga nos ipsos rigidi & severi simus vitæ atq; operum nostrorum exploratores, nos ipsos ab alijs oculos avertentes jugiter inspiciamus, in eoq; studio maximam vitæ partem insumamus, ut unusquisq; noscat seipsum, & se cognoscendo luctus ac lachrymarum in se materiam inveniat.*

Est enim humilitas, juxta Bernard. virtus qua homo verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit. Prov. 18. Justus est principio reprehensor sui, postea requirit in alium. Syr. 18. Cura te ipsum antequam alijs medearis, reprehende te ipsum antequam alios judices. Sic gratiam invenies cum alij punientur: nam

Turpe est Doctori cum culpa redarguit ipsum.

Legatur caput ad Rom. 2. v. 1. 2. 3. ut medicus discat curare seipsum, nec festucam condemnet in oculo fratris, qui ipse trabem gerit, & gravioribus delictis commaculatus est. Qui tamen morbus mortalium communis est, unde Hieron. in Epistolis: Malorum est scelatium bonos carpere, dum peccantium multitudine culpam delictorum minui posse putant. Damnat multoties alium impudicum, aleæ ventriq; deditum, qui ipse superbus est & contemtor aliorum, blasphemus & perjurus, quod est magis impium & longè periculosius; ut si scabiosus in alio condemnet pustulam, obaratus exiguum debitum. Sic lynces sumus ad mala aliena videnda, talpis caciores ad nostra observanda, & in hoc ipsis oculis nostris similes sumus, qui cum omnia alia videant, seipsos minimè vident. Et malorum nostrorum obliti aliena semper ante oculos habemus, non attendentes peram Pythagoricam, & manticam quæ in tergo est. Hoc nihil aliud est, nisi, quod Plutarchus ex fabulis refert, Lamiam domi quidem canere cæcam, oculos habentem in vasculo quodam repositos, verùm ubi prodit foras eos promere, ac tum esse oculatam. Sic homo curiosus pleraq; quæ domi geruntur non attendit, negociorum alienorum studio attonitus, in proprijs erratis labitur præ ignorantia. Veluti sus amœnissimum hortum ingrediens rosarum, liliorum & florum speciem atq; odorem præterit, & invento cæno putrida sese versat ac volvit, rictumq; & nares cæno immergit. Sicut muscæ in exulceratis jumentorum corporibus sana prætereuntes insident & pascuntur: Sic homines pravi & maledici aliorum virtutes fastidiunt, ex vitijs autem aliorum putridis voluptatem percipiunt. Econtra Salomon sapienter monet Prov. 11. ut vir prudens

dens misereatur animæ suæ. Augustin. de verbis Domini Serm. 30. Si vis facere eleëmosynam à te incipe. Quomodo enim misericors est alteri, qui crudelis est sibi? unde scriptum est miserere animæ tuæ. Mendicat ante te anima tua, redi ad conscientiam tuam, quicunq; malè vivis, & ibi invenies animam tuam pauperem & ærumnosam. Idem in Enchir. de pœnit. dist. 3. Qui vult ordinatè dare eleëmosynam, à seipso debet incipere, & eam sibi primò dare, &c. ut misereatur animæ suæ, Deoq; placeat. Si quis graviter peccat ingemis, si quis supplicio afficiendus est condoles, si incendium vritur advolas & extinguis. Ergo & tibi fave. August. Ideo Christiani facti sumus, ut plus pro anima quàm pro corpore laboremus. Si enim animæ benefuerit nec corpori erit malè. Verùm impij magis curant suas tunicas quàm animas, quod illas capsis recondant, has autem Satanæ insultibus exponant; illas expurgent & reficiant, has turpiter pollutas negligant, corporis quidem sed non animæ medicos inquirant. Simus autem memores mandati Angelici, Gen. 19. Salva animam tuam. Nemoq; se alienæ vitæ criticum & censorem exhibeat, ne fortè profundius vitijs sit immersus quàm is quem objurgat. Quid cæcus se cæcutientium ducem exhibet? mundus ab immundo quis mundabitur? Sit cura & labor noster in toto vitæ curriculo, ut cotidie reddamur meliores: quia via justorum instar luminis fulget, Prov. 4. usq; ad perfectum diem. Sicut Sol semper ascendit clariusq; & calidius fulget usq; ad meridiem: Sic progrediamur in Fide, & Fidei fructu, ut Vitam æternam assequamur.

III.

Victoria & Triumphus Fidei Triplex.

I. Quod remittentur nobis delicta nostra, & Deus propitius non intrabit in judicium cum servis suis; Psal. 143. v. 2. nec observabit iniquitates. Psal. 130. v. 3. Ideoq; non judicabimur, nec condemnabimur; Joh. 3. v. 18. Sed freti misericordia Advocati nostri & benigni judicis Jesu Christi, translibimus in vitam æternam. In mundo hoc equidem sæpius traducimur absq; culpa, & in ejusmodi

casu erigit nos testimonium bonæ conscientiæ, & exempla Mosis, Christi, aliorumq; qui similia passi sunt, atq; reputamus animo, quod unicuiq; sit sua laus apud Deum. Mantuan.

Vivit apud superos & habet sua præmia Virtus.

Si autem quis infamis est propter scelus & flagitia, opus est ut agnoscat justum Dei judicium, se dignum tali pœna confitendo. Ut resipiscat, mores emendet culpamq; deprecetur, ut denique reatus ferat patienter, confidens illum, qui latronem non condemnavit, sublaturum quoq; ignominiam ejus.

In vita æterna erit amica, unanimis, fraterna & Angelica conversatio; ibi nulla invidia, nullum odium, calumniæ & detractiones nullæ locum habebunt: erit enim scelerum omnium finis, & bonum ac jucundum habitare in unum, merus amor, pax mera fides q; & concordia inter Sanctos florebit.

In hac ærumnarum valle non tantùm inter Ethnicos & Atheos, verùm etiam inter Christi fratres & sorores variæ dominantur contentiones, dum nemo sorte sua contentus vivit; sed alter alteri invidet, alter alterum calumnijs proscindit, & plerique illa quæ proximi sunt depravando corrumpunt, alter alteri struit insidias, multiq; nil rectum putant, nisi quod ipsi faciunt. In Ecclesia publici doctores se scriptis Polemicis mutuò dilacerant, & ambitione rapti parem profligant, & sibi invicem detrahunt. Inter viros quoq; sanctos orta legitur contentio, inter Paulum & Barnabam. Act. 15. v. 39. Otto Frisius author est rixam fuisse inter Epiphanium & Chrysost. adeò ut ille huic diceret: Spero quod non morieris Episcopus, ad quod hic respondit: Spero te ad tuam patriam non reversurum. Utrumq; impletum est: Nam Epiphanius in via mortuus, & Chrysostomus, quod Eudoxiæ imperatrici & clericis quorum mores corrigere nitebatur, odio factus esset, in exilio obijt. Nec mihi etiam illi de quibus optimè meritus sum, pepercerunt, quibus cum Michæa cap. 7. v 9. occino: Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec judicet causam meam, & faciat judicium.

dicium meum, educet me in lucem, &c. In statu politico ex simultatibus & odijs sæpius bellorum oriuntur vel levem ob causam incendia. In œconomia fratrum quoq; gratia rara est, de parentibus & sobole, de conjugibus & uterinis idem judicium. Unde Jer. 9. v. 4. 5. 6. monemur quisq; cavere nobis ab amico nostro: quia omnis frater supplantando supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet. Docuerunt enim linguam suam loqui mendacium. Mich. 7. v. 5. Custodi ostia oris tui ab ea quæ dormit in sinu tuo. Psal. 146. Matth. 10. v. 36. Inimici hominis erunt domestici ejus, nec, Joh. 2. v. 24. ipse Jesus credebat Pharisæis. Syr. 7. v. 9. amici fidei temere ne committas te. Nulli te facias nimis sodalem, gaudebis minus & minus dolebis. Illa vitæ hujus conditio est amarissima. In vita autem æterna amor & concordia erit haud fucata sed constans & perpetua. Sanctissimi & fulgentissimi Abraham, Joseph, Moses, Elias, Daniel nos minores non aspernabuntur, neq; nos illis gloriæ claritatem invidebimus. Contentio & superbia nulla illic locum habebit. Apostoli de primatu non certabunt, Matth. 18. nec filij Zebedæi alijs præferri optabunt. Nemo alterum despiciet aut judicabit, nemo latroni converso scelus & crucem exprobrabit, Lazaro ve famem & ulcera refricabit. Nulla vindictæ cupiditas erit inter partem læsam ac lædentem; sed omnis injuriæ oblivio. Esaias non accusabit Manassem, cujus jussu interfectus fuit, neq; Paulum ab ipso ante conversionem ejus proditi in jus vocabunt; sed multò magis lætabuntur & Deo agent gratias, quod in viam retracti Beatis annumerati sint. Omnes enim volent unicè idem quod Deus, & in Regno Cælorum erit secura tranquillitas. Prosper. de vita Contempl. lib. 1. cap. 2. Ubi ipsa civitas quæ est Angelorum sanctorum & hominum congregatio beata meritis fulgentibus micat, veritas regnat, & æterna salus exuberat, ubi nec fallit quisquam nec fallitur Joh. Chrysost. Nulla erit in futuro seculo discordia; sed cuncta consona, cuncta convenientia. Nullus ibi Diaboli metus, nullæ insidiæ Dæmonum, &c. In

hac quidem vita justo Dei judicio pœna est talionis, Esa. 33. v. 1. & qui malè metiuntur per idem puniuntur, quod docent exempla Pharaonis, Adonibesec, Jud. 1. Saulis, & Constantini, cui mater Irene oculos effodi jussit eodem die quo ante annos 5. Nicephorum & Alexium Moselim injustè exacerat. Zonar. Tom. 3. Sed in vita futura non retribuet nobis Deus juxta opera nostra, verùm juxta misericordiam suam immensam & infinitam, quæ, teste Chrysost. in Matth. salutis est præsidium, Fidei ornamentum, propiciatio peccatorum.

II. Quod præmium nostræ misericordiæ erit uberrimum etiam pro potu aquæ frigidæ, Marc. 9. v. 41. idq; materialis mensuræ similitudine à Christo explicatur, quæ cum sit justa, pressa bene concussa & superfluens nil amplius desideratur. Sic misericordes misericordiam consequentur; Matth. 5. v. 7. nec tantùm in hac vita, (veluti scriptum est Exod. 1. de obstetricibus in Ægypto, de Rachab, Jos. 2. de Sareptana, de Bonifacio & Tyberio Imperatore, qui objurganti Imperatrici quod nimia liberalitate erga pauperes ærarium exhauriret, respondit: Imperij fisco non defuturam pecuniam quamdiu pauperes promoverentur. Et Gregor. Turonens. memoriæ tradidit de Tyberio Constantino Imperatore, quod in palatio deambulans conspexerit lapidem in quo sculptum erat signum sanctæ crucis, & sublatis ejusmodi tribus plus quam centum reperit auri talenta. Sic eum Deus multo auro donavit, quod cotidie pauperibus largiter stipem daret, & passim beneficorum horrea ac domus replet.) sed optima merces in cælis est, Luc. 14. v. 14. in resurrectione justorum. Tunc quidem ejulabunt divites avari: Jac. 2. Matth. 16. Luc. 6. & 16. quia nihil secum trahent, Psal. 49. Jac. 5. ingementq; quod habuerint de quo darent, quod audiverint vocem Date, quod noverint historiam Epulonis, Luc. 16. & sententiam novissimam; Matth. 25. v. 41. & 42. nec tamen dederint. Sed domino fœneratur, qui dedit pauperi, Proverb. 19. & sibi thesaurizat in vita futura, reponitq; in loco tutissimo eleëmosynas, ubi

non

non erunt in oblivione. Syr. 3. Tob. 4. v. 8. Auguſt. in Sermone de divite: Eleëmoſyna mundat peccata & ipſa interpellat pro nobis ad Dominum; quia quicquid pauperibus dederimus, ipſum integrè poſſidebimus. Idem in Tractatu de miſericordia: Ante fores Gehennæ ſtat miſericordia, & non permittit aliquem in carcerem mitti. Sic immenſa bonitas non ementium & vendentium more par pari refert; ſed ineffabili & largiſſima beneficentia piorum opera remunerat, dum pro terrenis cæleſtia, pro modicis magna, pro temporalibus ſempiterna, pro fluxis & caducis ſolida & ſtabilia, pro mortalibus immortalia bona largitur. 2. Cor. 4. Bernard. Præmia æterna ſunt tam magna, ut non poßint menſurari: Tam multa ut non poſſint numerari: Tam copioſa ut non poßint terminari: Tam pretioſa ut non poßint æſtimari. Ibi erit cumulus felicitatis, ibi ſupereminens gloria, ibi ſuperfluens beatitudo.

III. Quod in cæleſti vita neq; trabs neq; feſtuca erit in oculis noſtris, per & propter illum, in cujus ore non eſt inventa fraus. Eſa. 53. Sanctorum ſanctiſſimus ornabit animam noſtram plenaria juſtitia & ſanctitate: Quid enim in glorificato corpore anima imprudens, & polluta? Hic in pulcherrimo corpore ſæpe habitat anima peßima; ſed ibi dabit Deus cor novum, Ezech. 36. & ſpiritum novum. Tolletur quoq; prava concupiſcentia, nec quid impurum intrabit. Auguſt. lib. 22. de Civit. Dei: Verus honor qui nulli negabitur digno, nulli defertur indigno, ſed nec ad eum ambiet ullus indignus, ubi nullus permittetur eſſe niſi dignus. Ubi Deus erit vita & ſalus, virtus & copia, gloria & honor, pax & omnia bona. Ibi tota anima & omnes vires ejus erunt puriſſimæ. Si quis colubrum in viſceribus ſuis aleret, vel in corpore ſuo geſtaret, ceu de illo legitur, qui cibum lautiorem ſuperveniente patre abſcondiderat: Vel ſi quis ab alijs inteſtinorum vermiculis torqueretur, certè gauderet ijs abactis liberari. Summo ergo gaudio exultabimus depulſo jam peccato antiqui Serpentis veneno; ubi ſpectabimus faciem Dei in juſtitia, Pſal. 17. quæ erit juſtitia conſummata ſine peccato.

Auguſt.

Auguſt. Serm. 49. de temp. Tunc non peccabimus non ſolùm factis, ſed nec concupiſcentijs, cum illam faciem viderimus, nec dicetur poſtea Joh. 5: Noli amplius peccare. Apoc. 3. Tene quod habes, ne coronam tuam accipiat alter; quia vitæ, juſtitiæ & gloriæ coronæ ibi ſemel nobis impoſita nunquam amittetur.

Dominica V. Poſt Trinitatis.

DE PISCATURA PETRI MIRACULOSA.

Evangelium Luc. 5. à v. 1. ad v. 12.

PRÆFATIO SUPPLEX.

IOh. 15. dixit Chriſtus: Sine me nihil poteſtis efficere. Nos autem, qui hodie docendi & diſcendi cauſa convenimus, optamus laborem noſtrum non eſſe inanem; nec libenter conſumeremus tempus inutiliter. Non ergo ſtultè optandum, Luc. 5. v. 8. ut Jeſus à nobis exeat & recedat; ſed potius, Luc. 24. ut maneat nobiſcum, & nos miſeros peccatores repleat Spiritu Sancto dirigente linguas & incendente corda, ut aliquid laude dignum præſtemus; nos quidem capiamus homines, vos irruatis ad Chriſtum, quo ſic confirmetur Fides, & edamus fructus bonos, potiamurq; mercede ſeu fine fidei. Pater noſter, &c.

Exordium Propheticum.

P*Sal. 8. v. 6. prædictum eſt de Meſsia filio hominis, quod futurus ſit paulò minor ab Angelis, ſed gloria & decore coronandus: ſiquidem omnia poſita ſint ſub pedibus ejus, non tantùm pecudes, boves, beſtiæ agreſtes, volucres cæli & univerſa; ſed etiam piſces maris, &*

vię, & quicquid transit semitas maris. Idq; comprobat historia hodierni Evangelij, sicut & Matth. 17. & Joh. 21. v. 6.

PERIOCHA ET DISPOSITIO METRICA.

Turbæ frequentes irruunt,
Christum docentemq; audiunt,
Suggestus est Petri ratis
Paulùm remota à littore.
Post concionem retia
Laxantur, atq; copia
Mandante Christo piscium
Naves duas capta aggravat.
Petrus stupens & anxius
Christum rogat recedere,
Piscator ipsum mox sacer
Sequitur relictis omnibus.

TRIPLEX ESCA PRO PISCIBUS PER RETE EVANGELII CAPIENDIS.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. Quod Jesus Christus, quamvis id gens caca Judæorum credere & consentire noluerit, sit promissus à Deo Messias mundi redemtor, coronatus majestate & gloria, Psal. 8. etiam juxta humanam naturam. Et manus ejus nondum sit abbreviata, Esa. 59. v. 1. ut salvare non possit, nec aggravata sit auris ejus ut non exaudiat, modò iniquitates nostræ non dividant inter nos & Deum nostrum: quia ipse est Jesus Christus hodie & heri & in æternum, Ebr. 13. qui dixit Mosi Num. 11. v. 23: Nunquid manus Jehovæ abbreviata est? manumq; suam aperit, Psal. 104. v. 28. & implet omne animal benedictione. Sic h. l. data mirabili & hyperphysica piscium multitudine velut sigillo confirmavit doctrinam suam, ut populus videns

eo in loco & illo tempore, ubi humana arte ac ratione vix piſculum ſperare potuiſſent, binas naves piſcibus impleri, agnoſcerent Meſſiam exhibitum maris Dominum, non alligatum ad cauſas ſecundas.

II. Quod quærentibus Regnum Dei, Matth. 6. adjiciatur panis cotidianus & copioſa benedictio. De quo quidem filij hujus mundi addubitare videntur, ſed ſponſor Moſes eſt Levit. 26. v. 3. quod ſervantibus præcepta ubiq; locorum benedicet Jehovah: nam amicos dormientes, Pſal. 127. v. 2. Benedictio Jehovæ ditat, Prov. 10. v. 22. aperitq; theſauros, Joel. 2. & cataractas cæli, Mala. 3. v. 10. ut habeant abundanter. Nec tardet miſſa dilatam; quoniam pietas ad omnia utilis eſt, 1. Tim. 4. v. 8. ut quæ promiſſionem habet vitæ præſentis ac futuræ. Licèt autem diſſimiliter diſtribuat Deus, & Chriſtiani interdum tota nocte fruſtra laborent & parcè colligant, piorum tamen penus & modicum quod habet juſtus antecellit impiorum abundantiam, feliciorq; eſt Lazarus in egeſtate ſua, quàm Epulo in delicijs, quod ille dives ſit Fide in Deum, qua hic deſtitutus damnatur.

Multi homines Chriſtiani ex ſingulari Dei providētia paupertate premuntur, ut

1. Similes reddantur imagini Chriſti, Rom. 8. quod ipſe pro nobis pauper factus eſt. Matth. 8. 2. Cor. 8. Unde nobis gaudendum. 1. Pet. 4.

2. Agnoſcant inopiam ſpiritualem, & ſic juxta conſilium Dei, emendetur cor, Eſa. 26. Syr. 20. videantq;, cum duos cœlos habere non detur, Luc. 16. quod fides & pietas habeant præmia æterna.

3. Probetur patientia & conſtantia, tanganturq; deſiderio vitæ æternæ, quod in ſolo pane non vivat homo. Deut. 6. Matth. 4. 2. Cor. 9.

In ejusmodi caſu tria ponderanda ſunt: 1. Quod nudi venerimus, 1. Tim. 6. v. 7. nec cum moritur homo deſcendat poſt eum gloria ejus. Pſal. 49. v. 18. Eſt qui diteſcat attentione & tenacitate ſua, Syr. 11. v. 18. 20. nec conſiderat quod morietur bona ſua alijs relictu-

relicturus. 2. Quod paupertas piorum sit momentanea: Roman. 8. 2. Cor. 4. hodie enim vivimus & premimur fortè intra octiduum sepelimur & salvamur. Multis hodie deest prandium, quibus spe citiùs ad mensam Abrahæ dabitur vita & abundantia. Johan. 10. 3. Quod nil contingat nobis nisi ex consilio Dei, Matth. 10. v. 29. Luc. 12. v. 6 & 7. à quo bona & mala, vita & mors, paupertas & divitiæ proficiscuntur. Syr. 11. v. 14. Et ille fidelis est, 1. Cor. 10. mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit. 1. Sam. 2. v. 6. Psal. 75. Esa. 45. Amos. 3.

III. Quod Ministerium Evangelij sit piscatura spiritualis. Habac. 1. Eccl. 9. Jer. 16. Ezech. 47. Et multitudo piscium sit fœcunda ubertas Evangelicæ prædicationis, passim à Prophetis prædicta. Psal. 22. Esa. 49. Mare mundus est, quod tumet per superbiam, æstuat per avaritiam, spumat per luxuriam, & varios fluctus motusq; excitat per varias spirituum immundorum tentationes. Navis est Ecclesia per totum orbem dispersa. Rete ex cœlesti doctrina, ex virtutibus spiritus & miraculis tanquam ex varijs filis contextum est, compellente Lege, capiente autem pisces Evangelio. Archipiscator est Christus sedens in navi ad certum locum haud alligata. Concionatores subordinati piscatores quoties concionem habent, retia laxant, alij fideles, alij improbi, dissimilesq; in arte & fortuna. Captura magna est Act. 2. v. 41. parva Joh 3. & quando unicus revertitur leprosus, & solus Athenis credit Areopagita.

Triplex officium fidelium piscatorum, ut

1. Naturam piscium, & loca apta & tempus conveniens rectè agnoscant.

2. Seduli in officio die nocteq; cum Petro laborent, prædicent, instent. 2. Tim. 4. v. 2.

3. Navim à littore paululum subducant, hoc est, ceu ab August. explicatur, ne sint ipsi mundani, vel terræ nimium adhæreant, vel longius à terra in docendi officio discedant, h. e. ut neq; terrena docentes voluntati carnalium hominum, qui terrena tantum sapiunt, se accommodent.

*modent. Nec ardua & difficilia nimis, quæ auditores assequi non valent, proponant.

Triplices pisces.

1. Balenæ canesq; marini, Epicurei & Tyranni furentes, repugnantes & retia disrumpentes. Prov. 18. Jer. 18. & 44.

2. Ranæ, hypocritæ, piscesq; in aquarum profunda mersi, homines qui nunquam oculos in cælum tollunt, nec ullam vitæ futuræ habent rationem, sed sola terrena curant, cupiunt & captant.

3. Boni transferendi in vitam æternam. Matth. 13.

II.

Fructus Fidei Triplex.

I. Ut cum hoc populo irruamus ad Christum, audiamusq; & observemus verbum ejus cum insigni alacritate. Si enim nolumus frustra quærere Dominum, quæramus veraciter, quæramus frequenter, quæramus perseveranter; nec quæramus præ illo aliud, nec cum illo aliud, nec ab illo ad aliud convertamur. Bernard. Verbum Dei sola ad salutem potentia est animam pascens. Rom. 1. Nec, teste Augustino, ulla æterna mansio est nisi in solo verbo Dei. Irruamus ergo ad Dominum per quævis impedimenta, sicut hæc turba etiam fulminantibus Pharisæis, Joh. 7. 9. 10. 11. qui egreferebant Christum audiri, Johan. 2. 4. 7. & sicut Apostolorum tempore, referentibus Just. & Tertull. cotidie sacris Christiani, antequam opus aliquod aggrederentur, interesse. Chrysost. Verbum Dei sit nobis munimentum, armamentum, Eph. 6. nutrimentum, stabilimentum, ornamentum. Nec impediat nos Satan, qui rugiens, 1. Pet. 5. cribrator, Luc. 22. in fine mundi, Apoc. 12. maximè sævit, unde cor fatui, Syr. 26. quasi vas omnem sapientiam non tenebit. cap. 27. Quasi in percussura cribri pulvis, sic σκωλία & σκωρία in cogitatu illius; cribrum enim solas paleas retinet, triticum autem perfluere sinit.

1. Propter

Causæ ut audiamus verbum Dei,

1. Propter authorem Deum & mandatum ejus in tertio præcepto. Deut. 6. Repetas ea filijs. Syr. 6. Narrationem omnem divinam audias libenter. Col. 3. Sermo Dei habitet in vobis opulenter.

2. Propter utilitatem: quia est summum bonum, quod nos consolatur, Psal. 119. confirmat, Joh. 6. purificat, Joh. 15. sanat, Sap. 16. vivificat, Psal. 107. illuminat, Psal. 119. justificat. Joh. 5. Luc. 10. & 11.

3. Propter minas contemtoribus pronunciatas. Levit. 26. Deut. 28. Ag. 1. Amos. 8. v. 11.

Sed multi potius ad crapulam & ludos irruunt, nec aure quidem corporis Verbum Dei audire dignantur. Gregor. Hinc pauci adsunt & rarissimè, vel vilem ob causam domi hærentes. Vel si fortasse audiunt aliud oculis aliud corde agunt, nec quicquam salutare inde hauriunt; sed verbum Dei vertitur illis in carmen musicum: Ezech. 33. dum Satan ijs cogitationes frivolas suggerit, vel aures obturat, vel pedes denig; adurit, ut finem expectare nequeant, & unica hora concioni interesse illis plus tædij affert, quàm 167. horis mundo inservire, & singulis diebus strenuè usq; ad vesperam laborare. Ubi nec quemquam videas inter metendum vel ducendum retia, vel colligendum fœnum dormire. Monet autem David, ut verbum Dei totius mundi thesauris præferamus, sitq; nobis lex Domini jucundior quàm multa millia pondo auri & argenti, Ps. 119. præ auro puto & puro, ut gaudeamus super verbo Domini sicut præda nacti opimam. Et si sub concione quis multum auri lucrari possit, verbum Domini cunctis tamen gazis præponat: quia morituris nil aurum proderit. Ezech. 7. v. 19. Hinc ipse Regius Propheta Psal. 27. v. 4. unum petit à Jehova, non quidem ut prodeat in villam, vel regnet in arce Zion, sed ut videat pulchritudinem Jehovæ in templo ejus. Hoc unum est, teste Christo, necessarium Luc. 10. nam qui meditatur in lege Domini similis arboribus est in humido positis. Psal. 1. Sed nec audiri tantùm, verùm observari quoq;

debet verbum Dei, ut nobis sic regula vitæ, juxta quam dirigamus viam nostram. Chrysost. Hauriatur verbum velut aqua ut impleantur hydriæ nostræ, & cautè portetur. Sic masticanda sunt aromata aliàs nihil profutura, & in horto divino non tantùm deambulandum est, sed lustrandæ, decerpendæ atq; terendæ sunt herbæ odoriferæ.

II. Ut, (quoniam in mari vitæ humanæ, ubi navis cujusq; vocationem, retia necessarios in ea labores denotãt, infelices sumus piscatores, tum propter peccatum originis, quod terram & mare infecit, nobisq; dominium & dominationem super creata eripuit, Genes. 3. patrumq; propter delicta, quorum iniquitatem visitat Deus in tertiam & quartam generationem. Exod. 20. Job. 21. Matth. 18. Exempla dantur in diluvio, Sodoma, Chore, Achan, Eli, Joab, Saul, Gehasi, Achab, &c. Tum propter peccata propria, Gen. 4. v. 12. per quæ Satan nos adoritur in omni statu,) requisita acquirendæ benedictionis pro depellenda inopia cum Petro studiosè observemus: 1. Ut Christum assumamus in navim nostram, in domum, in museum, in suggestum, &c. Ubi enim habeamus Dominum, Psal. 73. v. 25. & Deus pro nobis est, Rom. 8. v. 31. nihil nobis deërit. Psal. 23. v. 1. Aliàs nisi Dominus ædificet domum, Psal. 127. v. 1. sine Christo nihil possumus efficere. Joh. 15. v. 5. Si benedictus est Laban propter Jacob, Gen. 39. Regnum Ægyptiacum propter Josephum, Obed Edom propter arcam. 2. Sam. 6. Si benedicta est vidua Sareptana ob præsentiam Eliæ, [illegible]g. 17. magis id fiet præsente nobis Christo.

Adest autem Dominus Jesus, ubi
- *1. Agitur vera pœnitentia, & quis aperuerit ostium, Apoc. 3. v. 20.*
- *1. Fit congregatio & oratio cum Ecclesia domestica. Matth. 18. v. 20.*
- *3. Servatur sermo ejus. Joh. 14. v. 23.*

2. Ut ferias agamus docente CHRISTO & sanctificemus sabbathum quiescantq; naves & aratra; Aliàs multum seminantes exiguum metent. Mich. 6. 3. Ut ardenter orando respiciant oculi nostri ad

stri ad Dominum, 2. Par. 20. & mentem jungamus Olympo, dicentes: Domine non habemus vinum, Joh. 2. frustra laboravimus, aperi tu fenestras cœli, &c. Quia omnes hominum conatus omnia studia & consilia rerumq; actiones inanes sunt & inutiles, nisi divina ope dirigantur, quam quia homines in consiliis suis minime requirunt in maxima corporis & animi incommoda passim incidunt. Sap. 9. Hinc tot insperatæ orbitates, tot improvisa charorum funera, tot infaustæ nuptiæ, tot rei familiaris jacturæ, tot bella atq; dissidia, tot regnorum eversiones & omnes ferè mundi calamitates originem ducunt, in quibus miseri mortales per totam noctem imò per omnem vitam frustra sudant: quia in verbo Dei, in nomine Jesu non laxant retia, sed inconsulto Deo proprijs consilijs & sua providentia negocia sua exequuntur. 4. Ut in laboribus vocationis assiduè vires intendamus & opera manuum nostrarum manducemus. Psal. 128. Vult ergo Christus retia laxari, quoniam homo ad labores natus est, Job. 5. v. 7. coluisset q; hortum Eden etiam non lapsus. Gen. 2. v. 8. Aliàs ocia dant vitia, & corrumpitur desidiosi anima: quia ocium pulvinar est Satanæ corpus q; morbos contrahit, ceu aqua immota putredinem. Et quicunq; Deo morem gerere subterfugiunt, Gen. 3. v. 17. & 19. atq; Davidi Psal. 37. v. 27. Psal. 128. v. 2. & Salomoni Proverb. 6. v. 6. ut in sudore vultus victum quærant, discendiq; causa eant ad formicas, illis veniet tanquam viator egestas, & paupertas tanquam vir clypeo armatus. Ibid. v. 11. ut ad eam redacti se furti astringant. Prov. 3. v. 9. Ut quia positis retibus & sparso semine nil possumus ultra, pendeamus certa fiducia ab auxilio divino in nomine Jesu, Col. 3. aliàs erit qui laboret, moliatur & satagat, Syr. 11. v. 11. & tamen egeat multò magis, cum alium tardum atq; opis indigum & viribus destitutum ex humili conditione erigat Dominus. Quo providente & permittente omnia contingunt. August. lib. 5. de Civ. Dei. Quare & Plutarch. suadet benefacta omnia in Deum non in fortunam esse referenda. Quod consilium Sytho dux Athenienſium secutus, prædicantibus eum

eum Athenienſibus quod Cotyn regem interfeciſſet, dijs, inquit, habenda eſt gratia, quibus authoribus hoc præclarè geſtum eſt, nam ipſe nihil aliud quàm manum & operam commodavi. 6. Ut indignos fateamur nos peccatores, Gen. 32. v. 10. inferiores cunctis miſericordijs Domini, Matth. 8. cujus donum eſt quod homo comedat & bibat, & videat bonum de omni labore ſuo. Eccleſ. 3. Jerem. 10. v. 23.

III. Fruct. Fid. *Ut fugiamus invidiam alijs auxilium denegantes, ſi fortè labores vocationis noſtræ minus videntur felices, & fertilior ſeges alienis floret in agris. Quid ad nos ſi Deus alijs majora largitur, dilectio ſive charitas non invidet. 1. Cor. 13. v. 4. Vir impius invidet proximo. Prov. 21. Sed putredo oſſium eſt invidia. Prov. 14. v. 30. Gal. 5. v. 21. Nec murmuremus ſi noſtra rumpantur retia, ſi moriantur oves & boves & bona decreſcant; ſed quamcunq; ſortem æqua mente feramus, ſimus paratiſſimi, quod ille Luc. 18. v. 23. noluit, vel in vita, vel in morte omnia relinquere atq; Chriſtum ſequi. Ne avari & inſatiabiles divitiarum appetitores, bona caduca mordicus tenendo æternis privemur delicijs; nec habeamus theſaurum in cælo.*

III.

Trophæum & Merces Fidei Triplex.

I. Quod, licèt in hac vita, ut hoc loco ante reſurrectionem Chriſti rumpantur retia, nec rarò laboremus fruſtra, in futura tamen vita, quod poſt reſurrectionem Chriſti apparet, Joh. 21. v. 11. ubi ſalvis etiam retibus capiuntur piſces majusculi 153. omnia erunt integra & perfectiſſima, nec ulli mutationi obnoxia. In hoc mundo tres ſunt diverſi ſtatus; Eccleſiaſticus ſcilicet in quo numerantur Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Patres, Martyres & Paſtores. Et Politicus in quo Imperatores, Reges, Duces & Nobiles, alijq; magiſtratus officium gerentes. Deniq; Oeconomicus ampliſſimus, in quo ſedulò laborandum, & varijs exercitijs deſudandum, ut erogantur decimæ

cimæ & tributum. In vita æterna hic ſtatus non laborabit pro reliquis; quia ibi nec ſudor, nec labor, nec ærumnæ, Apoc. 7. nec jactura ulla. Ibi non conqueretur Elias: Domine trucidarunt Prophetas tuos, nec dicet Petrus: Laboravimus fruſtra. Ibi non feret nuncius mala nova, ut dicat Hiobo Job. 1. cap. 15: Irruerunt Sabæi ac tulerunt boves & aſinas, percuſſeruntq; pueros acie gladij. Ignis de cælo exuſſit oves & pueros. Chaldæi abegerunt camelos, &c. Tunc enim per anguſta abſolutus erit tranſitus ad auguſtiſſima.

II. Quod ubi verriculum Dei jactum in mare mundi, & contrahens ex omni genere impletum ſubductumq; fuerit, Matth. 13. v. 47. 50. in littus, foras abjectis malis piſcibus, nos ſegregatos Angeli colligent in vivaria ſancta & vaſa æternæ gloriæ; ſeparatos autem malos de medio juſtorum ceu piſces putridos in caminum ignis proïjcient, ubi erit fletus & ſtridor dentium. Nec dicet amplius Petrus, nec Electorum quiſpiam: Homo ſum peccator. In hac vita cæleſtis Jacob oves habet non omnes albas, ſed maculis conſperſas. Gen. 30. Ibi autem dicemus 1. Cor. 6. v. 11: Eramus olim turpiſſimi peccatores, ſed modò abluti & ſanctificati ſumus, & juſtificati in nomine Domini Jeſu per Spiritum Dei noſtri.

III. Quod per beatum obitum & glorioſam reſurrectionem, relictis omnibus caducis, cum gaudio Chriſtum ſequemur. Ubiq; filij hujus ſeculi amiſſis, quibus hic velut agglutinati adhærent, bonis mundanis ingement Sap. 5. v. 8: Ubi divitiæ cum jactantia? quid nobis contulerunt? & cum Lyſimacho Thraciæ rege, qui cum ab hoſte circumdatus &, in Apophth. veterum principum. in extrema neceſsitate conſtitutus aut ſiti extingui, aut victas manus porrigere & hoſti ſeſe dedere deberet, arrepto hauſtu frigidæ, depulſaq; ſiti dixiſſe legitur: O quàm brevis voluptas me ex Rege captivum fecit, exclamabunt: O quàm vana, vaga & vafra illa fuerunt, propter quæ retinendaChriſtum amiſimus, & æternum carcerem ſuſtinemus! nos cæleſti fruemur abundantia & divitijs æternis, juxta promiſſionem Chriſti Matth. 19. v. 29: Omnis qui reliquerit do-

mos, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros causâ nominis mei; centuplicia accipiet, & vitam æternam hæreditatis jure possidebit.

Dominica VI. Post Trinitatis.

DE JUSTITIA CHRISTIANA ET PHARISAICA.

Evangelium Matt. 5. à v. 20. usq; ad v. 27.

PRÆFATIO SUPPLEX.

VT Evangelium JESU CHRISTI, cujus causa hoc loco congregati sumus, feliciter proponatur & utiliter audiatur in gloriam Dei, nostræq; fidei confirmationem; quò vera Justitiâ per fidem potiamur ex misericordia Dei propter meritum Jesu Christi, eamq; ferendo justitiæ fructum per honestam & amicam conversationem, per placitam & fraternam condonationem testatam faciamus, orabimus nos à Deo Patre imbui sapientia Spiritus Sancti, in nomine Jesu dicentes: Pater noster, &c.

Exordium Propheticum.

ESa. 35. v. 5. & 6. inter cætera de Christo prædictum legimus, quod in diebus carnis ejus aperientur oculi cæcorum, quod non tantùm corporaliter, de cæcis quorum Christus oculos, Matth. 9. 20. Luc. 18. Joh. 9. aperuit; sed & spiritualiter de animi cæcitate intelligendum est. Adhæc quod erumpent aquæ in locis aridis atq; desertis. Utrumq; præstitit Christus in hoc textu; siquidem illuminavit oculos Phariseorum, & explicato quinto præcepto velamen abstulit ab oculis Mosis. Fusaq; unda Spiritus Sancti super focum pectoris humani ignem furoris iracundi extinguere docuit.

PERIO-

PERIOCHA ET DISPOSITIO METRICA.

MEliore nî quis præditus
Sit justitia, cœtus fuit
Quàm Pharisæorum arrogans
Non ibit in Regnum Dei.
Non tam manum quàm linguam
Simulq; gestus; & tuum
Cor ne furore bulliat
Jussit Deus constringere.
Si fortè fratrem læseris
Mox deprecare, & corrige.
Remitte citò si læsus es,
Judex minatur carcerem.

TRIPLEX USUS HUIUS EVANGELII.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. Quod Deus in Decalogo non tantùm externam, sed internam quoq;, quod Pharisæi non attenderunt, quorum vulgare erat proverbium, legem quidem manum, sed non animum prohibere, animi, cordis, voluntatis & affectuum requirat obedientiam. Levit. 19. v. 18. Deut. 6. v. 5. Matth. 22. v. 37. Luc. 10. v. 27. Siquidem, Matth. 5. v. 28. omnis qui aspicit mulierem ad concupiscendum eam, jam adulterium cum ea commisit in corde suo; nec tantùm qui occiderit, sed etiam qui temere irascitur fratri suo tenetur judicio. Et qui dixerit Fatue, reus est Gehennæ ignis. Postulat itaq; lex cogitationes purissimas, earumq; impurarum pœnam luendam esse monstratur exemplo Pharaonis, Genes. 12. v. 17. & Abimelech. Gen. 20. v. 3. Scripsitq; Gregor. super Matth. Sic Deus vias nostras considerat, & gressus dinumerat, ut nec minimæ cogitationes ac verba minutissima, quæ apud nos viguerunt ejus judicio indiscussa remaneant.

neant. Et Chrysost. super Matth. Si omnia taceant ipsa cogitationes nostræ & ipsa opera specialiter stabunt ante oculos nostros, nos ante Deum accusantes. Nostra autem omnia, cum in peccatis concepti, Psal. 51. filij iræ simus, Eph. 1. opera menstruata sunt, Esa. 64. v. 6. & cogitationes cordis immundæ, Genes. 6. Matth. 15. v. 19. omnes aberramus, Psal. 14. egemus gloria, Rom. 13. & maledicti sumus; Deut. 27. v. 26. Gal. 3. v. 10. nec respondemus ad Unum de mille. Job. 9. Nec quis dicere potest, mundavi cor meum, mundatus sum à peccato meo, Prov. 20. v. 9. cum non sit homo qui non peccet. 1. Reg. 8. v. 46. Eccl. 7. v. 21. Neq; innocens coram Deo innocens est, nec cælum purum; sed qui in Uno delinquit omnibus tenetur. Jac. 2. v. 10. Si autem dixerimus nos non peccasse, 1. Joh. 1. v. 10. sermo Dei non est in nobis. Ergo orandum ne Deus intret in judicium: Psal. 130. 143. quia justitia operum nostrorum nuda est, paupercula & deficiens, similis paludi putridæ nunquam mananti; ut si quis centum debeat talenta, nec habeat obulum unicum. Imò opera nostra si multiplicata essent velut arena maris ejusq; guttæ, & gramina campi, mensuram justitiæ divinæ tamen haud implerent, nec Unicum abstergerent delictum. Inculcandum hoc illis est, qui, cum externis gravioribus & notorijs delictis polluti non sint, in morbis & angustijs constituti se injustè à Deo affligi putant, imprimis cum parcatur impijs, nec aspiciunt infantium sortem, nec occulta delicta intelligunt, quæ Psal. 90. v. 8. confitetur, & Psal. 19. v. 13. deprecatur Propheta Regius David.

II. Quod justitia nostra seu justificatio hominis coram Deo, quæ est imputatio justitiæ Christi, per mortem ejus acquisita, sit melior quàm operum justitia & Abundans

περισσεύουσα, quia
1. Est consummata & perfecta obedientia Christi, tollens & delens omnia delicta. Esa. 1. 1. Joh. 2.
2. Facit tranquillam & pacatam conscientiam, Roman. 5. & 8. ut firma sit promissio.
3. Ducit in Regnum cælorum. Joh. 14.

Cum

Cum post lapsum, quo Satanas propositum Dei jam confusum putabat, legis justitiam assequi nemo posset, λόγος æternus filius Dei hoc ingens opus subijt, & incarnatus legem implevit; Rom. 4. tum sustinendo pœnam; Psal. 69. v. 5. Esa. 43. v 25. tum præstando integram obedientiam loco generis humani. Esa. 53. Joh. 8. v. 46. Hæc duo enim lex requirit obligans vel ad sufficientem pœnam; vel ad perfectam obedientiam. Utrumq; Christus pro nobis præstitit, obediens Patri ad mortem usq; crucis. Phil. 2. Hinc dicitur finis legis, Rom. 10. v. 4. qui quod legi impossibile erat præstitit, Roman. 8. v. 3. & 4. ut sic redimeret nos legi obnoxios. Gal. 4. v. 4. & 5. Est itaq; justitia qua homo justificatur obedientia erga legem Dei omnibus numeris & gradibus perfecta non à credente, sed à Christo in quem credimus facta & credenti imputata. 2. Cor. 5. v. 21. Quod & definitio solutionis in jure civili requirit; scilicet ut is qui debet persolvat vel alius pro eo. Beatus ergo, Psal. 32. v. 2. cui non imputatur peccatum, sed absolvitur propter mortem Christi, adoptaturq; gratis ad vitam æternam, sic donatus Veste justitiæ, Matth. 20. Apoc. 16. Corona justitiæ, 2. Cor. 4. & Hæreditate justorum. Roman. 8. Quæ non acquiritur apud homines servos inutiles, Luc. 17. quorum nullus fratrem redimit; Psal. 49. v. 8. nec si perfectus esset velut Adam ante lapsum, alicui suam obedientiam Deo debitam communicaret, nisi quatenus erudiunt nos ad justitiam consequendam. 2. Cor. 5. Nec datur ab Angelis, quamvis ministerij causa mittantur, Ebr. 1. v. 14. propter eos qui hæredes erunt salutis, quod & ipsi sua carere non possint justitia. Sed quærenda est apud Jesum Christum pro nobis sub legem datum, Gal. 4. cum esset Dominus legis, factumq; pro nobis maledictum, Gal. 3. ut justificati per fidem pacem habeamus, Roman. 5. v. 1. gratis per redemtionem factam per Jesum Christum. Rom. 3. v. 24. Sic Abraham

Credidit & nudæ fidei consensio sola
Plenam ad justitiæ & vitæ reputata coronam est.

Rom. 4. v. 18. Ne autem quis aberret, cotidie examinet vitam suam

ad præcepta Decalogi, sitq; lex bene ruminata pædagogus ad Christum. August. Utilitas legis est ut hominem de infirmitate convincat, & gratiæ medicinam, quæ in Christo est, implorare compellat. Idem Epistola 89. Jubet lex ut facere jussa conati, & in nostra infirmitate fatigati, adjutorium gratiæ poscere noverimus. Indè credat in filium Dei pro nobis passum & mortuum, & propter ipsum excitante fidem Spiritu Sancto remissionem peccatorum, oretq; remitti sibi debita; & meditatione Baptismi atq; manducatione corporis & sanguinis Christi hanc fidem confirmet. Sic per concionem legis ductus ad agnitionem peccati & iræ divinæ contritus orabit cum Psal. 6. 51. 143: Domine ne in furore tuo intres in judicium. Cum Manasse: Domine non posuisti pœnitentiam Sanctis, &c. Cum Daniele cap. 9: Domine nobis confusio. Cum prodigo, publicano & latrone Luc. 15. 18. 23: Domine non sum dignus dici filius tuus. Esto propitius mihi peccatori & memẽto mei. Nec adigetur cũ Caino, Saule vel Juda ad desperationem; sed certò statuet majorem esse Dei misericordiam, quàm omnium peccatorum miseriam. Nec deerit nova obedientia & bona militia seu fructus justitiæ. Phil. 1. v. 11. Sic ergo justitia Christi, quam pro nobis legi obedientiam præstando assecutus est, fide à nobis accepta & propria nostra per fidem in Christum verè abundans est: Joh. 1. v. 16. quia ubi abũdavit peccatum, ibi superabundavit gratia. Et redundavit in omnes homines, Rom. 5. v. 17. 18. copiosissima, 2. Cor. 4. v. 15. abundantia gratiæ, divitiæ gratiæ, Eph. 1. v. 7. 8. Et supereminens magnitudo virtutis, opesq; & divitiæ gratiæ Christi, Eph. 2. v. 7. imperveſtigabiles, Ephes. 3. Col. 1. v. 9. fluenta justitiæ & profundum mare. Mich. 7. v. 19 Imò, juxta Cyrill. Abyssus misericordiæ, quod simili de scintilla ignis ex silice in alto mari excussa declaratur: Christus quoniam, cum unica gutta sanguinis Dei, Act. 20. v. 28. pretium fuisset æquivalens, abundantissimè satisfecit, si essent mille mundi & millies majora delicta. Ut si quis centum debeat florenos, & pro quolibet obulo exponat talentum, ceu Chrysost. Hom. 11. annotavit. Explanatur hoc simili de

libra,

libra, posito in una lance omni plumbo & quovis ponderoso, in altera unica plumula: sic mare misericordiæ divinæ nostra delicta absorbet. Ergo millies lapsus regredere. Sed hæc fidei confirmatio non proderit Epicureis impœnitentibus & ex operibus salutem petentibus; non enim extenuandum est peccatum, quod vel minimum, pœnitentiâ vera haud depositum, ad Gehennam detrudat.

III. Quod verè sit Judex, Judicium, minister, carcer & Gehennæ incendium, in quo refragi legis violatores, & in turpi odio vitam absolventes perpetuò torquebuntur: Matth. 18. v. 34. quia non valebunt reddere ultimum quadrantem. Ideoq; teste Gregor. lib. 9. Moral. horrendo modo sit miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu: quia & mors semper vivit, & finis semper incipit, & defectus deficere nescit. Mors perimit & non extinguit, dolor cruciat, sed nullatenus pavorem fugat, flamma comburit, sed nequaquam tenebras excutit. Et super Matth. de tenebris exterioribus. In inferno erit frigus intolerabile, ignis inextinguibilis, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, tenebræ palpabiles, flagella cædentium horrida, visio Dæmonum, confusio peccatorum, desperatio omnium bonorum. Isidor. de meditatione Gehennalis supplicij. Intende nunc quascunq; seculi pœnas, quoscunq; tormentorum dolores, quascunq; dolorum acerbitates, & compara totum huic Gehennæ, & leve est omne quod pateris. Duplex damnatorum pœna est in Gehenna, nam & mentem urit tristitia & corpus flamma. Et, juxta Hugonis sententiam lib. 4. de anima. infernus lacus est sine mensura, profundus sine fundo, plenus ardore incomparabili, plenus fœtore intolerabili, plenus dolore innumerabili. Ibi miseria, ibi tenebræ, ibi ordo nullus, ibi horror æternus, ibi nulla spes boni, nulla desperatio mali. Utinam hoc firma fide tenerent omnes Athei.

II.

Fructus Fidei Triplex.

Si volumus cælestem accipere hæreditatem, non debemus onus hæreditati adjunctum repudiare; sed cum Booz, Ruth, Ruth. 4. v. 6. divinæ legis obedientiam amplecti. Qui cupit utilitatem, non refugiet laborem; Prov. 13. non enim erit victoria sine certamine, nec sine navigationis periculo quis ad æternum felicitatis portũ appellet.

I. Ut non tantùm locomotivæ & externorum membrorum obedientiâ; sed toto corde & anima studiosè observemus legem divinam. Nec contra quintum præceptum quem occidamus Manu. Non nosmetipsos ut Saul, 1. Sam. 31. Ahitophel, 2. Sam. 17. Razias; 2. Mac. 14. nec alios velut Cain, Herodes, Nero; nec per alios ut Jesabel, Judas, commissione vel omissione.

Ne quis manu perpetret homicidium:
1. Quia Deus prohibuit cui maximè est obediendum.
2. Propter pœnam. Gen. 9. v. 6. Galat. 5. v. 21. Apoc. 22. v. 15.
3. Quia homo conditus est ad imaginem Dei, estq; templum Spiritus Sancti. Ubi notanda venit historia de statua Placillæ Theodosij. Nicephor. lib. 12. cap. 43.

Indè coërceamus Linguam, ne dicentes Nabal rei simus Gehennæ. Non equidem quod omnia convicia sint prohibita; quia quædam sunt officia, sic ipse Christus discipulos stultos appellavit, Luc. 24. v. 25. & amentes. Plurimosq; stultis comparavit, Luc. 12. v. 20. & dementibus, Matth. 7. v. 26. Matth. 25. v. 3. & fatuis. Et Paulus Galatas amentes dixit. Galat. 3. v. 1. Sed convicia ex hostili corde profecta damnantur ceu homicidium linguæ, Jer. 18. v. 18. & de verbis exiget Deus rationem. Matth. 12. v. 26. Jac. 3. Peccavit ergo cum lingua sua Simei contra Davidem, 1. Sam. 25. & quadraginta pueri contra Elisæum, 4. Reg. 2. & quivis detractator triplex est homicida. Bernhard. Syr. 28. v. 22.

Nemo proximũ percutiat lingua:
1. Quia Deus prohibuit addita pœna Gehennæ, ne famam proximi arrodamus, vel ipsi malè precemur.
2. Quia non lapidi vel trunco; sed filio vel filiæ Dei, fratri vel sorori Christi maledicitur, quod nec homo placidè fert.

3. Pu-

3. *Pugnat cum lege naturæ, & dilectione proximi: quia unum corpus sumus in Christo, quasi quis maledicat oculis & manibus suis.*

Nec quis diris devoveat semetipsum contra pactum Baptismi & meritum Jesu Christi cujus nos sumus: quia nec veritas hoc subsidio indiget. Nec malè precetur uxori & sobolisuæ carni suæ, quod ejusmodi maledictio sit periculosissima.

Porrò ne quis dicat Racha, quod significat ructando spiritum emittere, comprehenditq; omnes gestus iracundos, ubi præ furore immutatur vultus, ut Nebuchaden. Dan. 3. v. 19. aut præ odio quis torvum videt uti Esau, Gen. 27. v. 41. Laban, Genes. 31. v. 2. & Saul, 1. Sam. 17. Usias, 2. Par. 26. v. 19. irascitur. Judæi frendentes stridentdentibus, Act. 7. v. 54. moventq; caput Christo pendente in cruce. Multiq; proximum vix dignantur alloquio vel responso. Syrac. 27. v. 27. Mala molitur nictans oculo. Proverb. 10. v. 16. Proverb. 16. v. 30.

Cavendum est à Racha & gestibus inimicis:

1. *Quia Deus prohibuit, cui notissimum quod sæpe tacens odij semina vultus habet.*

2. *Ut effugiamus pœnam spiritualis excommunicationis.*

3. *Propter exemplum Dei, qui nobis exhibet paternum vultum; Numer. 6. nec præterit nisi salutet ac benedicat.*

Tandem ut munda sint corda nostra ab ira. Matth. 15. Rom. 7. 1. Joh. 3. v. 15. Quisquis odit fratrem homicida est. Syr. 28. v. 1. ad 14. Memento extremorum & pone inimicitias. Nec tamen generaliter omnis ira est prohibita; quoniam multa justa est ac necessaria. Nec ex carne sed ex spiritu procedit zelus divinus.

Triplex ira justa & Christiana: 1. Ira Dei, Exod. 20. Ps. 2. & 6 quæ ceu ignis exardescit, Deut. 4 pœnamq; statuit justo furore Deus in primum mundū, in Sodomitas, Pharaonē, Achabū & Saulem. Sic expulit Christus mercātes, iratusq; fuit Dominus cœnæ, Luc. 14. & Rex nuptiarum.

Matth. 20. 2. Ira officij in verbi ministris; qua inflammatus Moses fregit tabulas, Exod. 32. Elias igne cælitus delapso perdidit servos Ahasiæ, 1. Reg. 1. percussitq; Baalitas, 1. Reg. 18. Elisæus maledixit illusoribus pueris, & Phineas confodit scortatores. Sic & excommunicatio retinetur in Ecclesia. 1. Cor. 15. Item ira & vindicta in magistratu atq; in parentibus, propter cujus neglectum punitus est Eli. 1. Sam. 3. 3. Ira fraternæ dilectionis, qua discernit inter personam & delictum, 2. Cor. 11. nec in fratrem; sed in vitia ejus se extendit: Levit. 19. dum, ut Greg. loquitur, nemo alium amat quem non facit meliorem. Et, juxta August. ita diligendi sunt homines, ut non diligantur eorum errores. Rectè contra vitium irascimur, & peccatum quod à Dæmone est odio habemus, non autem rectè contra fratrem; quia Dei creatura est diligenda. Sic habent peccata geminam faciem, quarum altera ad indignationem, dum delictum detestamur: altera ad compassionem, dum delinquentem miseramur, animos excitat. Prohibetur autem ira temeraria & personalis, quod per vocem ἀνὴ exprimitur. Aliàs & David odit observantes vanitatem, Psal. 31. v. 7. & odio habentes Jehovam. Psal. 139. v. 21.

Ne temere irascamur: 1. Quia abominatio est ira in oculis Domini. Syr. 28. v. 8. Memento ergo mandatorum ne irascaris proximo. Ira furor brevis est, & homo iratus facilimè perdit, quod nunquam reparat. 2. Quia fratres sumus, 1. Pet. 5. non solùm ex Adamo, sed unum habemus Deum Patrem bonum, & eundem Mediatorem Jesum Christum. Unum spiritum Verbumq;, & eadem Sacramenta, idem iter & hæreditatem in cælo. Eph. 4. Nec discordia sed pacis Deus Deus est. 1. Cor. 12. Non igitur regnet inter nos contentio; quia fratres sumus: Gen. 13. v. 8. 3. Quia ex ira turpissima quæq; scaturiunt; Ut irritetur Deus, evomantur blasphemia & abigatur Spiritus Sanctus. Levit. 24. v. 11. Gregor. Per iram Spiritus Sancti splendor excutitur, qui super humilem & quietum requiescere dicitur; quia cum ira quietem subtrahit, suam Spiritui sancto claudit habitationem. Cujus recessu animus vacuus ad apertam morum

insaniam

insaniam ducitur. Ut ipse homo per iram sit amens, odiosus, insanus & ager: Syr. 28. 30. quia, teste Chrysost. irati more apicularum cum aculeo vitam in vulnere linquunt, vel postea eo amisso servire cogantur. Et similes sunt serpentibus, qui posteaquam hominem vulnerarunt, non recipiuntur in gremium terræ. Similes denique ollæ ferventi, quæ ebulliens ignem exstinguit, scilicet charitatis, pinguedinem transfundit, nempe fortitudinis, & postea evacuata propter defectum humoris ipsa crepat. Quare & bilioſi sæpius in paralysin & morbum caducum incidunt. Videmusque pueros, senes, ægrotos, fœminas, & mentis inopes supra cæteros magis iracsci, quos ut pusillanimes ira maximè attingit. Ut tandem ira æstuans alios homines crudeliter laceret tempus justæ vindictæ non expectet, leves injurias exaggeret, imò etiam in bruta, quæ cum suspiriis nobis inserviunt, Rom. 8. & ipsa Elementa desæviat. Lege Sen. lib. 3. de ira. Sic ergo ubi fides regnat fugiantur hi quatuor gradus in omni homicidio concurrentes: Ne ira in corde accendatur; nec ex oculis ceu ignis ex abscondito erumpat; nec ex ore procedant minæ & maledictiones; nec adhibeat manus arma quæ furor ministrat.

II. Ut si quem læserimus humiliter deprecemur culpam & reconciliemur fratri nostro, neque negetur aut excusetur quod injustè admissum est; sed conscientia sit mille testis, Syr. 13. & quantum fieri potest ablatum restituatur. 2. Sam. 21. Luc. 19. v. 8. Deus non miserebitur nostri antequam cum illo quem injuria affecimus redierimus in gratiam. Nec omninò rejicit munus orationis nostræ, sed ipsa manet in conspectu ejus, donec fiat reconciliatio cum proximo. Res admiranda! Satis erat ut homo offensus paululum expectaret quousque Deo litaremus, & ipsi debitam pietatis orationis ac pœnitentiæ hostiam offerremus, ut sic secundæ partes post Dei majestatem homini attribuerentur. Sed, ut cum Chrysost. exclamem: O ineffabilem Dei nostri benignitatem & misericordiam, atque immensum erga genus humanum amorem! Honorem suum quodammodo despicit, dum in homine charitatem requirit. Et sic prior tabula cedit

posteriori: Quia melior est obedientia, quàm victima. 1. Sam. 15. Bernard. Ingratum est Spiritui Sancto quicquid obtuleris, neglecto eo ad quod teneris. Si ergo læsus fortè videtur tibi indignus coram quo humilieris, quod ipso sis potentior, cave ne agas te indignum misericordiâ potentissimi Dei. Si ejus inimicitiæ tibi leves videntur, cave tibi ab irato Deo. Si hominis carere potes amicitiâ, quomodo carebis favore Dei? Quomodo ostendes fidem tuam? Lege Theodor. lib. 5. cap. 17. de Theodosio & Ambrosio.

III. Ut si à quo læsi sumus habeamus benevolentiam cum adversario nostro; nec, quoniam faciles motus mens generosa capit, & summum jus summa est injuria, arcum nimium tendendo rumpamus. Condonavit Joseph fratribus suis, Gen. 45. pepercit David Sauli, Simei & Nabal. Eusebij historia legatur apud Theodor. lib. 5. cap. 4. Aliàs cupidos ultionis ultio manebit à Domino, nec remittet nobis Pater cælestis. Mat. 6. & 18. Luc. 6. Aliàs nec dignè possumus accedere ad cœnam Domini; nec piè recitare orationem Dominicam, nisi literas portare velimus Uriæ, & nos ipsos Satanæ in delictis necandos exponere. Si quoq; cæcus & à Satana actus adversarius culpam fateri subterfugiat, pars læsa potius pacem offerat, quàm hominem perire patiatur, imitata patientiam & mansuetudinem Dei, qui proprio motu propter Christum nos hostes suos vocat, & cotidie in gratiam recipit. Rom. 5. Sequitur nos in desertum, Luc. 15. invitatq; per ministros suos; 2. Cor. 5. ut patiamur nos reconciliari, cum tamen ipse sit à nobis læsus, & damnatio nostra justa foret. Nec differenda est reconciliatio, sed citò dum in via sumus continuanda; ne Sol occidat super iram nostram. Eph. 4. v. 26. 32. Non debes iracundiam retinere, inquit Augustinus Psal. 25. quoad Sol occidat. Ejice iracundiam antequam occidat lux ista visibilis, ne te deserat lux ista invisibilis. Agathon re & nomine bonus rectè dixit, se nunquam irato pectore cubitum petijsse, sed iram felleam aut deposuisse, aut errorem esse deprecatum. Satanas adhæc reconciliationem impedire totis viribus elaborat, & nos viatores sumus,

Gen. 45.

Gen. 45. v. 24. quibus non tumultuandum in via; quia euntes cubitum incerti sumus num illa nocte, Luc. 12. dicturus sit Dominus: Revertimini. Psal. 90. Si nobis annunciaretur unum aliquem de familia nostra intra mensem domi nostræ morituram, ah quanto studio nos omnes præpararemus! Aut si quis modò templum ingrediēs jussu Dei significaret, quod de nobis octo intra octiduum sint morituri. Vah quantus tremor omnes invaderet! Sed ne de tantillo vitæ spacio certi sumus. Ergo præparati depulso odio absolvamus curriculum, benigni & misericordes in alios, Eph. 4. v. 32. & condonantes nobis mutuò offensas, sicut Deus in Christo nobis condonavit. Nec rem tanti momenti differamus, sed versentur nobis ob oculos pericula in quibus vitam ducimus, leges quibus astringimur, ratio quam sumus reddituri, & hostes qui nos undiq; obsident. Nec quis nisi deposita iracundia, sic placido animo ex ade sacra hodie domum revertatur.

III.

Merces seu Finis Fidei Triplex.

I. Quod justificati fide, Rom. 3. & adoptati à Deo propter Christum, Joh. 1. Rom. 8. ornatiq; veste justitiæ Christi, Matth. 20. in Regnum Dei, à quo Pharisæi sibi ipsis confidentes excluſi sunt, intremus. Quamvis ex turpi vita multorum constat securitas, quales describuntur Psal. 73. Sap. 15. Jer. 12. plerique tamen ubi vel aspiciunt ossa mortuorum, vel adsunt sepulturæ, vel ipsi ægrotant, cogitabunt de morte, de die novissimo, de mansione vel in cælis vel in inferno. Sigq; modò omnes & singulos alloquar: O viri, ô fœminæ scitis vos esse in orbe exules, Gen. 47. scitis esse moriendum, Ebr. 9. v. 27. & vicinam esse mortem. Eccl. 9. v. 12. Nunquid vobis prospectum est de sede certa? ubi manebitis? Nemo diceret se de his nunquam fuisse sollicitum, minus se non curare ubi mansurus sit, minimè se eligere mansionem cum Diabolis. Sed cælum poscimus omnes, idq; ut consequamur fugienda sunt vestigia Pharisaica,

Luc. 18. & arripiendum est consilium Pauli Rom. 7. Gal. 2. v. 16. Phil. 3. v. 7 8. 9. Hæc est antiqua Fides, Act. 4. 10. 15. & sola methodus Joh. 3. Act. 2. 19. à Christo, Petro & Paulo monstrata, cupientibus ingredi Regnum cælorum.

II. Quod per absolutissimam Christi satisfactionem: Psal. 69. Esa. 43. & 53. quia integerrimam legi pro nobis præstitit obedientiam, redemti non veniemus in concilium, nec in judicium, Joh. 3. nec in flammas Gehennæ; sed abjecto odio & tranquillè absolutâ vita liberi erimus à Judicis strenui sententia, à Satana lictore, & ab inferni carcere. Quæ libertas, si unquam lætatus est remisso capitali supplicio à furca liberatus, perpetuum in nobis gaudium excitabit.

Judicium erat apud Judæos triplex: 1. Triumvirale, in quo de causis minoribus tres honesti viri sententiam tulerunt. 2. Synedrium parvum ex 23. personis quasi consistorium, in quo de vita judicabatur, & coram ejusmodi judicio Stephanus, Act. 7. ad mortem condemnatus est. 3. Synedrium magnum 72. Virorum optimorum, ex tota posteritate Jacobi selectorum, qui ferebant sententiam de Sacerdotalibus & Regalibus negocijs. Coram ejusmodi judicio Christus in domo Caiphæ accusatus fuit. Et pœna in hoc consistorio decernebatur quadruplex: scilicet ad laqueum, enses, lapides, vel ignem. Si quis ita honestè & modestè vitam transegit, ut à nullo, nec ipsemet quem accusans, in jus vocatus fuerit, illum prædicari & lætari oportuit, nos autem multò magis, qui cum rei essemus judicij, consessus & ignis Gehennæ per Christum; siquidem pro nobis legem Activè & Passivè implevit, verè liberati & perpetuò liberi non accusabimur à Satana, Apoc. 12. nec conijciemur in custodiam.

III. Quod in futuro seculo à nobis, quos filius Dei liberos fecit, Joh. 8. ne minimus quidem postulabitur quadrans. Christus enim, Col. 2. v. 14. delevit Chirographum quod adversus nos erat, illudq; sustulit e medio cruci affixum. Huc referatur historia de Eremita, quem Satan monstrato immenso catalogo scelerum totius mundi

mundi coram Deo accusare comminatus, & brevi post combusto libro propter meritum Christi dolens reversus est. Scriptum reliquerunt Sabel. lib. 3. cap. 6. & Valer. Max. lib. 5. cap. 4. quod Miltiades ob temere susceptam expeditionem adversus Parum & rem malè gestam ab Athenienſibus damnatus fuerit, mulcta ipsi quinquaginta talentorum irrogata, quam cum exsolvere non posset, & in carcere, ex marcescente femore, quod in infelici illa contra Parum expeditione fregerat, decessisset, sepulturam quæ ei negabatur Cimon filius voluntarijs vinculis emere non dubitavit. Cum autem nec Cimon, qui patris vices in se receperat solvendo esset, accidit ut Callias unus ex locupletioribus sororem ejus Elpinicem duceret, mulctamq; Miltiadi irrogatam, sed jam Cimoni incumbentem ærario publico penderet. Quo beneficio Cimon liberatus, cui aliàs in carcere moriundum fuisset, pietatis suæ præmium adeptus est. A nobis autem propter satisfactionem Immanuelis & fratris nostri Christi planè liberatis in æternum nihil exigetur.

Dominica VII. Post Trinitatis.

DE TURBA MIRACULOSE SATURATA IN DESERTO.

Evangelium Marc. 8. à v. 1. ad v. 10.

PRÆFATIO SUPPLEX.

AEternum Deum, qui Spiritus Sancti gratia & vera prudentia imbutos quater mille homines traxit ad Dominum Jesum, Joh. 6. ut in deserto etiam toto triduo cum ipso manerent, invocabimus, ut eodem Spiritu nos incēdat, excitetq; in nobis ardorem & sapientiam docendi discendiq; Evangelium; quō

quò sic promoveatur gloria Dei & salus nostra cum pane cotidiano per & propter Dominum Jesum. Pater noster, &c.

Exordium Propheticum.

DEut. 28. inter successus eorum qui mandata Dei servaverint, v. 5. numeratur, quod benedictum erit canistrum & conspersio eorum; quoniam Jehovah dixit Psal. 132. v. 15. Esca eorum benedicam, & pauperes saturabo pane. Et Esaias prænunciavit cap. 9. v. 3. quod lætabuntur coram Messia juxta lætitiam, quæ est in messe. Johan. 4. v. 35. Idq; factum esse textus docet. Est autem Messis triplex: 1. Collectio frugum, Levit. 19. v. 9. qua instante gaudent esurientes & inopes. 2. Spiritualis. Matth. 9. v. 37. 38. 3. Consummatio seculi. Matth. 13. v. 39. Et Christus miraculosè metendo atq; in momento pinsendo procuravit cibum ventribus, addidit imò præmisit cibum animæ, ut tandem messores Angeli colligant justos.

BREVIS SUMMA ET DISPOSITIO TEXTUS METRICA.

BIs bina sermonem audiunt
Christi virorum millia,
Triduo manent sine tædio;
Nec à propinquo venerant.
Christus misertus ventribus
Cibum parat famelicis,
Apostolosq; consulit,
Qui nil in hoc valent loco.
Panum penu atq; piscium
Sed ipse distribui jubet,
Edunt, fames depellitur,
Et septuplum recolligunt.

TRIPLEX CIBUS ANIMÆ EX HOC TEXTU.

I. Con-

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

1. Quod Jesus Christus Deus sit omnipotens, & liberrimè agens Filius Dei viventis, Matth. 16. v. 16. qui septem panibus hyperphysicè saturavit 4000. homines, ut fragmentorum septem sportæ supereſſent. Sic visa est, atq; ex hoc miraculo emicuit gloria ejus, tanquam gloria Unigeniti à Patre, Joh. 1. cujus magna est potestas & majestas infinita supra naturam & omnes res creatas: quia cælum & terra, & universa Christo morem gerunt. Psal. 8. Ille pisces cogit in retia, Luc. 5. monstratq; in ore piscis monetam, Matth. 17. largitur mel & oleum de petris, Deut. 32. siliginem ex arena, lardumq; ac mustum de arboribus, facitq; inter nos cotidie tanta & majora miracula, dum ad nutum ejus Sol, Luna ac stellæ cum primo mobili motus suos peragunt: dum infantes concipiuntur, sustentantur atq; ex utero educuntur materno: dum modico quod terra profert frumento totius mundi inhabitatores, etiam in amplissimis civitatibus tot millia nihil seminantiũ pascit, quamvis hæc assiduitate vilescant. Augustin. Tantũ potest Christus, talem nos habemus Dominum Patrem & fratrem, cujus nos sumus subditi filij, fratres & sorores. Cui nõ est difficile salvare & saturare per multa, vel per pauca, 1. Samuel. 14. v. 6. qui tam bene exiguo, quàm copioso victu vitam hominis sustentat. Dan. 1. v. 13. Quare non respiciendi sunt fructus in campo vel horreo, sed Christus & benedictio Domini. Prov. 10. Si Christum diligimus verbumq; ejus servamus, amicis suis victum adjiciet dormientibus; Psal. 127. Matth. 6. nec quid nobis deerit, Psal. 23. licèt interdum moram trahat Dominus. Abac. 2. Siiram Dei super nos excitamus nil proderit penus, nec divitiæ, sed evanescent; quia frumentum, farinam & panem tam bene in area, in furno, in ore quàm in agro pro lubitu liberrimo Deus adauget vel diminuit. Syr. 11. v. 23. 25. 26. Perfacile est in oculis Domini citò ac subitò locupletare pauperem. Nec vivit homo ex divitijs; nec quid

amplius rex quàm mendicus secum ex mundo trahit. Victus & amictus pauperum si vilior est, tamen accedente benedictione Domini æquè salutaris: Psal. 37. v. 16. quia non ex solo pane vivit homo. Matth. 4.

II. Quod Jesus Christus sit Dominus & Deus misericors, non tantùm potentior omni lege naturæ, & plura potens quàm nos petimus aut intelligimus; Eph. 3. sed ardens etiam amore atq; misericordia erga auditores verbi sui, quos non dimittit vacuos vel esurientes; sed famelicos implet bonis suis. Luc. 1. v. 53. Et h.l. paternè ponderat diserteq; exponit, sic ut nemo orator potuisset rectius, eorum necessitatem, bonusq; Oeconomus in deserto mensam sternit; quoniam vivis literis in visceribus cordis ejus scriptũ est: Σπλαγχνίζομαι ἐπὶ τὸν ὄχλον. Unde afficitur morbis & calamitate nostra, Psal. 10. & 56. nec quem supra vires onerat. 1. Cor. 10. Ideoq; signa edidit quæ non tantùm essent signa; sed simul beneficia, quò divinitatis suæ fidem faceret, pariterq; arctissimo amicitiæ vinculo sibi homines copularet. Exultemus ergo in Domino, quod sit

Rebus in angustis firmum medicamen Iesu:
Cor patrium, os verax, omnipotensq; manus.

Primò in Christo est vera misericordia non tantùm veri Dei, quæ tam latè patet, ut ea repletum sit cælum & terra, Psal. 119. super omnem carnem; Syr. 18. nec tantùm veri hominis, cum sæpius frater, utpote nihil mali expertus non misereatur fratris sui: Matth. 18. Sed misericordia hominis varijs laboribus ac calamitatibus afflicti, quæ res ipsum tentatum ad misericordiam facit propensiorem, ut mali haud ignarus miseris succurrere discat. Ebr. 4. 5. Siquidem ipse sustinuit famem, Matth. 4. Luc. 19. paupertatem, Matth. 8. 2. Cor. 8. persecutiones, Psal. 22. mœrorem, Matth. 26. mortem. Luc. 23.

Secundò os habet amicum & labia suavissima, Psal. 45. Esa. 50. & 61. dulcissimaq; dedit nobis promissiones. Psal. 55. Matth. 6. Luc. 12.

Tertiò

Tertiò manus ejus non est abbreviata; Numer. 11. Esa. 59. sed omnia potest mutare, Psal. 118. 145. datq; jumentis escam, Psal. 143. pascit corvos & vestit lilia. Matth. 6. Ideo plorando non plorabimus: Esa. 30 v. 19. & 20. quia miserando miserebitur nostri, &c. Et si deducat nos in desertũ, Ose. 2. v. 14. amanter loquetur ad cor nostrũ, ut consideremus lapsum primi parentis, atq; in schola crucis, Esa. 26. depulsa quæ ex abundantia germinat insolentia, Deuter. 32. v. 15. Ezech. 16. v. 49. Luc. 16. reddamur meliores. Ne irretitos perdat Satan, Jer. 44. v. 17. & pietatis flores supprimat.

Iterum lætemur in Domino: quia sperantem in Jehova, Psal. 32. v. 10. misericordia tanquam circulus circumdabit, & auditores sacri sermonis ubiq; & in urbe & in agro, etiam in fragmentis benedicentur. Levit. 26. Deut. 28. Matth. 6.

Fidentem nescit deseruisse Deus.

III. Quod Deus etiam de longè venientes recipiat: sunt enim quidam turpi ingenio præditi à natura, nec à pueritia ad pietatem assvefacti, sed ipsâ naturâ ad vitia propensi & in illis diu versati. Sunt qui inter Turcas & Getas & extremos Garamantes vitam degant, Christumq;, cujus Ecclesia per totum orbem dispersa est, in insulis remotissimis confiteantur ac venerentur. Venerunt filij de longè, Es. 60. v. 4. & 5. & fortitudo Gentium, quæ olim erant procul, Eph. 2. v. 13. abalienatæ & extraneæ à pactis promissionum. Nec tamen quia de longè veniunt à cælesti convivio excluduntur, imò fide languentes patienter fert Dominus, Esa. 42. eosq; promovet ut veniant à fabulis ad veritatem, à tenebris ad lucem, à morte ad vitam, à Satana ad Christum, ab inferno ad cælum.

II.

Fructus Fidei Triplex.

I. Ut Christum studiosè sequamur etiam usq; in desertum, vel solitudinem, & Verbum ejus audiamus absq; tædio; nec ob penuriam penus aut panis ab ipso deficiamus, quod proh dolor multi fa-

ciunt, sed toleranter deficiente commeatu cum ipso perseveremus; quia bonum est præstolari cum silentio salutare Domini. Thren. 3. Luc. 11. v. 8. Matth. 15. v. 28. Aliàs hæc turba nos accusabit in die resurrectionis.

Cum homo constet corpore & anima, harumq; partium diversa sit sustentatio, & anima in novissimo die corpus ad se tractura sit, illius cura esse debet potissimas ut bene vestiatur ornamento justitiæ Christi, pascaturq; Verbo & Sacramentis Domini, ne deprehendatur nuda Apoc. 19. & famelica. Quod enim corpus ornetur byssо & splendidè nutriatur; Luc. 16. id animæ maximè nocivum.

Ne dicas: Si Christus concionaretur sedulum me ipsi præberem auditorem, pastorem autem agrefero. Respondit tibi Abraham, Luc. 16. v. 31. Christusq;, Matth. 10. v. 20. & Paulus, 2. Cor. 5. v. 20. & ego dico, quod Christum præsentem immediatè loquentem non audies, nisi pronunciantem: Ite & venite Matth. 25. v. 34. & 41. Nec omnes qui Christum audiverunt salvati sunt. Vide conterraneos, Luc. 4. discipulos, Joh. 6. & Judam Apostolum. Nec Christus semper molli sermone usus est; sed contra crapulam, avaritiam & alia scelera passim horrendum fulminavit. Luc. 16. 19. 21.

Nec dicas: Iter longum est & aër frigidus; sed memento stridoris dentium, & æterni carceris. Si quis Regum literas & mandata aspernetur, de pecunia vel vita periclitatur. Contemnens autem Dei literas, Chrysost. quas de cælo nobis per concionem prælegit, neq; opibus neq; vita delictum redimet; sed reus erit Gehennæ.

Neq; dicas: Quomodo sequar Christum cum sui præsentiam à nobis subtraxerit? Respondit enim August. Non ambulando sed amando illud fieri, & Christum tantò habebimus præsentiorem, quantò eundem amorem quo ad illum tendimus habemus puriorem. Sit ergo mens nostra semper defixa in vita, in doctrina & operibus Salvatoris, ut de ejus nativitate, doctrina, miraculis, morte, resurrectione & ascensione semper cogitemus, & sic amore, mente & cogitatione Agnum sequamur. Apoc. 14.

L. Quia

Verbum Dei omnibus mundi divitijs & delicijs præferendum est:

1. Quia hæc est voluntas, & hoc est mandatum Dei. Exod. 20. Deut. 6. Syr. 6. Joh. 8. Col. 3.

2. Quia unicam & summam docet sapientiam. Ps. 119. Luc. 1. Quicquid aliàs mundus agit mera est stultitia. Matth. 7. & 25. Luc. 12.

3. Quia Joh. 15. inquit Christus: Si manseritis in me & verba mea manserint in vobis, quodcunq; volueritis petetis & fiet vobis. Hoc est hominem quodammodo Deum facere.

4. Quia sola hæc est animæ nostræ lucerna. Psal. 119.

5. Quia est scaturigo omnis consolationis in ærumnis, 1. Cor. 10. in morbis, 1. Cor. 11. in agone & morte. Johan. 8.

6. Quia est Panoplia contra Satanam. Eph. 6.

7. Quia est compendium benedictionum corporalium. Luc. 5. Joh. 6.

8. Quia habemus exempla Davidis, Psal. 27. 84. 122. Mariæ, Luc. 10. & Nobilium. Act. 17. &c.

9. Quia Deus gravissimè punit contemtum verbi sui. 1. Sam. 15. Agg. 1. Mal. 3. Amos. 8. 2. Thes. 4.

Mirum sanè quod his non moveantur auditores nostri, qui si cum hac turba conferantur, ab ejus pietate pessimè deflectunt. Nec adsunt numerosi, Thren. 1. v. 4. nec de longinquo veniunt, nec triduum expectant, imò vix horam cum Christo vigilant. Nec sub udo cælo famem sustinent, sed terrena curant, quorum familiaritas illis fastidium & contemtum parere meritò deberet; quod quò magis ea volvimus, eò magis eorum fragilitatem & inconstantiam experiamur. Cum è contra ob dignitatem & elegantiam verbi divini, illius amore & desiderio magis magisq; inflammemur. Syr. 24. v. 29.

Contemtores ejusmodi Regulam Christi, Matth. 6. v. 33. invertunt, de Regno Christi & justitia ejus parùm solliciti, & quæ solùm facienda essent omittentes, pueris q; simillimi, qui cum in forum

à parentibus mittuntur, ut confecto negocio ocyus revertantur, ſpectaculis intenti officium negligunt, vel pomis aut nucibus ineſcati, cujuſnam rei gratia miſſi ſunt obliviſcuntur. Cumq; poſthabitis bonis æternis ſola quæritent caduca, juſto Dei judicio utroq; privantur; vertitur enim aurum eorum in ſcoriam & opes decreſcunt, quod ſtulta temeritate lamijs aſcribunt, cum ipſi ſuæ fortunæ fabri ſint. Interim Nahas Satan, 1. Sam, 11. v. 2. illis fidei oculum expungit, & improba corda ita obdurat, ut nullis verbi divini fulminibus penetrari poſſint, ijsq; fruſtra prædicetur, fruſtra Chriſti vincula, mors, Dei judicium, inferni carcer, & alia in illos jacula torqueantur.

Sicut illi milites qui ſulphureo pulvere jactos globos non metuunt quod ferreos geſtent thoraces. Sicut bombyces ſonitui tympanorum aſſueti à graviori tonitruum ſonitu non læduntur, quo aliàs non rarò moriuntur. Sicut illi qui ad ſtrepitus fluviorum habitant. Sicut illi qui in navibus à ventis & fluctibus actis dormire conſueverunt. Sicut canes in domibus fabrorum educati malleorum ictus non pertimeſcunt: Sic plurimi ſacrarum concionum auditores, ad tonitrua verbi divini inſenſibiles facti, admonitionibus noſtris etiam graviſſimis non permoventur; ſed peccati menſuram egregiè implent, & perpetrato homicidio inſuper heluantur, ſcortantur, &c.

II. Ut in terra ſedentes divinæ majeſtatis celſitudinem, & indignitatem noſtram humili animorum ſubmiſſione conſideremus. Syr. 10. v. 13. Quid ſuperbit terra & pulvis, &c. Cũ vermes ac ſerpentes, beſtiasq; jure quodam hæreditario ſit poſſeſſurus? Inferiores ſumus cunctis miſericordijs Domini. Gen. 32. v. 10. In omnibus itaq; oremus, 1. Tim. 4. v. 5. ut vel minimus bolus ſanctificetur per verbum Dei & precationem; ne fortè ſedeat Satan ſuper lactucam, ceraſum vel nucem, ſeq; non præmiſſa oratione mordentem vexet. Gregor. lib. 2. Dialog. cap. 4. Agamusq; gratias cum Chryſoſtomo dicentes: Benedictus Deus qui me paſcis à juventute mea. Tibi

honor

honor, gloria & imperium in secula. Aliàs auferet Dominus frumentum & vinum, lanam & linum, Ose. 2. v. 9. Porrò frangamus rationem, ne ipsi stultè indulgentes dicamus: unde panem? vivimus in locis aridis, rapit magistratus & fœnerator, consumunt feræ & vermes, nec dantur pisces, & pascenda sunt corpora multa, quid tandem? Resp. Confugiendum est ad Dominum Jesum in silentio & spe. Esa. 30. Novit ille quid, quamdiu, & quantum esurierimus, & quibus indigeamus. Recolamus igitur exempla auxilij divini, sustentationis in deserto. Quomodo Jehova benedicendo Sareptanæ paverit Eliam, 1. Reg. 17. centum viros, 2. Reg. 4. v. 44. cibumq; procuraverit Danieli per Habacuc ab Angelo ex Judæa in Babyloniam vectum. Et nobis paternè hunc usq; in diem prospexerit. Panem tandem & pisciculos boni facientes modico simus contenti, magnum quippe lucrum pietas est, 1. Tim. 6. v. 6. cum animo sua sorte contento, &, teste Seneca, qui desiderium clausit, cum ipso Jove de felicitate contendit, & Jacob panem tantummodo ac vestimenta à Domino petijt. Gen. 28. v. 20. Lege, Prov. 13. v. 25. Prov. 15. v. 17. Prov. 17. v. 1.

Si dat oluscula mensa minuscula pace referta
Ne pete grandia lautaq; prandia lite repleta.

Lege exemplum punitæ libidinis Num. 11. Et quantò melius sit corpus valens immensis opibus & ferculis epularū lege Syr. 30. v. 15. 18.

Utilitas paupertatis triplex, ut

1. *Exerceatur fides, probetur constantia, exigatur oratio.*
2. *Constet pietatis stipendium in vitam futuram reservari.*
3. *Cùm hic viatores simus desiderium vitæ æternæ in nobis excitetur.*

III. *Ut dimissi post sanctificatum Sabbathum & auditas conciones, ad honestos vocationis nostræ labores revertamur, Psal. 127. & sudore partis fruamur cum parsimonia, quæ est mater divitiarum, & commendatur exemplis Josephi, Spartanorum, Lycurgi, Alexandri*

Alexandri Magni, Alphonsi, Epaminondæ, Philopomenis, &c. Luxuriosi autem & prodigi nimis fuerunt Antonius, Cleopatra, Heliogabalus, Vitellius, &c. Habeamus ex laboribus nostris: 1. Victum necessarium. 2. Quod detur Deo, & magistratui, & proximo honoris causa. 3. Quod reservetur ad casum necessitatis: quia ante obitum felix supremaq; funera nemo. Syr. 11. v. 30. Magna felicitas est si per benedictionem Dei, Prov. 10. quid relinquitur liberis, in quibus vir cognoscitur. Syr. 11.

III.

Tripudium & Trophæum Fidei Triplex.

Augustinus: O utinam possemus homines excitare, ut unà cum illis possemus ipsimet excitari, ut tales essemus amatores vitæ permanentis, quales sumus vitæ fugientis.

I. Quod in die novissimo turba admodum multa à longinquo tam ratione loci per totum orbem, quàm temporis indè à mundi primordio ad Dominum Jesum veniet. Et quoniam triduò, scilicet vitæ, mortis atq; Sabbathi sub humo apud ipsum mansit, pro commiseratione & merito ejus in patria cælesti fruetur æterna benedictione. Hic certo Dei consilio famem interdum sustinemus, ut pietati & virtutibus operam demus; nec plenus venter, quod videmus ubi laxior est annona, despumet in libidines: in futura autem vita fames malesuada nemini molesta erit. Apoc. 7. August. super Johan. Hom. 3. Talis erit illa delectatio pulchritudinis, ut semper tibi præsens sit, & nunquam satieris. Imò semper satieris, & nunquam satieris. Si enim dixero quod nunquam satiaberis, fames erit. Si dixero quod satiaberis, tunc tibi nec fastidium erit nec fames. Quid dicam nescio: Sed Deus habet quod exhibeat.

II. Quod excitati à mortuis non discumbent super terram, sed multi dormientium in terra pulveris, Dan. 12. expergiscentur, hi quidem qui inventi fuerunt in libro scripti ad vitam æternam; ubi depulsa ratione fidem Deo habebit cor humanum per spiritum illumi-

illuminatum & glorificatum. In hac vita vir Dei Moses, qui Exod. 14. virgâ mare divisit, Exod. 15. fontem amarum dulcoravit, Exod. 17. Amalech contrivit, Num. 11. de carne danda infirmus dubitavit. Qui Exod. 17. juxta verbum Domini produxit aquam ex petra, Num. 20. idem facere jussus duabus vicibus petram percussit, v. 11. ideoq; in terram Canaan non est ingressus, nec tamen de terra viventium exclusus: sed, Deut. 34. à Deo sepultus &, Matth. 17. in Thabor visus. Sic dux incredulus, 2. Reg. 7. v. 2. & ipsi discipuli, cùm paulò ante 12. cophinos fragmentorum de 5. panibus hordeaceis, Joh. 6. in manibus habuissent, hic illius immemores in pristinam relabuntur incredulitatem, atq; ex hoc miraculo iterum confirmati eandem produnt stultitiam Matth. 16. v. 6. Marc. 8. v. 16. eandem reponunt cramben famemq; prametuunt, ubi Christus bina hæc miracula ipsis in mentem revocat. Idem de nobis judicium est, qui in hac vita manus habemus oculatas; at in futuro seculo fidem nobis Christus in manus tradet, ut tandem planè & plenè cognoscamus ipsum non fuisse alligatum ad Physicam, neq; ad Arithmeticam. Ibi non rogabimus, adauge nobis fidem Domine: Marc. 9. Luc. 17. quia Fides nostra non amplius erit calamus quassatus & linum ferè extinctum; Esa. 42. v. 3. sed robur ingens, & ignis ampliſsimus.

III. Quod postea Christus non dimittet, verùm apud se in gaudio & gloria retinebit Electos suos. 1. Thess. 4. v. 17. Nec cantabit: Ite Missa est; sed habitabimus in domo Jehova in longitudinem dierum. Psal. 23. v. 6.

Dominica VIII. Post Trinitatis.

DE PSEUDOPROPHETIS CAVENDIS.

Evangelium Matth. 7. à v. 15. usq; ad v. 21.

PRÆFATIO SUPPLEX.

AEternum Deum, qui adeò paternè per filium suum nos præmonuit, ut fugiamus Pseudoprophetas, ardenti gemitu invocabimus, ut conservet inter nos Verbum suum, & Sacramenta pura atq; intemerata; & hoc loco ac tempore effundat super nos Spiritum sanctum, quò hoc magistro per explicationem præmonitionis divinæ propagetur gloria Dei, & confirmetur fides nostra, proferens ceu bona arbor fructum egregium, nosq; faciendo voluntatem æterni Patris intremus in Regnum cælorum. Pater noster, &c.

Exordium Propheticum.

E*Sa. 7. v. 15. prædictum est de Messia, quod butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum & eligere bonum. Loquiturq; cum ipso Deus Jer. 15. v. 19. Si eduxeris pretiosum à vili tanquam os meum eris, convertentur ipsi ad te & tu non converteris ad eos. Segregavit autem Christus in hoc textu aurum à scoriis; siquidem docuit fugere falsam doctrinam & hypocrisin, quæ pessima sunt, econtra eligere bonos doctores & facere voluntatem æterni Patris, quæ maximè sunt necessaria & longè optima.*

SUMMA BREVIS ET DISPOSITIO METRICA.

FAlsos Prophetas, ut lupos
Ovium gerentes vellera,
Sed corda crudelissima,
Vitare Christus præmonet.
Apparet ex fructu malo
Si putridæ sint arbores,
Vepreta quod nunquam ferant,
Ficus, nec uvas cardui.

Non

Non ore quis salvabitur
Deum absq; corde prædicans;
Sed qui voluntatem Dei
Patris fide ex vera facit.

QUID CREDAM, FACIAM, SPEREM EX HOC TEXTU.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. Quod inimicitiæ, Gen. 3. v. 15. inter Semen mulieris & serpentem positæ ad diem maneant usq; novissimum. Hinc Satanas semper ab initio Ecclesiam persecutus est homicida & mendax, Johan. 8. non tantùm per Tyrannos; verùm etiam per Pseudoprophetas. Sic in Ecclesia domestica Adami propter religionem cæsus est Abel, litigarunt Ismael & Isaac in domo Abrahæ, nec fuêre concordes in Isaci domo Jacob & Esau. Jud. 2. legitur quod post obitum ducum atq; judicum, quibus nota erat voluntas Jehovæ, dispersus populus servierit Idolis, neglecto Deo vero. In diebus Eliæ fuerunt Sacerdotes Baal 450. 3. Reg. 18. Tempore Michæ 400. Pseudoprophetæ. 3. Reg. 22. Christo opposuerunt se Pharisæi & Saducæi. Joh. 8. Idem contigit in Ecclesia primitiva per Cerinthum, Ebionem, Marcionem, &c. 2. Cor. 11. scribit Paulus: vereor ne sicut Evam serpens decepit, etiam sensus vestri intricentur amissa simplicitate in Christo. Augustinus affirmat â tempore Apostolorum ad annum Christi 400. quo ipse vixit excitatas fuisse sectas octoginta octo. Et modò passim repullulant, qui dicta ac sententias scripturæ invertunt, statuta hominum & rationis suæ deliramenta admiscent, atq; pugnantia cum scriptis Propheticis & Apostolicis propagant, scripturamq; ad alienum sensum detorquent. Exempli gratia. 1. Johan. 5. v. 5. scriptum est, quod Jesus sit filius Dei. Arrius hoc aliter interpretatur negatq; Christum esse Deum verum. Gal. 4. v. 4. scribit Paulus, Filium Dei natum ex muliere, respondet Nestorius Filium Mariæ

intelligendum esse. 1. Tim. 3. legitur v. 2. Episcopum oportet esse unius uxoris maritum, hoc Papistæ interpretantur de sacerdotum cælibatu. Matth. 16. dicit Christus: Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, quod interpretatus est Pontifex Romanus de primatu suo. In cœnæ institutione dixit filius Dei: Edite, bibite, hoc est Corpus, hic est Sanguis meus. Respondent hostes crucis Christi, quod sit signum absentis corporis Christi. 2. Pet. 3. v. 9. inquit scriptura: patiens Deus est erga nos nolens ullos perire, sed omnes ad resipiscentiam tendere. Hoc est, ajunt prædestinatores, Deus vult aliquos pro certo suo decreto, nec omnes salvari. Docete omnes Gentes baptizate eos, inquit Christus Mat. 28. Exceptis infantibus, subjungunt Anabaptistæ. Rom. 3. v. 28. Colligimus fide justificari hominem absq; operibus legis. Sed opera necessaria ad salutem astruunt Synergistæ. Et sic Satanas variis modis avios ducit homines à genuino scripturæ sensu, & veterator, mille artifex, simia sacellum templo Dei adjungit.

Tres cœtus hæreticorum:

1. Qui, quod Deus omninò probibuit, Prov. 30. v. 6. addunt suos errores Verbo Dei; nec sunt cum Christo, Matth. 12. quod multis modis factum est in Papatu.

2. Qui detrahunt de Verbo Dei pro sua parùm sana ratione, & exemplo Satanæ, Matth. 4. scripturam mutilant. Quod hodie cum gemitu experimur.

3. Qui utrumq; impiè præstant.

Satanas partem maximam trahit: 1. Quia astutus est & multa expertus, utpote qui tot annis idem negocium tractavit. 2. Quia homines fastidiunt, quasi nausea rapti, Evangelij Manna. Num. 21. v. 5. 3. Quia novitatis avidi, quod Lucas de Athenienses commemoravit, Act. 17. v. 21. sanam doctrinam non tolerant; sed auribus prurientes pro cupiditatibus suis sibi coacervant Doctores. Utinam crederent homines & evolverent, tantum virus delitescere sub labijs Pseudoprophetarum, tantumq; afferri ab illis Ecclesiæ detrimentum, quod verè majus malum non sit quàm depravatio sanæ doctrinæ.

doctrinæ, ut non habeamus Dominum. Psal. 73. Quare à Christo dicuntur mendaces, latrones & fures, Joh. 10. utpote triplices. Lupi rapaces, cardui & spinæ, Matth. 7. maliq; operarij, viperæ, & Satan. Joh. 6. 8. Matth. 18. A Paulo dicuntur canes, Antichristi & hostes crucis Christi. Phil. 3. Ab Apostolo Johanne mali spiritus. A Juda nubes sine aqua. Ab Esaia graphicè describuntur Esa. 59. v. 5. Comparanturq; viperis matrem necantibus, & telis aranearum quas fuci perrumpunt, atq; Basilisco qui gaudet in tenebris & obtutu enecat: quoscunq; enim trahunt in suam sententiam, illos in vita mœror, in agone desperatio manet, & in inferno cruciatus æterni. Dolendum autem quod hæc spiritualis laniena tam parvi fiat ab hominibus, qui si opes famam vel vitam periculo videant expositam, ut illa eripiantur omnes nervos intendunt: si per lupos carpendum sit iter comites sollicitè quærunt: si sobolem à lupo vorari spectarent nihil non molirentur. Sed proh dolor animam suam negligunt, nec metuunt Satanam; sed & pueros suos Moloch offerunt non rectè institutos.

II. Quod sola illa doctrina, quam filius Dei ex sinu Patris revelavit, Matth. 11. v. 27. sit firma basis & norma vera salutis nostræ. Non ergo salvabitur unusquisq; per fidem suam in sua religione: nec collocandi sunt Socrates, Plato, Cicero, aliiq; Ethnici etiam coram mundo sapientissimi in numero Electorum: quia non crediderunt in nomen Unigeniti filij Dei. Joh. 3. v. 18. Quorsum aliàs tam ardua Christi admonitio. Justus ex fide sua vivit, Abac. 2. sed in Christum, qui salutem nobis acquisivit, & unica via est ad vitam æternam, Joh. 14. Act. 4. qui alio modo salvari quærit fur est & latro. Joh. 10. v. 1. Sed ais: Cum hæc sit petra & porta salutis, possetq; Deus eruncatis & excisis Hæreticis facilè conservare Verbum suum, cur eos sic grassari permittit? Respondeo: 1. Propter veritatem vaticiniorum, ut sit Christus lapis offendiculi, Psal. 118. v. 22. Esa. 28. v. 16. 1. Pet. 2. v. 6. Signum cui contradicitur. Luc. 2. v. 34. Necesse est ut veniant scandala, Matth. 18. v. 7. &

oportet esse hæreses. 1. Cor. 11. v. 19. 2. Ut cor hæreticorum perfidum innotescat, & ceu acera à tritico discernantur, illiq; qui probati sunt fiant manifesti. Et alacrius pugnent probandi velut argentum. Psal. 7. Sic & ipsa doctrina in Articulis fidei magis eluceſcit? Hinc August. Divina providentia multos diversi erroris hæreticos esse permittit, ut cum interrogant nos ea quæ nescimus, sic discutiamus pigritiem, & divinas scripturas eripiamus. Sic Jud. 3. scriptum extat, quod Deus populos aliquot Cananæos superesse in Palæstina permiserit, ut Gens Israëlitica pugnando contra illos, aliàs belli ignara, exerceretur. Sic Evangelio Johannis de Majestate Christi hominis divina causam præbuit Cerinthus. Sic Epistolæ ad Corinthios à Paulo exaratæ sunt, multisq; viris doctis hodiè calcar additur. 3. Quia pro eo quod contemserunt verbum Dei, & sermonem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, mittit Deus efficacitatem deceptionis, ut credant mendacio, & damnentur, confecti fame audiendi verba Jehovæ. 2. Thes. 2. v. 11. Amos 8. v. 11. Quod Romani, Corinthij & alij experti sunt.

Quamvis autem permittente Deo passim grassentur Pseudodoctores, indubitanter tamen credendum, quod non agant impunè; quoniam idem de ipsis, quod de arboribus malis & putridis est judicium, quas comitatur maledictio, postea prosternuntur, & tandem in ignem projectæ rediguntur in cinerem. Sic ergo puniuntur hæretici, 1. Spiritualiter, ut apertis oculis & auribus nec videant, nec audiant, ceu Judas Joh. 12. nec corde intelligant, sed cauterio notatam habeant conscientiam, Deumq; infensum & homines, & finali premantur impœnitentia; quia propter ventrem commiserunt peccatum in Spiritum sanctum. 2. Corporaliter, ut spe & opinione citius deperdant famam & vitam, Jer. 2. Ezech. 13. Zach. 13. quod Jamris, Nestorij, Arrij, aliorumq; perspicuè satis docent historiæ. 3. Intolerabiliter sub ira Dei, in flammis Gehennæ, tanquam paleæ & acera, stramina & zizania. Psal. 1. Syr. 42. Ezech. 13. Mal. 4. Matth. 7. & 13. Apoc. 14.

III. Quod

III. *Quod doctrina Evangelij instar ficuum medicinam & salutem conferat, & ceu vinum recreet atq; confortet. Ficus arbor est aspectu vilis, ἀνάνθ floribus haud præmissis fructum ferens, fructus in cibo sapidus est & saluber, Gen. 3. v. 7. Adam & Eva foliis ficuum nuditatem tegunt. Esa. 38. v. 21. Ezechias peste laborans ex consilio Esaiæ alligat massam ficuum super ulcus & sanatur. Visio duorum calathorum ficubus plenorum describitur & explicatur Jer. 24. Galenus scriptum reliquit, quod de omni arborum fructu in senectute ficus sibi maximè profuerint. Johannes Ruellius lib. 2. cap. 85. docet, ferum & indomitum taurum si ad ficum arborem alligetur mox fieri mansuetiorem. Aliàs ficus pellunt sitim, abigunt venenum, calefaciunt corpus, confortant naturam, purgant pectus, faciunt contra hydropem & morbum caducum. Quæ singula doctrinæ Evangelicæ fidei analogæ conveniunt, qua, Apoc. 16. v. 15. teguntur verenda nostra, pascitur anima, Joh. 6. domantur tauri, Psal. 22. v. 13. & morbi curantur spirituales. Sic vitis arbor est imbecillior, videturq; arida & despecta, sed reficitur & exhilaratur cor humanum vino, abigitur mœror & infirmitas. Hinc Prov. 31. v. 6. suadet Lemuel Rex, ut detur vinum ijs qui amaro sunt animo, quò bibant & obliviscantur calamitatis suæ. Syr. 40. v. 20. Vinum & Musica cor exhilarant. 1. Tim. 5. v. 23. monetur Timotheus vino modico uti propter stomachum & crebras suas infirmitates, propinaturq; supplicio afficiendis vinum, ut imperterriti se pœnæ capitali subijciant. Et nos doctrina Christi in agone sustentat.*

II.

Fructus Fidei Triplex.

I. *Ut omni studio tam discentes quàm docentes abigamus lupos sanæ doctrinæ depravatores, & vitemus homines hæreticos, Tit. 3. v. 10. aliam doctrinam ferentes. Gal. 1. v. 8. Requirit officium boni pastoris, Esa. 58. ut instar tubæ vocem attollat, Tit. 1. ut*

non

non solùm instructus sit proponere veram doctrinam; sed etiam contradicentes convincere. v. 9. Sicuti Nehem. 4. Israëlitæ post reditum ex Babylone, cum templum restaurarent, contra incursus hostium securibus & malleis gladios atq; hastas jungebant. Et maxilla asini Simsoni gemino fuit usui; prosternendo scilicet hostes, & præbendo aquam refectionis. Sic pastoris boni est docere & pugnare, pascere oves & lupum abigere, acuere veritatem & mendacia revelare, plantare utilia & sarmenta resecare. Jer. 1. Joh. 10. Act. 20. v. 28. & 29. Nec minus auditores tenentur probare spiritus, 1. Joh. 4. Deut. 13. v. 1. 2. 3. quod bonum est retinere. 1. Thes. 5. Nihil est quod dicant hæretici, se velle pro auditoribus quatenus decipiantur damnari, nec quod existiment auditores solos pastores si falsa doceant rationem reddituros; testatur enim Ezech. cap. 33. v. 8. quod ipse impius propter iniquitatem suam morietur. Probandi itaq; sunt doctores num amussim Verbi divini sequantur, quod Beroënses, Act. 17. v. 11. fecisse leguntur: siquidem etiam in multò levioribus, quæ ad ventrem solummodo spectant, sedulò expiscantur homines quid facto opus sit. Inprimis magistratus habebit inspectionem, Deut. 17. v. 18. osculaburq; Filium Dei & aperiet ipsi portas, Psal. 2. & 24. & 148. ut vestigia Davidis, Salomonis, Asæ, Josaphat, Ezechiæ, Josiæ, Constantini & Caroli Magni aliorumq; sequantur: Quia non est res levis momenti, sed salutem nostram concernens. Quamvis autem igne & ferro deleri non possunt, tacendum tamen non est usq; ad messem, Matth. 13. multò minus ijs concedendum propter brachium seculare; sed ne sparsum ab ipsis fermentum longè lateq; serpat acriter illis occlamandum est.

Tria præstanda.

1. *Orandus pro ijs Deus est ut in viam cõvertantur.*
2. *Vel si ita Domino visum fuerit, ut impediantur & eradicentur. Inprimis autem assiduè invocandus est Deus, ut extrudat fideles operarios in messem suam. Matth. 9. Luc. 10.*
3. *Studiosè fugiendi sunt. Matth. 16. Galat. 1. Tit. 3. 1. Johan. 1.*

II. *Ut*

II. Ut bonæ arbores bonum producamus fructum, in totius vitæ curriculo ad finem usq; perseverantes in opere bono. Apoc. 2. v. 10. Orat quidem filius Dei pro arbore seu ficu non ferente fructum, Luc. 13. v. 8. & expectat ut reddatur melior; sed posita est securis ad radicem, Luc. 3. v. 9. & paratus ignis, & non invento fructu maledicitur ficui Matth. 21. Jer. 19. Aliàs arbor habet spem, Job. 14. & arbor Nebuchodonosori post septem annos restituta legitur; Dan. 4. v. 20 sed radicitus evulsa arbor non revirescet. Eccl. 11. Siquidem ergo in veram oleam insiti sumus, Rom. 11. v. 24. non degeneremus; nam arbori, licèt principiò bonum ferat fructum, si putrida marcescat, non parcetur. Bileamo, Sauli, Judæ quod Prophetis & Apostolis annumerati fuerint quid profuit? cum ad finem non perseveraverint. Et ipse Satan principiò fuit Angelus. Euge postremus ille sit fidei nostræ fructus ut Deo commendemus animam. Psal. 31. Luc. 23. Act. 7.

III. Ut, siquidem voluntas Dei erga gregem pusillum est dari nobis regnum, Luc. 12. v. 32. & quosvis homines salvari, 1. Tim. 2. v. 3. 4. quod verbis & factis abundè declaravit, nos quoq; faciamus voluntatem Patris nostri, qui in cælis est. Voluntas verò Dei patris est, 1. Ut audiamus Jesum Christum, Deut. 18. Matth 3. & 17. atq; præcones ejus, Matth. 10. v. 40. & credamus in filium Dei. Job. 6. v 40. Joh. 17 2 Sanctificatio nostra, 1. Thes. 4. ut unusquisq; vas suum possideat cum honore; nec simus conformes mundo: sed ut cognoscamus quænam sit bona & perfecta voluntas Dei, & si lapsi fuerimus agamus pœnitentiam. Luc. 13. 3. Ut, patienter ferentes crucis jugum, per multam tribulationem ingrediamur in regnum Dei, Matth. 11. Act. 14. quod quidem difficilius, ut quorum pectora prima & secunda maledictio perstrinxit, præstare valemus: quia sponte vitiorum spinas germinamus, sed fruges patientiæ cum assiduo labore & sudore.

Agnoscent autem simpliciores voluntatem Patris ex Catechismo, qui brevis summa & quinta essentia est totius sacri Codicis, mon-

strans in Decalogo quid agendum, in Symbolo quid credendum, ex ore Christi quomodo orandum sit, nec non quomodo ad pactum Baptismi ambulandum & fides confirmanda sit. Ex Catechismo simul tanquam ad Lydium lapidem examinentur & judicentur errores; quicquid enim ab hac methodo divina discrepat præter dubium falsum & fictum est. Abeant ergo Papistæ cum invocatione sanctorum, operum supererogatione, una specie laicis porrigenda, &c. quia jubemur Deum invocare qui gloriam suam alteri non dabit, credere & orare remissionem peccatorum, & in Sacramento tam bibere quàm edere. Et quicunq; baptizatus crediderit salvus erit. Sequamur itaq; hanc normam & non tantùm genua, sed cor inflectamus, non labijs tantùm, sed corde ad Deum appropinquantes. Esa. 29. August. Qui voluntatem Patris nosse desiderat, fiat amicus Dei. Idem in explic. Psal. 59. Multi adorant Christum, & non sunt regnaturi cum Christo.

III.

Finis & Triumphus Fidei Triplex.

I. Quod, cum in hac fragili vita propter corruptæ naturæ infirmitatem, & errorum multitudinem fideli admonitione indigeamus, Rom. 7. Gal. 5. in futura vita ubi Angelis similes perfecti, & in Deo doctissimi erimus, ubi nec caro concupiscet contra spiritum, nec fucus ullus obtrudetur nobis, admonitione amplius non erit opus. Si Prophetæ adhuc carne septi mirabili Spiritus sancti operatione, quare & Videntes dicti sunt, longè absentia, & profundè abscondita scrutari potuerunt, sicut Elisæus, 2. Reg. 5. domi suæ in Ophel sedens vidit quid servus cum Namanno Syrio ageret. 2. Reg. 5. v. 26. Idem Regi Israëlis indicavit verba, quæ locutus est rex Aram in penetrali cubiculi sui. 2. Reg. 6. v. 12. Ezechiel in terra Chaldæorum habitans vidit abominationem in templo Hierosolymitano. Ezech. 8. Et Jeremiæ aperuit Dominus propositum Judæorum. Jer. 12. Si Joseph propter somniorum interpretationem à Pharaone

ductus

dictus est Saphenath Paneah, hoc est, absconditorum interpres, Gen. 41. v. 45. quam ob causam & Daniel honoratus est. Dan. 2. v. 48. Certè in vita cœlesti nos neq; Satan, neq; membra ejus dolo aliquo circumvenient; nec lupi rapaces in vestitu ovium amplius metuendi erunt. Giselbertus in lib. Altercat. cap. 4. Cum venerit quod perfectum est, & evacuatum fuerit quod ex parte est, & quod videmus nunc per speculum & in ænigmate tunc à facie ad faciem videbimus, jam cessante corporis & mentis mutabilitate, &c. Tunc quibus modò accidit ex nativa corruptela velle ac posse peccare, nunquam & nusquam peccare volent aut poterunt.

II. Quod arbor fidei nostræ fœcunda non prosternetur, nec ponetur securis ad radicem ejus; sed florebit & fructum producet in Paradiso Dei; nec conijcietur in ignem stygium, cujus flamma erit inextinguibilis, Esa. 66. maledictis parata, Matth. 25. Sicut enim hortorum cultores steriles arbores evellunt, ne terram occupent & frugiferis noceant arboribus, easq; igni reservant: Ita Deus sceleratos homines, ne reliquis pravi operis exemplo noceant, & sibi majorem damnationis cumulum acquirant, è medio tollit. Ignis in quem projcientur mentio fit Matth. 13. v. 30. Matth. 3. v. 10. & 12. Joh. 15. v. 6. Mal. 4. Sed ille multis in rebus à nostro igne distat: Quia noster ignis materiam quo foveatur requirit, & nutrimento deficiente extinguitur, & viva corpora correpta enecat atq; in cinerem vertit, & semper eodem modo incendendo & urendo cruciat. Ignis autem Gehennæ fomentis non indiget, nec unquam deficiet; Nec unquam cruciandos extinguit, & pro varietate culpæ damnatorum animas torquet. Matth. 11. v. 22. Mirum autem est quod homo hoc audiens & credens peccare audeat, præsertim cum cotidie ignis vim & acrimoniam experiamur. Si nunquam ignem vidissemus, vel vis ejus nobis ignota esset, fortè facilius ignosceret Deus, quod ignis æterni timore non usq; adeò angeremur; sed quia igne cotidie fruimur, quomodo admittimus id quod igne æterno plectendum est? Cum extremo tantùm digito ignem tole-

rare durissimum videatur. Vah quantùm erit inter tot ignium globos, & in tanto flammarum pelago toto corpore & anima cum igne æterno colluctari? Si levissimos dolores in hoc seculo ferre non possumus, quomodo infinita illa tormenta in camino sempiterno perferemus? Qui hæc audiens non expavescit ferreus & amens est. Nos autem gratias agimus Redemtori nostro, qui nos ab igne æterno liberavit & hunc fidei triumphum præparavit: quo potiti multos cum quibus hîc familiariter viximus, quos vera pietate præditos fore existimavimus, hypocritas à Deo repulsos æterna felicitate privari videbimus; plurimos è contra de quibus nobis exigua spes fuerat per veram pœnitẽtiam ad Deũ conversos & beatos mirabimur.

III. Quod intrabimus in Regnum cælorum, ubi verè faciemus voluntatem æterni Patris: nec abiget nos judex Christus, ceu monstratur in contextu, Matth. 7. v. 23. cum operatoribus iniquitatis. Nec corruet domus nostra, ibid. v. 27. etiamsi descendet pluvia & venient flumina, & impingant turbines: quoniam ædificata est super petram, ibid. v. 24. quæ est JESUS CHRISTUS, Matth. 16. v. 18. Rex cæli & terræ, qui animas confessorum suorum electas coram Angelis suscipiet, & confitebitur coram Patre cælesti. Matth. 10. v. 32. Dicet autem: videte Angeli, Throni & Dominationes, hi sunt Prophetæ, Apostoli, Patres, hi sunt filij & filiæ oves q. meæ, hæ animæ verbum meum observarunt, me coram mundo confessæ sunt, voluntatem Patris mei fecerunt, credendo, orando, gratias agendo, bene militando ad finem perseverarunt, habeant ergo commercium vobiscum, & cælestibus saturentur delicijs. O beatissimas & nobilissimas animas quæ tanto honore à Christo afficientur! Leonclav. in pandectis annalium Turcicor. fol. 407. commemorat de Michaële Imperatore Constantinopolitano, quod cum Basilius Macedo minister ejus antiqua fide & virtute Imperatorem suum vigilanti cura & labore fideli ab hoste cruento Barda liberasset, ipsum coram toto imperio insigniter commendaverit, & publicè proclamari jusserit: Bardas hic vitæ meæ struxit insidias, & vitam eripuisset,

eripuisset, nisi Basilius consilio & auxilio prævenisset, illum ergo in imperij consortem ut simul mecum Cæsar sit eligo. Basilius his auditis in lachrymas erupit, & coram Imperatore procidit in genua? Imperator autem jussit ipsi coronam & dimidium sceptri tradi. Et hoc quidem aliquid. Sed in amplificando & enarrando gaudio, quo animæ Christianorum à Domino Jesu coram Angelis propter fidem & constantiam celebratæ inebriabuntur, & Demosthenes & Cicero obmutescerent. Apoc. 3. v. 21. Si quis vicerit, dabo ei sedere mecum in Throno meo, ut & ego vici, & sedeo cum Patre meo in Throno ejus.

Dominica IX. Post Trinitatis.

DE OECONOMO INIQUO.

Evangelium Luc. 16. à v. 1. ad v. 13.

PRÆFATIO SUPPLEX.

DEus optimus maximus Dominus cæli & terræ conferat nobis auxilium Spiritus Sancti; siquidem docendo & audiendo tractaturi sumus Evangelium sanctum, faciatq; nos dispensatores esse fideles rectè utentes ingenio, linguâ, cordibus & auribus, sic ut debita nominis sui gloria, nostraq; confirmetur & eluceſcat fides; quò ceu ingenui lucis filij prudenter ambulemus & ubi hîc defecerimus recipiamur in æterna tabernacula per & propter Jesum Christum, in cujus nomine rogabimus: Pater noster, &c.

Exordium Propheticum.

ESa. 61. v. 2. *prædictum est, quod Christus manifestatus in carne prædicabit annum beneplaciti Jehovæ, & diem ultionis Deo*

nostro, ut consoletur omnes lugentes. Idq; in actum productum esse convincit hodiernum Evangelium; siquidem Christus monuit rationem esse reddendam de villicatione nostra, docuitq; filios lucis quomodo beneplacere debeant Deo, & suasit liberaliter contribuere pauperibus.

PERIOCHA ET DISPOSITIO TEXTUS METRICA.

DEus potens est omnium,
Hominesq; rebus præficit,
Si quis fidelis est minus
Citatur & suspenditur.
Remotus at ne postea
Sit fossor, aut cogat stipem
Furto sibi victum parat.
Hæc vafra mundi est practica.
Sic filij lucis date
Citò caduca & largiter,
Justeq; amicos quærite
Ut cælicis fruamini.

TRIPLEX OFFICIUM BONI DISPENSATORIS.

I.

Ut simpliciter credendo Tria hæc confirment fidem.

I. Quod verè sit Deus sub quo vivimus, Gen. 50. v. 19. dives majestate, Rex regum, 1. Tim. 6. v. 15. Apoc. 19. v. 16. dives misericordia, Psal. 103. & benedictione, Psal. 65. cujus terra est, Levit. 25. in qua nos sumus Coloni pro arbitrio solius Dei, qui sua bona & dona distribuit inter mortales, & suum cuiq; tribuit, ditat & evacuat pro lubitu suo liberrimo, Syr. 11. Proverb. 22. & 29.

dat

dat & rapit sceptra, Jer. 27. v. 5. 6. & 7. erigit pauperes & potentes detrahit de sede. Luc. 1. Sumus ergo dispensatores & œconomi Dei in singulis statibus, nec hominum sunt imperia, regna, ducatus, parochiæ, domus, tuguria; sed Dei tradentis unicuiq; quod vult, quantum, & quàm diu lubet, finitoq; termino nobis remotis alios eisdem præficit, & unus post alium tandem discedimus omnes.

Bona triplicia quæ ut plurimum homines inutiliter dispergunt.
1. Naturæ, corporis & animi, valetudo, intellectus, ingenium.
2. Fortunæ, honor & divitiæ.
3. Gratiæ, Verbum Dei, Sacramenta & Spiritus Sanctus.

Hæc omnia pro nutu & arbitrio solius Dei distribui credidit Jacob, Gen. 32. v. 10. confessus est Paulus 1. Cor. 15. v. 10. 1. Tim. 1. v. 12. & 16. fatenturq; se credere scribendo, licèt parùm id probent bene administrando, omnes superlativi quod per gratiam Dei ad eminentiam sint evecti: quia nihil habemus quod non accepimus. 1. Cor. 4. v. 7. Idq; Placilla imperatrix modestissima Theodosio Imperatori assiduè in mentem revocavit, inquiens: Considera ô conjunx suavissime quisnam antea fueris, & quem in locum te Deus evexerit,

Cui nisi displiceat fiet de milite Cæsar,
Si quoq; vult idem fiet de Consule Rhetor,

quod exempla Saulis, Davidis, Dionysij, Diocletiani, Aureliani, Phocæ, aliorumq; manifestè ostendunt.

II. Quod deferantur apud Deum atq; vocentur infideles præfecti, non equidem quod Deus aliqua indigeat relatione, cum totus sit oculus, Cyrill. Hierosol. quod exempla Caini, Achan, Davidis, Gehasi, Ananiæ, nec non dicta insigniora Psal. 7. 11. 139. Sap. 1. Esa. 5. Apocal. 3. v. 15. testantur. Sed delatio fit, 1. Per Angelos vigiles ministros, Ebr. 1. qui nec possunt nec volunt infidelibus adesse dispensatoribus, conqueruntur Jer. 15. Curavimus Babylonem, nec

sanata:

sanata est. 2. Per gemitum justorum. Exod. 22. v. 23. Deut. 15. v. 9. Syr 35. v. 18. 3. Per ipsas creaturas quasi exerto capite observantes libertatem, Roman. 8. v. 9. Gen. 4. & 18. v. 20. Jon. 1. Ose. 2.

Citatio fit, 1. Per comminationes Dei, per signa, Luc. 21. per concionatores. Ezech. 33 Rom 2. 2. Per varios morbos & calamitates. Esa. 26. 1. Cor. 11. v. 32. 3. Per mortem etiam subitam. 1. Samuel 4. Luc. 12. 1. Cor. 11. v. 30. Cestriensis lib. 7. scriptum reliquit de Innocentio IV. P.R. Anno Christi 1253. quod ipsum pius Martyr coram Deo citaverit, & eodem tempore audita sit vox ad Pontificis palatium: Ades ô miser homo ad tribunal Dei, & eadem nocte decessit circa collum quasi fuste percussus. Sic Baleus author est Rupertum Episcopum Lynconiensem vocasse Papam ad Judicium Dei eadem nocte mortuum. Et de Henrico Archiepiscopo Mogunt. in Chron. Mogunt. recitat Conradus Episcopus, quod per duos Cardinales impiè ab officio remotus, Appello, dixerit, ad justum Judicem Christum, coram ipso reddetis rationem, quod pecunia corrupti perversam tulistis sententiam, at illi responderunt: Ubi præcesseris te sequemur, & justo Dei judicio, eodem die quo Henricus mortuus est, utriusq; vita cum gemitu fugit sub umbras, altero ilia evomente, altero sibi ipsi membra præmordente.

Quodq; verè statutus sit dies in quo Deus judicaturus est orbem terrarum cum justitia, Act. 17. licèt impij nebulones aliquandiu impunè agant, dicentes: Pax, pax. 1. Thes. 4. De hac die legatur Dan 12. Eccl 12. Mal. 4. Joh. 6. Rom. 14. 2. Cor. 5.

Tria notentur de die rationis novissimo, 1. Quod sit propinqua, venietq; subitò. Matth. 24. Luc. 21. 1. Cor. 15. 1. Thes. 5. 2. Quod judex Christus justissimus quem nihil omninò latere potest, absq; respectu personarum etiam super animas judicans, rationem exiget de verbis otiosis, Matth. 12. & cogitationibus. 3. Quod libri conscientiarum aperientur, Dan. 12. Apocal. 20. v. 12. ut pastores rationem reddant de sanguine auditorum, Ezech. 33. Ebr. 13. potentes

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730416445/phys_0192
DFG

resq; de sceptro, Sap. 6. & omnia etiam occultissima revelentur ex omnibus domibus atq; cubilibus. Tunc multi qui nobis sancti in hac vita & justi videbantur, in tenebras projcientur, multiq; amici, agnati & conjuges separati, Luc. 17. nunquam congregabuntur; quare per pium obitum disjungi, dolorem in nobis non excitabit, qui lætam credimus resurrectionem. Cum autem hæc verba Reddo rationem cum nullo fulmine, nec cum omnibus sint conferenda, nos servi inutiles, Luc. 17. & impuri debitores, Job. 9. Matth. 18. observare debemus, quod ratio sit duplex: Altera juxta legem, Deiq; justitiam & judicium quo à nobis perfectissimam postulat obedientiam, & hanc rationem nemo mortalium reddere sustinet. Altera juxta Evangelium, Dei gratiam & misericordiam, qua peccata clementissimè remittit ipsis qui ex animo indolentes delicta confitentur, Psal. 130. 143. & sibi vera fide applicant satisfactionem Jesu Christi: Psal. 69. 1. Pet. 1. 1. Joh. 1. Col. 2. nam qui credit, Joh. 3. non veniet in judicium; sed transibit in vitam æternam. Beatus qui hæc credit & ruminat. Magna econtra peccati pœna est, si quis metum ac memoriam futuri judicij perdidit, si quis ita fascinatus, excæcatus & à mente deductus est, ut rationem instantem neq; credat, neq; cogitet, neq; sentiat, neq; ad illam se oportunè præparet. Si autem de harum rerum fide ac veritate non dubitas, cur non Deo sed luxui & libidinibus hujus seculi vivendo, ea somnia & deliramenta putas?

III. Quod mutuò det Jehovæ qui largitur pauperi. Prov. 19. Luc. 6. & 14. v. 14. Ignem aqua ardentem extinguit, & peccatum expiat misericors benignitas. Syr. 3. v. 33. Et si concluseris eleëmosynam in sinu pauperis ipsa orabit pro te: Syr. 29. Dan. 4. v. 24. quia manus pauperis est Gazophylacium Christi. Pet. Raven. Et Hieron. testatur se non meminisse turpiter unquam mortuum, qui benefecerat egenis. Seneca quoq; scribit, pias eleemosynas non tam accipientibus, quàm dantibus prodesse. Da ergo pauperi ut des tibi, &c. Manus pauperis est Sinus Abrahæ, & Thesaurus cæli. Da pauperi

terram ut accipias cælum: da nummum ut accipias regnum: da micam ut capias totum: quia quicquid pauperi dederis tu habebis, quod pauperi non dederis habebit alter.

II.

Ut ferat Fructum Fidei bene operando.

I. Ut profligata securitate memores simus futuræ mortis, cogitemus de ratione reddenda, consideremus nos removendos ab officio: quia sedemus in domo conducta, ubi cotidie deficit vita, labitur ætas sicut rivus, & quicquid hactenus viximus mors occupat & retinet, quò fit ut magna jam ex parte mortui simus, incerti quantum vitæ spaciolum adhuc sit reliquum. Nec dicamus Psal. 10. v. 11. oblitus est Dominus, Psal. 94. Deus Jacob non attendit, Syr. 16. inter tam multos Dominus non respicit nos; sed imitemur vigilantiam Hieronymi semper animo volventis tubam novissimam: Noli peccare Deus videt, ne quicquam proferre aut perficere in animum inducamus, nisi de quo possimus reddere rationem, quam exemplo præfectorum hujus mundi bene oportet esse compositam, quod non de mulcta vel carcere temporali; sed æternis agatur bonis. Cyrill. Væ peccatis meis, cui monti dicturus sum ut cadat suprame? Quid faciam ubi ad tribunal judicis cuncta cernentis apparebo? Cum totius vitæ meæ reddam rationem, non tantùm de externis; sed etiam de internis & spiritualibus bonis? Quid si adversum me feratur sententia? Stat enim immotum Christi judicium Luc. 12. v. 48. Cuicunq; multum datum est, multum quæretur ab eo. Iccirco pauperes operarij & ancillæ sua sorte sint contentæ, nec invideant, nec maledicant opulentioribus. Eccl. 10. Divites autem excitentur ad humilitatem, Syr. 3. v. 30. &, quod Ausonius Agathocli suasit, Fortunam habeant reverenter, ne sublati in altum lapsu graviore ruant. Prov 16. Nec Nebuchodonosori, nec Dionysij imitentur arrogantiam. Ad fidelitatem, Sap. 6. 1. Cor. 4. ut pastores faciant opus Domini sine fraude, sine scandalo, Matth. 18. sintq; typi fidelium in conver-

conversatione & fide. 1. Tim. 4. Rom. 2. Magistratus promoveat gloriam Dei in Ecclesia, tueatur viduas & orphanos, & rectè utatur gladio sibi commisso ne jus invertat. Judices observent regulam Josaphat. 2. Paral. 19. v. 6. Parentes sancta institutione educent liberos. Tutores foveant orphanos. Familia serviat quasi Christo, Eph. 6. qui dedit & conservat sanum corpus & membra integra. Deniq; ad gratitudinem erga Deum & proximum, & juxta admonitionem Hieronymi, semper aliquid agant ne à Satana inveniantur ocioſi.

II. Ut cognoscentes nos ipsos maximè solliciti de meliori parte nostri, scilicet de anima, qua deperdita nec corpus salvabitur, cogitemus de mansione æterna, & colloquamur cum anima nostra, quæ nobis post Deum nihil dulcius, num ipsi emigratura de sede beata sit prospectum? Quomodo gloriabitur se diligere Deum quem non videt, & proximum, quo cum cotidie non conversatur, ille, qui non diligit animam suam, cujus præsentiam & operationem experitur in singulis membris suis? Ubi ergo videmus, quomodo filij hujus seculi, quos Deus hujus mundi excæcavit, impij homines qui se huic mundo planè dediderunt, Esa. 9. 2. Cor. 4. summo studio mortalia curant, omnes nervos intendunt, ut in lubrico hoc seculo magnificant, divitias corradant, honoribus augeantur, & sic in umbra mortis, Luc. 1. caduca cœlestibus præferunt. Quomodo pastores plerique insatiabili laborent avaritia solis reditibus inhiantes, quasi Templa, preces, ara, calum venale Deusq;. Quomodo Reges & Principes quasi hic perpetuò mansuri profligata conscientia thesauros cogant, milites propter stipendia mox amittenda vitam & animam vendant, per mare per terram per saxa per ignem cives opibus insidientur, nec illi qui ruri vivunt assiduè laborando defatigentur: Mox industriam illam ceu filij lucis prudenter collocemus in spiritualibus, atq; ex nostris aliorumq; laboribus, quos propter ventrem exantlamus etiam ad seram usq; vesperam exhausti & anheli, discamus inquirere divitias animæ, quodq; eas hactenus tam oscitanter curavimus super nosmet

ipsos & super socordiam nostrā erumpamus in lachrymas, ceu legitur apud Niceph. lib. 14. cap. 30. de Nonnone Episcopo Antioch. in hist. Tripart. lib. 7. de Pambone Alexand. quod uterq; videns meretriculam comtam & applicabilem cum lachrymis copiosis suam deploraverit negligentiam; quia tanto studio non elaborassent Deo placere, quantò illæ hominibus.

Quod bona finita infinitis præferantur 1. Causa est corruptio humanæ naturæ: quia homo semper pronus est ad malum, illiq; vitium hoc adhæret, sic ut vix viri sancti reluctentur. 2. Quia terrena sunt sensibilia, & magis animos movent quàm spiritualia invisibilia; ideoq; maximè arridents & trahunt homines, sicut allium, porrum atq; carnes Israëlitas. 3. Quia Satan pro genibus sibi flectendis callidè monstrat mundi hujus delicias. Matth. 4.

III. Ut fontes nostros derivemus foras; Prov. 5. & 14. & 21. & 28 nec duri simus erga pauperes; Prov. 21. v. 13. Jac. 2. v. 13. nec, quod de Tito commendatur, quem dimittamus nisi consilij & auxilij nostri participem. Syr. 14. v. 14. 32. v. 41. Luc. 6. Galat. 6. 1. Johan. 3. Demus autem 1. Indigentibus non agyrthis, scurris & nebulonibus, quales hoc loco faciens & consentientes in eodem crimine, quibus mors mendicitati erat præferenda. Syr. 40. v. 29. 2. Demus citò: quia non sumus perpetui facultatum nostrarum possessores; sed œconomi ad certum tempus constituti, Luc. 16. Syr. 14. v. 13. quos singulis horis ad transitum oportet esse paratos. Ablatis rationibus, & destributa inter quinq; fratres, Luc. 16. hæreditate nil remittì aut donari potuit. 3. Demus hilari animo & larga manu: Gal. 6. 1. Cor. 9. 2. Cor. 9. quia hominem liberaliter erogantem multorum labia prædicabunt, Syr. 32. & benefacere hortus est irriguus. Dedit hic dispensator 50. batos olei & 20. coros tritici; sed injustè præreptos; nos autem de pane nostro non alieno, non de bonis direptis velut Saul ex pecoribus Amalechitarum, 1. Sam. 15. quod est latrocinium latrocinio cumulare, Esa. 61. Colligendæ sunt opes sic ut Deum non offendamus, nec proximum afficiamus injuria, nec nos

ipsos

ipsos contaminemus avaritia; sed salvam retineamus conscientiam & famam integram. Hinc mediocrem habeamus sustentationem, & tributum erogemus magistratui, & faciamus nobis amicos, 1. Deum atq; verbi divini ministros fideliter exponendo decimas & promovendo ministerium. Exod. 30. Prov. 3. Mal. 1. & 3. v. 10. 2. Agnatos & consanguineos. 1. Tim. 5. v. 8. 3. Inopes & attenuatos, quorum multi in hac vita noluerunt misereri, at si daretur reverti, facultates libentissimè cum illis dividerent omnes.

Mammon dicitur injustus propter varios abusus in
1. Colligendo, quod plerumq; iniquis modis comparetur.
2. Possidendo: quia lucrum in cista damnum in conscientia.
3. Malè collocando. Syr. 13. v. 4. & 30.

III.

Ut exspectet Finem & Triumphum Fidei.

I. Quod in novissimo die jam occupato regno Nobilis Christus Luc. 19. servo suo dispensatori fideli, qui unica mina minas decem acquisivit, dicet: Euge serve bone, quia in minimo fuisti fidelis, habeto potestatem super decem civitates. Illumq; qui quinq; talentis alia quinq; lucratus fuerit benignè excipiet. Matth. 25. v. 21. Bene habet serve bone, super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Tunc, Dan. 12. v. 3. Pastores qui multos in viam salutis converterunt, & legendo, orando, docendo, scribendo suo rectè functi sunt officio instar Stellarum fulgebunt. Tunc, teste Isidoro, qui in hoc seculo bene imperat, sine fine in perpetuum regnabit, transmeabitq; de gloria hujus seculi ad gloriam aternam; qui verò pravè regnum excercent, post vestem fulgentem, gemmarumq; nitorem, & nudi & miseri ad infernum torquendi descendent. Tunc pij parentes cum bene educata latabuntur sobole, tunc servi fideles recipient à Domino mercedem hareditatis. Col. 3. v. 24.

II. *Quod, versa prudentia filiorum hujus seculi in stultitiam meram & mœrorem æternum, prudentia justorum Luc. 1. erit absoluta & perfectissima: Filij enim Lucis quibus hic orta fuit aurora Evangelij, Psal. 110. & lux matutina, Esa. 8. cum igne Spiritus Sancti, Actor. 2. & Phosphoro sancti sermonis, 2. Pet. 1. qui hic ambulantes ad lucem Evangelij, Mal. 4. 1. Cor. 1. dilexerunt Patrem lucis, Jac. 1. & depositis tenebrarum operibus ambularunt in luce; Rom. 13. ut lux eorum luceret coram hominibus, Matth. 5. in omni pietate, Eph. 5. quod Christus lux mundi eos illuminasset, Johan. 1. hæredes erunt lucis. Esa. 60. Et à potestate tenebrarum erepti agent cum Jesu Christo, Col. 1. 1. Johan. 1. qui antea erant tenebræ, Lux in Domino, Eph. 5. v. 8. habitante lucem inaccessam. 1. Tim. 6. v. 16. Cui honor & robur in æternum. Contra infelicissimi hujus seculi filij exigente rationem judice, ubi jam lata sententia nulla eis spes salutis ostendetur, suam deplorabunt dementiam, quod toties admoniti tanta mala, quæ nulla unquam temporum diuturnitate evadere poterunt, vitare & avertere noluerint. Inprimis cum prolixum illis ad pœnitentiam datum esset spacium, & furore perciti lamentabuntur Jer. 8. Transijt æstas, finita est messis, & salvati nos non sumus, semperq; ad nova rapientur tormenta.*

III. *Quod, quo salvatis nil jucundiùs, non tantùm illi quibus manum beneficam liberaliter porreximus coram Deo, Angelis, & Electis prædicabunt beneficentiam nostram, hoc vel illud quod illis contra extremam paupertatem præstitum est subsidium enarrantes; verùm etiam quæ membris exhibita sunt caput nostrum ipse judex Christus commendabit, dicens ad dexteram constitutis Matth. 25. v. 34. usq; ad 40. Venite benedicti Patris mei, esurivi & dedistis mihi cibum, &c. Amen dico vobis, quæcunq; feceritis uni de his minimis fratribus meis mihi feciſtis. Sic Syr. 3. v. 34. Dominus qui gratiam reddit memor erit in posterum, ut author in tempore casus sui firmamentum inveniat, opesq; benefici divitis permaneant, & sancti celebrent eleëmosynas ejus.*

Nullus

Nullus dubito quin omnes sana mente præditi ùnanimiter exoptent opibus & divitijs sudore partis & in hac & in futura vita bene frui; nec votum erit irritum, si in honorem Dei pro ministerio Evangelij promovendo & pauperibus sublevandis liberaliter contribuant: quia eleemosynarum merces & testimonium obvium dabitur cæteris omnibus amissis, & per ignem novissimum consumtis. Declaratur hoc aptissimis similitudinibus. Si quis in aula regia invitatus liberam haberet potestatem opiparis vescendi ferculis & bellarijs, nihil autem propter janitoris explorationem secum deportandi. Ipse verò cuperet parte illorum alio loco & tempore frui, ideoq; amicis suis postea ab ipsis deposcenda traderet. Vel si quis vineam ingressus uvas comedat ad saturitatem. Vel in pomario pomis vescatur quantum voluerit, ea tamen lege ne quid foras secum exportet, & sibi in posterum ita prospiciat, ut partem trans septum foras projiciat, & ita nihil secum deferens, foris inveniat quo fruatur. Simile pactum nobiscum Deus inijt, ut in hac vita bonis ab ipso datis fruamur, & emigrantes nihil auferamus nobiscum, quod eadem sit moriendi quæ nascendi conditio. 1. Tim. 6. Partem ergo opum à Deo concessarum in hoc mundo comedamus, partem verò pauperibus erogantes extra hunc mundum projiciamus, ut manus pauperum opes nostras deportent in æterna tabernacula, inter thesauros cælestes. Tria poma licet hinc deportare quantum manu tenetur, scil: Animam, Fidem in Jesum Christum & bonæ Conscientiæ testimonium.

Ubi in convivijs super mensam esurientibus cibum porrigimus, non damus de nostro, & tamen gratiam quæ hospiti cujus illa sunt quæ donamus jure debetur nos capimus, & nos propter illa bene audimus: Sic quæ Deo & pauperibus dantur, 1. Paral. 19. v. 14. & 16. omnia sunt à Deo & damus de manu ejus, & nihilominus ipse ea bene dispensantibus tribuit Regnum cælorum. August. de verbis Domini serm. 15: Dicit tibi Christus da mihi ex eo quod dedi tibi, de meo quæro. Da & redde, habuisti me largitorem, fac me debitorem,

bitorem, habeam te fœneratorem. Temporalia mihi das, æterna tibi restituam, te ipsum tibi reddam, quando te mihi reddidero. Sic damus quod hic relinquendum est, & recipimus quod perpetuò nobiscum manebit.

Dominica X. Post Trinitatis.

DE LACHRYMIS CHRISTI.

Evangelium Luc. 19. à v. 41. usq; ad fin.

PRÆFATIO SUPPLEX.

CUM modò sit tempus acceptabile & dies gratiæ, quibus Deus nos paternè visitavit, nosq; in hoc ipso conventu pabulo spirituali Evangelij pascendi simus, euge gratissimis animis tempus visitationis agnoscamus & oremus donari nobis Spiritum Sanctum illuminatorem, ne illa quæ ad pacem nostram pertinent abscondita maneant ab oculis nostris; sed consideremus mortem atq; novissimum judicium, sitq; nobis verbum Dei potentia ad salutem per & propter Jesum Christum, cujus freti intercessione rogabimus: Pater noster, &c.

Exordium Propheticum.

DEut. 33. v 3. vaticinatus est Moses cum admiratione de amore & philanthropia Dei, quam non tantùm Deus donando nobis Filium & Spiritum sanctum; sed & ipse Christus hoc loco lachrymis suis abundè declaravit: dum, juxta vaticinium Ose. 5. v. 2. Vir correctionis fideliter præmonuit tribus Israël, quod cum ipsi turpiter aspernarentur, Dominus juxta comminationem, Psal. 2. v. 9. eos virga ferrea contrivit, & sicut vas figuli confregit, juxta vaticinia Esa. 6. & Ezech. 5.

SUM-

SUMMA BREVIS ET DISPOSITIO METRICA.

Vlcinus urbi lachrymis
Rex regum obortis condolet,
O incolas miserrimos
Quod negligant pacem suam.
Simul Deus prænunciat
Excidium, pestem, famem.
Nec sævus hostium furor
Lapidem relinquet integrum,
Quod gratiæ contemserint
Ingrata tempus pectora.
Templum repurgat, ejicit
Malos, Boni Christum audiunt,

TRIPLEX MEDULLA PRO HOMINE CHRISTIANO EX HOC TEXTU.

I.

Confirmatio Fidei Triplex

I. Quod, (quoniam desolata est & funditus eversa Hierosolyma, ubi Christum manifestari docendo, moriendo & resurgendo oportuit, Dan. 9. v. 24. Agg. 2. v. 10. nec unquam restaurabitur; licèt Bar vel Bencochab Anno post eversionem 60. cum 85000. Judæis sub Imperatore Ælio Adriano, periculum fecerit, Anno Christi 134. à Julio Severo ad internecionem cæsus. Quin & Imperator Constantinus id molientibus aures præcidi jussit. Et Julianus Apostata, Episcopo Cyrillo, referente Ruffino lib. 1. cap. 37. 38. 39. frustra in ignominiam Christi hoc opus cum Judæis aggressus est. Niceph. lib. 10. cap. 32. Nec Christianorum capta per Godofridum Bylionæum Anno Christi 1094. rata ac firma fuere.) verè venerit Messias Mundi Redemtor; licèt Judæi obstinaces adhuc persuaderi nolint, sed se in terram Sanctam reversuros ex malè intellecto versu 44. cap. 26. in Levit. confidant. Valeant autem cum suo Af *cum aurea Simia. Evi-*

dentissimum hoc est revelati Christi testimonium, de quo & fides nostra ex hoc textu confirmatur, quod sit θεάνθρωπος verus Deus & verus homo. Agnoscitur humana natura, quoniam ambulat visibilis & palpabilis, manu admota ejicit vendentes atq; ementes, quod ter ab ipso factum est Joh. 2. anno prædicationis primo, & die palmarum atq; die martis proximè subsequente, & lachrymas fundit, quod ter quoq; fecisse legitur; scil. hoc loco, & Joh. 11. v. 35. ad tumulum Lazari & in cruce. Ebr. 5. v. 7.

Sunt autem lachrymæ Christi	1. Amoris: quia optat emolliri obdurata Judæorum corda.	1. Extremæ cæcitatis. Jo. 12. Rom. 9.
	2. Doloris, quod præmonitioni non detur locus. Augetur dolor ex consideratione.	2. Regni & patriæ eversionis.
		3. Scholæ & templi destructionis.
	3. Intercessorij clamoris; quia pœnam protraxit ad 40. vel 42. annos. Sicut Genes. 6. ad 120. annos, Jon. 1. ad dies 40. tempus prorogavit.	4. Liberorum à parentibus distractionis.
		5. Hostium insultationis, &c.

Deum se probat; quoniam futura videt quasi præsentia, & singula prænunciat, quomodo per Romanos, qui ceu Aquilæ ad nutum ejus advolabunt, Deut. 28. v. 49. & per duos ursos Titum cum Patre Vespasiano ex Gentium sylvis à longinquo adductos, pulli improbi cælestis Elisæi contemtores dilanientur, civitas destruatur, & quid de infantibus nec jam conceptis, ubi tempus illud ingruet, futurum sit. Non itaq; portas, mœnia & ædes more concomitantium aspexit; sed corda in urbe habitantium, & intra 40. annos concipiendorum introspexit, cum singulis eorum transgressionibus. Et futura pro thesauro divinæ sapientiæ, Col. 2. v. 3. Johan. 2. longè aliter prædixit, quàm Prophetæ per spiritum eloquentes: Act. 2. 1. Cor. 12. 2. Pet. 1. quoniam in Christo habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter,

moraliter, Col. 2. v. 9. & unctus est præ participibus suis. Psal. 45. v. 8. Prophetæ externis adhibitis signis ventura annunciaverunt. Esaias cap. 20. v. 2. nudus & discalceatus, Jeremias cap. 27. v. 2. vinculis & vectibus onustus, Ezechiel cap. 5. divisione capillorum: Christus autem sicut servus Prophetæ 1. Reg. 18. v. 44. in celso monte vidit nubeculam velut volam de mari ascendentem, omnia prævidet & prædicit.

II. Quod nullum bellum, nulla victoria, nulla strages, neq; pestis, neq; fames absq; Dei mandato & divina providentia contingat; nec sit malum in civitate quod non fecit Dominus. Amos. 3. v. 6. Thren. 3. v. 43. Malum culpæ ex nobis est Deo invito, malum autem pœnæ justè à Deo irrogatur, qui etiam capillos nostros numeravit, Matth. 10. & prænunciat vindictam iræ suæ ad tollendam omnem excusationem, excitandamq; in aliquibus pœnitentiam. Esa. 6. Ezech. 5. de Tamerlane legitur quod tribus usus sit in bello vexillis, 1. Albo quo pacem obtulit hostibus suis. 2. Sanguinei coloris rubicundo, quo Fecialis ejus cruentum bellum indixit, & 3. Nigro quo tragicam internecionem comminatus est: Eodem modo Deus nobiscum procedit & pacem offert, qua repudiata vindicat se de inimicis suis, Esa. 1. v. 24. tandem impœnitentes detrudit ad orcum. Idem est quod per Mosen populo in mandatis dedit Deut. 20. v. 10. 11. 12. 13. &c. Nos hæc vexilla jussu Dei erecta vobis ostendimus, ut candidum illud arripiatis obsecrantes, & absq; mora cum Deo reconciliemini, hoc negligentibus annunciamus bellum, pestem, famem. Et nisi ad Deum confugiatur æternam condemnationem. Nec quod passim docent historiæ, comminationes divinæ inania sunt terriculamenta: Eversa enim est civitas Sancta, Abrahæ posteri, Dei populus, Christi consanguinei, & in pulverem redacta est urbs nobilissima, corona mundi & Paradisus terræ, Templum & Synagoga, Dei civitas, Psal. 46. 87. Dei habitatio, Psal. 84. 132. Dei anima. Jer. 12. Ubi Dei erat focus & ignis, Esa. 31. Prophetarum suggestus & sepulchra. Hujus populi erat adoptio, gloria, pactum, lex, religio,

promissio, Rom.9. v.3.4. ex quibus Christus quoad carnem. Et genus ducebāt à sanctissimis Patriarchis. Verùm defecit urbs, Es.1. Ezech.22. & 24. Christū reprobarūt incolæ, Ose.9. Esa.25. Mat.21. Luc.19. Joh.1.9. v.22. hæreditatem Christi subvertentes: ideoq; urbs facta est cumulus lapidum, Esa.25. & incolæ maledictione percussi sunt. Nec profuerunt privilegia ac prærogativæ, Esa.14. 1. Quod essent Dei peculium, posteri. 2. Quod vel 100. essent numero contra unicū militem Romanū in castris. 3. Quod sede sederēt munitissima, de qua discipuli admirati sunt, Marc 13. dixeratq; Johannes seditiosus nebulo Romanos nisi alatos non ingressuros urbem. Et humiliter confessus est belli dux Titus, solum Deū illū locū evertisse. Puniti sunt Judæi internè per indurationem & extremam securitatem, statuerūtq; quod omnis pereat visio. Ezech.12. Externè per Aquilas advolātes & famē. Deut.28.v.49. Æternùm quia expulsi sunt de domo Domini, Matt.21. Es 42. Psal.109. v.17.18 nec gustabunt cœnā Christi, Mat.22 nec unquā renovabuntur fundamenta urbis. Puniti sunt per idē per quod peccarant. Cū sprevērint Christi lachrymas, sat habēt quod lugeāt in æternū, redimuntq; copiā videdi ac deplorādi urbis rudera. Ipsi traditi sunt Gentibus quibus Christū tradiderant. & 30. venditi sunt pro 1. nummo argenteo, quod Christum vendidissent pro 30. Sic illis Deus simili mensura mensus est.

III. Quod Deus sit multò proclivior ad commiserationem, quàm ad vindictam exercendam, idq; evidenter docent lachrymæ Christi, quæ simul monent majores esse calamitates nostras, Job.14. Psal 90. Syr.41. quàm nos intelligimus, ostendūtq; culpam perditionis non esse in Deo. Os 13. Qui cum ardeat amore salutis nostræ Pater optimus paternam semper præmittit visitationē præmoniūtq; Gentem Judaicam, si quis interroget, satis fideliter 1. Per Mosen & Prophetas Deut. 28. & 32. Ps.2. Esa.29 Dan.9. similesq; casus, quod antea vastata, & multoties ab hostibus occupata urbs eadē fuerit. Et templū Salomonis ante An.617. eodem die 10. Augusti, quo per Titi milites domus secunda, ab Assyrijs cōbusta fuit. 2. Per Baptistā, Mat.3. per Christū, Mat.22. & 24 Luc.17. & 19. 3. Per varia signa & prodigia in cælo, in templo & in urbe.

Nemi-

Neminem ergo certo consilio prædestinavit Deus ad perniciem. Cur aliàs quæso fleret? quid vocaret, Matth. 11.? quid congregari optaret? Matth. 23. Rectiùs diceret: hæc est sententia Fati, sic decretum est immutabiliter. Deut. 30. v. 19. Jehova adversus improbos testatur cælum & terram, quod in Deo non sit causa perditionis, Ose. 10. optatq; Esa. 48. v. 18. ut attenderent ad mandata Domini foretq; pax eorum sicut flumen, & justitia velut fluctus maris. Ezech. 33. juramento asseverat se non delectari alicujus morte, & Jerem. 18. v. 7. aperitur nobis ima profunditas divini pectoris, quod repentè loquatur Dominus adversus Gentem vel Regnum, ut evellat, confringat & perdat illud. Si autem convertatur Gens illa à malo suo contra quam locutus est, pœniteat ipsum mali quod cogitaverat facere ei. Hoc itaq; Verbum Domini Domino, juxta Psal. 27. opponendum est, ut si acuerit arcum, Psal. 7. auferat malum: quia nos pœnitet & dolore angimur. Christus adhæc orat pro ficu sterili, Luc. 13. & sicut boni parentes, Psal. 103. Esa. 49. sobolis suæ, sic nostri miseretur, doletq; sanguinem suum non omnibus salutem conferre. Damnantur iccirco improbi, quod nolint Deo morem gerere, ad Christum venire, Joh. 5. & medicum cælestem admittere. Ut si in mare prolapsus educi nolit, aberrans, Esa. 53. reduci subterfugiat, & vulneratus, Luc. 10. medicum abigat. Extendit enim filius Dei tota die manum suam ad nos peccatorum cæno immersos, lachrymisq; ad pœnitentiam invitat; nec posuit nos ad iram, sed ut salvemur.

II.

Fructus Fidei Triplex.

I. Ut exemplo Christi fratrum nostrorum commmoti calamitatibus & peccatis propter imminentem iram Dei, vindicibus flammis sibi qui contraria delet, perinde atq; nostris lugeamus; siquidem omnes corporis unius sub Christo membra sumus, quorum unum alteri meritò congaudet & condolet, velut Jer. cap. 4. v. 19. huic populo compatitur prævidens ejus vastationem. Nec lachrymas Christi

parvifaciamus; sed illæ quasi ipsum in media hac Ecclesia, vel in oppidis aut domibus ex condolentia nos alloquentem audiamus, nos ad emendationem invitent: monet enim per verbi ministros, 2. Corint. 5. v. 20. qui erant Christi nomine, ut considerent homines quàm grandia sint peccata, quàm vicina sit mors & grave judicium. O utinam Athei, perjuri, &c. considerarent quàm longaminis sit Deus, & quàm infiniti cruciatus Gehennæ! Sic miseretur Christus hostium suorum, eosq; converti optat. Quicunq; autem lachrymas Christi neglexerit, ille in æternum ejulabit, pudore suffundetur & seipsum condemnatione dignum fatebitur: quia lachrymæ Christi, qui nos tam pretiosè redemit, animam ejus in lacu æternæ mortis adurent. Fleamus ergo cum Christo, non super Judæis, nec cum mulieribus super Christo educto pro nobis; sed propter nos & peccata nostra fluat lachrymarum rivus, ne & nostra condemnatio justa sit. Rom. 2.

II. Ut legentes vel audientes tragica punitorum exempla de diluvio, de interitu Sodomitarum, de expugnata Hierosolyma; vel quomodo Deus post atrocissimas pœnas totũ Ægyptum attriverit & Pharao cum exercitu submersus sit. Quomodo vituli adoratores ter mille homines uno die trucidati sint, & 24000. uno die perierint, num. 25. suspensis principibus. Sic quoq; videntes signa, portẽta & prodigia expaveſcamus: quia, 1. Corint. 10. v. 11. evenerunt illis & scripta sunt in admonitionem nostri in fine seculorum, qui nisi pœnitentiam egerimus itidem peribimus. Luc. 13. v. 3. Nec minas spirante Deo simus securi, sicut fabricatores Arcæ ipsi operarij, Gen. 7. & generi quoq; Lothi quos optimos esse oportuit, Matth. 24. Luc. 17. & Judæi Jer. 7. v. 4. occinentes Prophetæ prædicenti vastationem: Hîc est templum Domini. Nec epulo Luc. 16. fidem habuit Mosi ac Prophetis. Vah quanta modò securitas inter mortales regnat, qua admonitiones de novissimo die explodunt; Jer. 17. 2. Pet. 2. sed dicentes pax, pax, 1. Thess. 5. v. 3. obruet repentinum exitium, aderitq; ceu dolor parturientis. Vah quàm turpiter in peccatis vita plurimorum

morum

morum transfigitur, quod in vitis Patrum de visione Arsenij in Æthiope fasciculum lignorũ jam importabilem adaugẽte demonstratur. Videamus modò sacerdotes, inter quos multi inveniuntur Saducæi, servi ventris & Pharisæi, Hypocritæ quod prohibent ipsi facientes. Rom. 2. Nam sacris initiati hoc vitæ genere etiam lucrum, 1. Pet. 5. v. 2. & familiarem rem augere & tueri quærimus, sic ut plurimi obliviscantur cur ad sacros ordines accesserint. Magistratus quid non audet & attentat? vulgus fræno legis nil remorante in scelera ruit, sic ut peccata unius oppidi, vel unius domus congesta infinitam igni divini furoris præbeant materiam, dum peccata alia ex alijs nexa ceu catenata trahuntur. Gregor. lib. 4. Dial. cap. 32. Tarda quidem ad vindictam ira divina est, sed ne speremus peccata nostra pœnam promeritam præteritura. Syr. 5. v. 7. Inprimis cum audiamus Deum non pepercisse ramis naturalibus. Rom. 11. Davidem Nathan absolvit ab adulterio & homicidio 2. Sam. 12. v. 13. inquiens: Transtulit Jehova peccatum tuum nec morieris morte, scilicet secunda. Egitq; David pœnitentiam admodum seriam, ceu legitur Psal. 6. v. 7. Psal. 38. v. 9. Psal. 51. v. 5. Sed post hanc pœnitentiam & remissionem peccatorum nihilominus vindicta Domini subsecuta est, qui remisit condemnationem animæ, non pœnam corporis: Primò enim mortuus est infans illegitimè conceptus. Secundò stuprata est filia Thamar ab Ammone fratre. Tertiò Ammon propter hoc facinus occisus jussu Absalonis. Quartò Absalon conjuravit contra patrem, 2. Sam. 15. qui nudis pedibus & aperto capite fugiens à Simei contumelijs proscissus est. Quintò Absalon decem uxores patris in conspectu omnium impudentissimè stupravit. Sextò ipse tribus hastis confixo corde miserabiliter & tragicè occubuit. Tandem post obitum parentis Adonias ob affectati regni suspicionem mandante Salomone interfectus est. Sic pro una ove quatuor Exod. 22. v. 1. pro uno Uria quatuor filij interierunt, & pro una fœmina, & filia & decem uxores raptæ sunt. Hoc illis notandum est, qui adeò facilem sibi peccatorum veniam pollicentur, ut illam solis verbis

verbis sine ullo veræ pœnitentiæ sensu se consecuturos existiment, quippe anima, ut D. Gregorius ait, rebus præsentibus dedita in terrenis voluptatibus resoluta abscondit sibi mala sequentia, & prævidere futura refugit, quæ præsentem lætitiam perturbant; Illis quoq; qui ubi cum Deo jam remissis peccatis in gratiam redierunt corporales quoq; pœnas, quas hîc magis quàm Gehennam timent, se evasuros sperant, quarum cum cruciatibus æternis nulla est collatio.

III. Ut cum similium causarum similes sint effectus cautè agamus, nec tempus gratiæ, Esa. 49. 2. Cor. 6. quo nos Deus paternè visitat negligamus, sed inveniat in nobis Dominus spiritum contritum, Psal. 51. observantiam legis, Psal. 1. Fidem, Jer. 5. & Orationem. Psalm. 50. Nec Christum persequamur in membris ejus; Matth. 25. Act. 9. Sed assiduè frequentemus templa, Jesum audiamus, nec domum precationum dedecoremus, Esa. 56. Jerem. 7. absentiâ nostra, vel somnolentiâ, vel iniquâ decimarum retentione. Inprimis omnes nervos intendamus, ut pectora nostra sint templum viventis Dei. 1. Cor. 6. Illud autem Templum Domini est, juxta Hieron. in quo habitat vera fides, sancta conversatio, omniumq; virtutum chorus.

III.
Merces Fidei Triplex.

I. Quod ubi impios circumdabunt hostes maligni, non Turcæ vel Romani à quibus dum hæc vita manet fortè tuti erimus; spiritualiter enim hoc intelligi cupio, sicut & Sodomorum in cinerem redactio 2. Pet. 2. v. 6. exemplar ponitur impiè viventibus, & perversi Dæmones instante mortis hora animas circumvallabunt trepidantes, objectis vitæ anteactæ quæ ipsi suggesserunt sceleribus, unde, quod miseri sentient se ad justissimi Judicis tribunal properare, qui nec muneribus delinitur, nec fraude decipitur, nec potentia flectitur, summa erit angustia, animi angor & consternatio. Quare Gregor. cogitandum monet, quàm terribilis erit hora resolutionis, qui

qui pavor mentis, quanta omnium malorum memoria, quæ oblivio transactæ felicitatis, qui pavor judicis. Tunc enim maligni spiritus egrediente anima sua opera requirent, & mala quæ fuaserunt replicabunt, ut sociam ad tormenta trahant. Ubi improbi homines, cujus hæc vastatio imago quædam & umbra fuit ab hostibus coarctabuntur, ut nullus supersit egrediendi locus, ubi superbi ad ima de[illegible]tur, avari inopia constringentur lividi viscera sua depascent [illegible]ones fame & siti cruciabuntur, impudici amarissimos sustinebun[illegible] dolores. Nec lapis super lapidem, quod de templo pronunciavit Christus Marc. 13. v. 2. relinquetur, qui non dissolvatur, velut & Joban. 2. de templo corporis sui locutus est destruendo, hoc est, quod nullus in corpore sensus, nullum in hoc templo membrum singulari in Gehenna carebit tormento. Apoc. 18. v. 7. Hinc Benard. Paveo, inquit, Gehennam, paveo judicis vultum. Ubi autem sceleratorum hominum membra, inquam, tantas pœnas exsolvent, nos per Christum à tanto malo erimus liberati: quia ipse corpora nostra & animas nostras templum suum illustrissimè repurgabit, & in nobis tanquam suo palatio habitabit, & nos consortes divinæ naturæ, 2. Pet. 1. fovebit. Et adglutinati Domino, 1. Cor. 6. v. 17. unus erimus spiritus. Et tabernaculum Dei erit cum hominibus. Apoc. 21. v. 3.

II. Quod velut exiguus cœtus tempus visitationis agnoscens, teste Euseb. lib. 4 cap. 5. in urbe Pella, quo per Episcopum Simeonem Cleophæ filium educti fuerunt, tempore hujus excidij defendebatur, (sicut Noha tẽpore diluvij, & Loth ab incendio Sodomorũ, 2. Pet. 2.) licèt omnia passim bellis arderent: Sic nobis in Deo tutum erit refugium, cæleste palatium, & perpetua halcedonia, in fasciculo viventium, tanquam ligatis in ora vestimenti Christi. Ezech 5. v 3. Quoniam Deus præripiet animas Electorum ingruente excidio tragico, velut sedula & sollicita mater tumultuantibus convivis jubet sobolem suam ingredi in cubiculum, donec transeat ira. Esa. 26. v. 20.

III. Quod in futura vita pendebimus ab ore Christi, illumq; cum infinito audiemus gaudio dicentem: Venite Benedicti, &c. nec

quid amplius absconditum erit ab oculis nostris; nec quid desiderabimus ulterius, quàm frui conspectu Christi. In hac vita cor nostrum insatiabile simile est lebeti ferventi cujus contentum semper movetur, spumat & superfluit; quoniam juvenes formam & vires, conjuges sobolem, hac donati opes & divitias augeri optamus, & sic sollicitudine semper distrahimur. Ubi autem cum Christo erimus nihil nobis in cælo vel terra præ Christo: Psal. 73. v. 25. quoniam ille erit robur cordis nostri, & pars nostra Deus in seculum, Jehova Saday, hoc est, qui sufficit. Quia rerum omnium finis ultimus est, & ad finis rationem pertinet, ut omnibus ad felicitatem & perfectionem solus sufficiat, quod ille planissimè præstat in quo cuncta bona quæ desiderari possunt plenissimè reperiuntur. Quicunq; ergo hoc summum bonum fuerit assecutus, illi nihil deest cujus desiderio teneatur. Esa. 58. v. 14. Delectaberis in Jehova, & equitare faciam te super excelsa terræ, & comedere faciam te hæreditatem Jacob patris tui. Hoc est, omnia quæ in mundo excelsa & summa fuerunt, opes, honores, regna & imperia, super ea omnia constitutus, pro nihilo duces, & jam seculo altior factus, nihil de seculo desiderabis, & hæreditate Jacob quæ non est alia, quàm Deus, ipse reficieris atq; satiaberis. Augustin. Quærite quod quæritis, sed ibi non est ubi quæritis. Beatam vitam quæritis in regione mortis, non est ibi: Quomodo enim beata vita, ubi nec vita?

Dominica XI. Post Trinitatis.

DE PHARISÆO ET PUBLICANO ORANTIBUS IN TEMPLO.

Evangelium Luc. 18. à v. 9. usq; ad v. 15.

PRÆFA-

PRÆFATIO SUPPLEX.

QUoniam ascendimus in hoc templum, in hanc ædem sacram, ut audiamus verbum Dei & precemur, precabimur in pectora nostra à Deo patre mitti Spiritum Sanctum, ut hoc in nobis operante simpliciter & utiliter evolvamus sermonem sacrum, ad excitandam in nobis pœnitentiam, agnoscamusq; verè dolentes delicta nostra, & per fidem inveniamus veniam; sic ut justificati revertamur in ædes nostras, edamusq; fructus justitiæ, & consequamur justitiæ coronam propter illum in quo nos Deus diligit Jesum Christum. Pater noster, &c.

Exordium Propheticum.

MAlach. 3. v. 3. prædictum fuit, quod Messias deberet purgare filios Levi, & ipsorum doctrinam cœnosam per ignem Spiritus sancti, sicut conflatur & emundatur aurum & argentum. Idq; cum sæpissimè à Christo factum sit, etiam in hoc textu reprehendit eorum superbiam, quod non humiliarent se coram Deo, & persuasionem, quod essent justi atq; pro nihilo haberent reliquos: siquidem hic Pharisæus, juxta August. cum dicere potuisset non sum sicut multi homines, solus vult esse justus, tanto vitio non tam in oratione, quàm in animo pollutus.

BREVIS SUMMA ET DISPOSITIO METRICA.

VItæ superbus prædicat,
Pharisæus innocentiam,
Deoq; cantat gratias,
Nec gratiæ accedit thronum.
Sed publicanus indolet,
Et erubescit ad Deum,
Levare vultum, gratiam,
Rogat, petitamq; impetrat.

Sic verba factis prævalent,
Manceps redit justus domum:
Elata namque supprimit,
Depressaq; elevat Deus.

TRIPLEX SALUTARE CONSILIUM EX HOC TEXTU PRO SITIENTE SALUTEM.

I.

Vt confirmet Fidem in Tribus.

I. Quod homo non per opera legis quæ ipse facit; sed per fidem tantùm justificetur, solâ imputata justitia & gratuita peccatorum remissione. Psal. 32. v. 1. Rom. 3. 4. 5. Ratio est, 1. Quia in peccatis concepti, Psal. 51. v. 7. semen immundum sumus, Gen. 6. Jerem. 17. cor perversum, Sap. 12. natio nequam, Esa. 43. Eph. 2. ad quos peccatum per unum hominem intravit. Rom. 5. v. 12. 2. Quia omnes peccavimus, sic ut innocens coram Deo non sit innocens, Exod. 35. sed menstruatæ similis. Esa. 64. v. 6. 3. Quia, Prov. 24. v. 16. etiam justus septies cadit, & delictorum numerus ignotus est atq; infinitus. Job. 9. Psal. 19. Syr. 7. Ideoq; confidentes operibus confidunt impossibili, Rom. 3. 8. Gal. 4. gratiam Dei & meritum Christi contemnunt; Galat. 2. 3. & 5. Nec solidam in conscientia habent consolationem: quia, Deut. 27. v. 26. Galat. 3. v. 10. maledictus omnis qui non statuerit verba legis faciendo illa. Quare aut damnatis annumerabimur, aut aliud quærendum est remedium; siquidem servi inutiles, Luc. 17. non præstamus quod debemus, quomodo quod neglectum est resarciemus? ipsi à debito nos haud defendentes, quomodo debitum parentum exsolvemus? sed, Rom. 4. v. 5. ei qui non operatur, credit autem in eum qui justificat impium, imputatur fides sua pro justitia ut habeat pacem cum Deo, Roman 3 & 10. per redemtionem factam in Jesu Christo. Et hæc doctrina semper fuit eadem, quare Noha dictus est præco justitiæ, 2. Pet. 2. Et Sem. Gen. 14. Melchisedech. Credimusq; per gratiam Domini Jesu nos servatum

servatum iri quemadmodum & illi. Actor. 15. v. 2. Fides ergo arripiens remissionem peccatorum propter gratuitam Dei misericordiam in Christo satisfactore est justitia nostra: Nam sicut annulus propter gemmam quam continet; ita Fides quod apprehendat Jesum Christum pretiosa est coram Deo. Et salvamur ex gratia Dei, Rom. 3. & morimur beatè Christo animam commendantes. Psal. 31. Luc. 2. Act 7. Nec judicamur afferentes justitiam Agni ad tribunal Dei, reddeturq; nobis non ut fecimus, sed ut credidimus. Invenitur itaq; hæc justitia, non in sanguinibus & carnali propagatione, Joh. 1. & 8. aliàs hic Pharisæus magnam ex Abrahamo habuisset prærogativam. Psal. 51. Nec in opibus quibus & publicanus abundavit. Luc. 12. 16. Nec in operibus legis de quibus pharisæus gloriatur. Sed cum maledicti simus confugiendum est ad Semen benedictum: Gen. 15. 22. Cum impuri simus adeundus est speciosissimus: Psal. 45. Cum mortui simus in peccatorum tenebris, tranſeundum est ad Christum, qui lux est & vita. Joh. 14. Et retinenda est vox Sola, de qua Ambros. Rom. 9. Sola fides posita est ad salutem. Theodor. Roman. 3. Solâ fide allata remissionem accipimus peccatorum. Chrysost. Qui sola fide nititur benedictus est. Observandaq; vox Propter. Psal. 6. Salvum me fac propter misericordiam tuam. Psal. 25. propter gratiam tuam. Dan. 9. propter Dominum. Rom. 5. propter unius obedientiam. August. Dat nobis Deus vitam æternam non propter merita nostra; sed propter misericordiam suam: Omnes peccavimus, sed credendo justificamur. Chrysost. Propheta non dixit: Justus ex lege vivet sed ex fide. Euseb. in Homil. de Regulo. Noli signa quærere, crede tantùm & salvus eris. Bernard. Nemo venit ad æternam beatitudinem nisi per fidem. Beda. Si Deus hominem solo verbo redemisset, Diabolus conqueri posset, eum magis usum esse Dominica potestate, quàm justitiæ æquitate. Si lucus mille miliarium, vel urbs præmagna incensa arderet, quid quæso officeretur unicâ situla aquæ ad extinguendum tantam flammam? Sic ignis iræ divinæ nec ab Angelis, nec ab hominibus deleri potuit; sed à solo Christo,

in quo donum Dei est vita æterna. Rom. 6. Dicitur q. hæc justitia Dei, Christi, Evangelij & Fidei: quia à Deo per filium acceptamur, à Christo illa parta est, in Evangelio offertur, & per fidem accipitur. Hinc Chrysost. ait: Peccator justum superavit, Publicanus Pharisæum, & verba factis fuêre superiora. Idem comparat eos duabus navibus in portum ituris, quarum altera tumens allidit, altera timens evitato naufragio pulchrè ingreditur. Est autem fides hæc salvificans non tantùm cognitio historiæ; sed fiducia misericordiæ promissæ propter Christum, Joh. 1. Rom. 4. cujus vulneribus sanati sumus. Esa. 53. Nec fidei lex posita est, 1. Tim. 1. sed bona opera sponte secum trahit, sicut Solem splendor, fumus ignem, & fructus bonam arborem comitatur. Nec faciunt nos opera justos & bonos, sed nos per fidem justificatos esse testantur.

fides salvifica q.

II. Quod nullum peccatorem verè pœnitentem Deus unquam repudiaverit, sed ægros vocat, Ezech. 33. Matth. 11. eos recipit, Luc. 14. 15. 19. 23. & à delictis absolvit. Quàm citò pœnitens peccator dixerit Dan. 9: Miserere Domine propter Dominum; tam citò respondet Deus Jer. 31. v. 34: Misericors ero delictis vestris, & transgressionis vestræ non amplius recordabor. Ubi dixerit: O Deus propicius esto mihi peccatori. Respondet Christus: Confide Fili, confide Filia remissa sunt tibi peccata tua. Matth. 9. Vix dixerat David 2. Sam. 12: Peccavi coram Domino, peccavi, fateor, merui quoq. crimine pœnam, cum subitò responderet Nathan: Abstulit Dominus peccata tua, non morieris, morte videlicet secunda.

III. Quod Deus, licèt coram ipso abominabiles sint omnes superbi cujuscunq. ætatis, sexus vel conditionis, seriò oderit superbiam spiritualem. Prov. 17. Luc. 1. 14. 16. Qua se divitem homo existimat, Apoc. 3. cum sit pauperrimus, & turpiter propter aliquam virtutis, quam in se deprehendit, scintillulam alios præ se contemnit, dumq. inanis gloriæ ventus inventa rimula animam subintrat, & ipse de culpa quam superavit elevatur, sub hoste quem prosternit moritur. Gregor. Idem lib. 23. Moralium quatuor hujus vitij

ſpecies enumerat. 1. *Quod bonum à ſe ipſis habere exiſtimant.* 2. *Aut ſi ſibi datum deſuper credunt, pro ſuis ſe hoc accepiſſe meritis putant.* 3. *Aut certè jactant ſe habere quod non habent.* 4. *Aut contemtis cæteris ſingulariter videri appetunt quod habent. Sed minus periculi eſt, cum ſe æger ægrotum & improbus improbum eſſe agnoſcit. Matth. 21. v. 31. Auguſt. Omnes divinorum voluminum paginæ hanc ubiq; ſpirant ſententiam, quod Deus ſuperbis reſiſtat. Et pœna ſequitur culpam velut umbra corpus. Lege Dan. 4. de Nebuchodon. Act. 12. de Herode Agrippa. Idcirco nos oportet vereri opera noſtra, Job. 7. ipſaq; optima, monente Gregor. in Moral. ſciendo neſcire, ne ipſorum fiducia Dei gratiam amittamus. Recta ea æſtimare oportet & minima: recta ut cuſtodiamus, minima ne inflemur. Auguſt. lib. de natura & gratia. Cætera vitia in malefactis valent, ſuperbia etiam in rectè factis eſt cavenda. Et, teſte Hieron. ſuper Marc. multò illa deformior eſt ſuperbia, quæ ſub quibusdam ſignis humilitatis latet. Et turpiora ſunt vitia quæ virtutum ſpecie celantur. Pius itaq; homo non tam virtutes ſuas, quàm ſua vitia ſollicitè attendat; nec quid habeat ſed quid ſibi deſit diligenter conſideret. Optimi ſunt illi famuli, qui, Luc. 17. cum omnia peregerunt nihil ſe feciſſe arbitrantur, Matth. 6. v. 3. ne noverit ſiniſtra quid faciat dextra.*

II.

Ut Arbor Fidei fructum proferat Triplicem.

Ne quis ſtultè dicat: Eſt mihi Fides, ergo non damnabor, etiamſi non adſint opera bona. Hoc enim perinde eſt ac ſi dicat: Habeo arborem elegantem, ſed putrida eſt nec fructum fert.

I. Ut acta vera pœnitentia, ne iniquitates noſtræ inter nos & Deũ dividant, Eſa. 59. v. 2. Pſal. 66. v. 18. Joh. 9. v. 31. ſedulò Deum invocemus in vera humilitate: Syr. 35. v. 21. quia oratio humiliantis ſe nubes penetrat, in vera Fide, Mar. 4. ſine qua nihil Deo acceptabile, Am. 5. Rom. 14. Ebr. 11. quod ea ſola Chriſtum, in quo exaudi-

exaudimur, Joh. 16. apprehendat; Ebr. 5. & in perseverantia, Luc. 11. v. 8. Luc. 18. ex profundo corde. Nec simus hypocritæ, qui vel ex coactione, vel ex consuetudine, vel ad ostentationem orant, Esa. 29. Matth. 6. v. 5. sine intellectu, sine affectu, & cum contradictione. Bernard. Nec simus ἀναλγητοι quasi Deus nobis sit debitor. Psal. 73. Nec simus desperabundi, nec securi peccatores, Esa. 1. Jac. 4. sed veri adoratores, Joh. 4. v. 24. Psal. 145. sitq; oratio ascensio animæ de terrestribus ad cælestia. Augusti. Qui autem orat & peccat, non honorat Deum, sed deludit. Chrysost.

II. Ut seriò & citò Ninivitas imitati ad Dominum convertamur, confugiamusq; ad thronum gratiæ; nec desperemus ceu Cain, Saul & Judas, Syr. 2. Apoc. 21. sed oremus: converte me Domine, Jer. 31. & convertar, sana me Domine, Jer. 17. & sanabor; non tegentes sed confitentes errata, Proverb. 28. v. 13. 1. Joh. 1. v. 8. 9. nec iterantes delicta. Augusti. Inanis est pœnitentia quam sequens coinquinat culpa. Nihil prosunt lamenta si iterentur peccata. Nihil juvat à malis pœnitentiam agere, & mala iterum facere. Cumq; servi simus inutiles, Luc. 17. confiteamur cum Jobo cap. 9. quod non possimus respondere ad unum de mille. Canamus cum Davide Psal. 19. delicta quis intelligit. Psal. 130. v. 3. Si iniquitates observaveris O Jehovah Domine quis stabit? Repetamus illud Salomonis Prov. 20. v. 9. Quis potest dicere mundavi cor meum? Agnoscamus cum Esaia cap. 64. justitiam pollutam. Oremus cum Daniele cap. 9: Nos peccavimus impiè egimus, miserere Domine propter Dominum. Scimus enim quod Deus non ferat gloriantes, Jer. 9. nisi de cruce Christi, Gal. 6. ut detur Deo omnis gloria: Esa. 2. Phil. 3. siquidem Christus nobis factus est justitia & redemtio. 1. Cor. 1. v 30. Nec quis templo egrediatur, nisi percusso pectore, per fidem impetraverit remissionem peccatorum, & deinceps imitetur virtutes Pharisæi ex fide profectas, ne habeat cor impium, linguam mendacem & oculos iniquos. Nemo autem pœnitentiam protrahat, sperans se in peccatis obsoletum in senectute vel agone cum Publicano dicturum:

rum: Domine propicius esto, idemq; fore quasi totam vitam in timore Domini transegisset. Sed tria ponderentur, 1. Quod Deus non irrideatur, Gal. 6. v. 7. nec ipsi verbis satisfiat hypocriticis. Matth. 7. Multi absq; dubio hæc publicani verba in certamine mortis repetunt, nec tamen salvantur, quia non ex firma fide, sed præ anxio metu Gehennæ. 2. Quod nimis periculosum sit rem tantam ad ultima vitæ spatia differre, quod jactura sit perpetua si quis subitò obruatur, nec concedatur ipsi tempus pœnitendi. Rom. 2. 3. Quod contemnentes Deum in prosperitate sua, ab ipso in angustijs derelinquantur. Prov. 1. v. 26. & 27.

III. Ut humiliter nos ipsos agnoscentes, quia si te ipsum non nosti, inquit Nazianz. quo tandem modo qui & quantus sit Deus te scire arbitraris? & nostro nos metientes modulo aliorum errata non exaggeremus; Proverb. 10. sed potius ea contegamus, Galat. 6. 1. Cor. 13. ipsos fraternè moneamus, pro ipsis ut in viam salutis convertantur Deum invocemus. Gal. 5. v. 1. Nec homini à peccato recedenti probrum objiciamus, Syr. 8. v. 6. quod omnes simus in crimine. Fuerunt autem huic vitio temerarij judicij turpissimè obnoxij Pharisæi, quod docet historia Evangelica Luc. 7. v. 39. Luc. 15. v. 2. Luc. 15. v. 28. Johan. 8. v. 4. cum, teste Christo Matth. 21. v. 31. publicani & meretrices præeant illis in Regnum Dei. Non ergo temere quis invadat judicium Dei: Matth. 7. Luc. 6. v. 37. Rom. 14. v. 4. & 10. quia subitò labitur homo, 1. Cor. 10. nec difficile est Deo prolapsum restituere, quod apparet in Esau & Jacob ex eodem patre & matre eodemq; partu natis, de quibus tamen Dominus ait: Jacob dilexi, Esau autem odio habui. Romanor. 9. v. 13. In Juda & Paulo, quorum ille ab Apostolica dignitate cecidit, hic Ecclesiæ vastator conversus est in Apostolum. Imò Salomon optimi patris filius templi extructor excisus est, Manasses autem propter cujus delicta templum ipsum & sancta civitas funditus eversa est, in gratiam cum Deo redijt. O altitudo sapientiæ Dei, & incompre-

hensibilia ejus judicia! Quis te non timebit ô Rex Regum, ut cum timore operetur salutem suam?

III.

Ut expectet Fidei mercedem Triplicem.

I. Quod, cum hîc non simus exemti à peccato, sed injusti, invidi & impuri sicut cæteri homines, quorum est errare dum hîc agitur, in vita futura per Christum etiam ab hoc malo culpæ liberati non inducemur in tentationem; sed justissimi revertemur in domum nostram, ingrediemurq; in mansionem nobis à Christo paratam in domo Patris æterni. Joh. 14. v. 2. Gregor. In futura vita non solùm corpora sanctorum, corruptioni in hoc seculo & morti obnoxia, perpetuam percipient incorruptionem; sed etiam animæ eorum & corda in æternam transibunt stabilitatem. Et sicuti mori non poterunt; ita nec peccare possunt, ut appareat eis multiplicis bonitatis Dei beneficium, cum & mortale induerit immortalitatem, & affectus non sentient tentationem. Finis itaq; erit veluti Regni mortis & Regni Satanæ, sic etiam Regni peccati, Rom. 5. ut regnet per justitiam in vitam æternam per Jesum Christum. Non ergo verbis aut factis, ne cogitationibus quidem quis transgredietur legem voluntatis divinæ, nulla erit impietas, blasphemia, petulantia, odium, inimicitia, impudicitia, furtum, mendacium in corde, lingua vel oculis, &c. nec ira Dei aut quicquam mali super Electis: quia sublata causa & sublati erunt effectus. Flagellum non appropinquabit tabernaculo nostro. Psalm. 91. v. 10. Alcuinus lib. 2. de peccato originali:

Angelicæ qualis narratur gloria vitæ
Sidereas habitare domos, qualemq; redemtis
Spondet reddendam mortis post tempora Christus.
Quîs neq; conjugium curæ, nec fœdere turpi
Miscebit calidos carnalis copula sexus.
Cessabit gemitus, luctus, metus, ira, voluptas,
Fraus, dolor atq; dolus, mœror, discordia, livor,

Nullus

Nullus egens, nullus cupiens, sed pace sub una
Sufficiet cunctis Sanctorum gloria Christus.

II. Quod (cum in hac vita meritò erubescamus levare oculos nostros ad cælum propter offensionis gravitatem, utpote scientes illum habitare in cælo cujus majestatem toties violavimus: siquidem 1. Reg. 2. Abner aspicere veretur Joabum si fratrem ejus Azaël in bello occidisset, & Esdras in oratione sua, Deus meus confundor, inquit, & erubesco levare faciem meam ad te; quoniam iniquitates nostræ supergressæ sunt caput nostrum, & creverunt usq; ad cælum, ne nobis sit frons meretricis erubescere nesciens. Jer. 3. Quin & Manasse in sua confessione se indignũ fatetur intueri altitudinem firmamenti.) eo quod in cælum tollere oculos nõ audemus, uti Bernard. loquitur, cælum ad nos trahemus, & si percusserimus pectus non sola manu, sed doloris sensu Deus nos absolvet, qui non amisit unde salvare solet, nos licèt admiserimus unde nos justè damnare posset. Et intonante Angelo, Christoq; revocante mortuos ex sepulchris, cum gaudio attollemus oculos nostros, videbimusq; animas ad exuvias dulces advolantes, & majestatem Christi judicis, per quem digni erunt oculi nostri visione superna, conversis ad ipsum oculis cum infinito gaudio intuebimur.

III. Quod in æternum extollemur, Ezech. 21. v. 26. nec tantùm in hac vita ut Joseph, Esther, Daniel: quia Dominus humiles sublevabit Jehova excelsus cujus sedes sunt, juxta Augustinum, humiles corde. Et ascendemus superius ad mensam Abrahami. Luc. 14. v. 10. Hîc quidem Reges etiam elatissimi pulvis & umbra mortis imperio subjacent; illic autem in gloria dominabimur super inimicos nostros, & fulgebimus claritate cælesti, qua si modò unicus digitus ornatus esset aspicere illum carnis oculis non sustineremus. Exod. 34. 2. Corint. 3.

Dominica XII. Post Trinitatis.

DE SURDO ET MUTO A CHRISTO SANATO.

Evangelium Marc. 7. à v. 31. usq; ad fin. cap.

PRÆFATIO SUPPLEX.

OUlm, teste Salomone Prov. 20. v. 12. aurem audientem & oculum videntem utrumq; faciat Deus, linguamq; solus det eloquentem & eruditam; nos autem ad docendum & audiendum verbum Dei ministerio horum membrorum indigeamus, ipsum in nomine Jesu invocabimus, ut digito Spiritus Sancti tangat linguam nostram, aperiatq; nobis aures tam cordis quàm capitis, quò bene utamur hisce membris prædicando & recipiendo verbum Dei in gloriam ipsius & salutem animarum nostrarum. Pater noster, &c.

Exordium Propheticum.

ESa. 35. v. 5. & 6. inter cætera & hoc de Messia prædictum legimus, quod populus h. l. respexit, & ipse Christus Matth. 11. v. 5. allegavit: Quod aures surdorum patebunt, & laudabit lingua muti. Et Athanas. lib. de Humanit. Verbi fol. 61. sic scribit: Tale quid de quonam poterunt allegare nisi de Christo? aut quomodo audent contra ista vel oculũ attollere? Siquidem Propheta Deũ adventurum significat, & signa ejus præsentiam ostendunt, ac in adventu ejus futurum esse ut cæci videant, claudi ambulent, surdi auscultent, balbi linguam habeant expeditam prævio denunciatu indicaverunt. Quando igitur talia signa contigerunt in Israël? aut simile quippiam in Judæa accidit? nisi quando Dei Verbum in corpore fuit.

Ergo

Ergo tunc contigit, ceu textus docet, surdos audire, & linguam mutorum expediri.

PERIOCHA ET DISPOSITIO TEXTUS METRICA.

Linguæ impotens & aurium
Satanæ tyrannide obrutus
Defertur ad Christi pedes,
Rogando ut imponat manum.
Tactum trahit mox exspuit
Digitosq; membris admovet
Christus, trahit suspiria,
Jubet, fugit infirmitas.
Hoc ipse divulgarier
Factum vetat, sed hi magis
Magisq; Christum prædicant
Quod cuncta rectè fecerit.

TRIPLEX NUCLEUS HUIUS EVANGELII.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. Quod Protoplastorum inobedientia fuerit grandis & horrendus lapsus, quo non tantùm imaginem Dei, perfectam justitiam & immortalitatem corporis amiserunt; sed etiam Diabolos, quos pedibus subjectos conculcare potuissent, fecerunt κοσμοκράτορας καὶ ἀρχὰς, quorum potestate violenta obruimur, & tyrannide infestamur, teste historia Jobis cap. 1. & Christo, Luc. 13. v. 10. de muliere quam ligarat Satan 18. annos, & Petro, Actor. 10. v. 38. qui omnes leprosos, cæcos, surdos atq; mutos, quos Dominus Jesus sanavit, dicit tyrannicè oppressos à Satana latrone truculētissimo, Venatore, Psf. 25. 91. 2. Tim. 2. Aucupe, Psal. 124. Cribratore, Luc. 22. Leone rugiente,

giente, 1. Pet. 5. & Dracone. Apoc. 12. Aliàs ſtatus fuiſſet ſemper feliciſſimus, nulli dolores, morbi nulli neq; mors, nec ullus poſterorum fuiſſet ſurdus vel mutus; ſed absq; morbis & morte in cælum translati eſſemus. Gregor. lib. 3. Moral. Jam verò propter peccatum originale, Pſal. 51. & propria delicta noſtra, Pſal. 90. v. 7. & 8. Gen. 4. 2. Reg. 5. 2. Paral. 26. & per Satanæ inſultus varijs infirmitatibus objecti ſumus. Unde Auguſt. ſerm. 31. ad fratres in Eremo: Surgat Adam cum omnibus filijs ſuis, & uno ore loquantur, utrum in hac vita gaudium habuerint ſine dolore, pacem ſine diſcordia, ſanitatem ſine infirmitate. Et imperſcrutabili Dei judicio multi ab utero infirmiores prodeunt ut cæcus, Joban. 9. fœmina. Luc. 13. Nec pauci negliguntur in educando ut Mephiboſeth, 2. Sam. 4. v. 4. multiq; peccatis ſuis malum ſibi contrahunt. Sic quoniam filij iræ ſumus, Eph. 2. & in hoſpitio Satanæ verſamur, eumq; factis & verbis impuris multoties invitamus, ipſi in multos datur à Deo poteſtas. 2. Cor. 12. v. 7. Et Satanæ, ut inquit Gregor. ſemper voluntas eſt iniqua, ſed nunquam poteſtas injuſta. Quia à ſemetipſo voluntatem habet, ſed poteſtatem à Deo, quidq; ipſe iniquè facere appetit, hoc Deus non niſi juſtè permittit. Auguſt. Diabolus plerumq; vult nocere & non poteſt: quia ipſius poteſtas eſt ſub poteſtate Dei: Nam ſi Diabolus tantum nocere poſſet, quantum vellet, non aliquis juſtorum maneret. Semper propendet Satan in perniciem noſtram, ſicut grave tendit ad centrum; ſed absq; permiſſione divina nuſpiam progreditur, Matth. 8. apparetq; ex Pſal. 78. v. 49. quod diverſis modis etjam mali Angeli ſint miniſtri noxarum, qui etjam Deo jubente cultores ſuos affligunt. Sic ergo portamus omnes impreſſum nobis cauterium conſpirationis antiquæ: Bernard. Serm. 72. ſuper Cant. quia genuit peccatores morti obnoxios primus peccator, primus prævaricator. Auguſt. Sic agnoſcimus vim peccati, & noſtram mortalitatem, & quod integra membra ſani corporis ſint inſigne donum Dei.

II. Quod Jeſus Chriſtus, quia opus commendat artificem, Matth. 11.

Matth.11. v.5. Joh. 10. v.38. sit promissus Messias, quamvis Judæi despexerint Christi miracula, quæ fecit cum infirmis, postularintq; signa de cælo sic subterfugium quærentes, quasi hæc signa non essent tam perspicua, quàm retentio & retractio Solis in diebus Josuæ & Esaiæ: vel quàm pluvia ignifera de cælo in diebus Lothi & Eliæ: vel panis è nubibus & aqua de petra data in diebus Mosis. Fuit autem pessima illa Judæorum malitia, quia Christi miracula etiam clausos feriebant oculos, nec ire inficias potuêre Nicodemus, Johan.3.v.2. & cæcus, Johan. 9. v. 33. hæc esse opera viventis Dei, quæ non tantùm fuerunt magna, utpote quod h.l. linguam solvit fortè in utero materno ligatam, & surdo aures aperit, datq; ipsi cognitionem materni idiomatis in momento, ut qui nec locutus erat, nec quem audierat loquentem, rectè loquatur, ac si infans modò natus discretè loqueretur: Verùm etiam planè Evangelica & salutifera cum labijs amicis, Psal.45. & lingua erudita, Esa.50. & toto officio Messiæ, Esa.61. v.1. convenientia; quoniam non agit cum mortalibus pro justo Dei judicio velut Moses, Exod. 15. Num.16. Elias, 1.Reg 1. & Elisæus, 2.Reg.2. v.24. sed quæsivit eorum salutem, prohibuitq; ne discipuli ad ejusmodi signa quæ cederent in perniciem hominum animum intenderent. Luc.9. v. 55. Patefactus enim ad hoc fuit filius Dei ut opera Diaboli dissolveret, & ipse est noster Medicus, Esa.63. noster Figulus, Esa. 29. Jer. 18. noster Samaritanus, Luc.19. noster Pastor, Amos.3. & Leo fortis de tribu Juda, Apoc.5. v.5. conterens Leonem rugientem. 1.Pet.5.v.8.

III. Quòd Dominus à se castigatos, Deo enim non Diabolo ascribendum est quod propter delicta vel ad probationem patimur, Job.1. diligat; nec hominem credentem propter infirmitates innatas vel alias attractas, cum mala ἐκτόπια plura sint quàm αὐτόματα, abijciat, sufficit illis gratia Dei, 2. Cor. 12. qua pijs omnia in bonum cooperantur, Rom.8. cum virtus Dei in infirmitate perficiatur. Nullius ergo corporalis infirmitas nocet animæ modò homo sit pœnitens, credens & patiens, nec est quod dicat, dereliquit me Jehova,

Dominus

Dominus oblitus est mei. Esa. 49. v. 14. Tritum quidem est proverbium: Cave tibi ab illis quos Deus notavit, & quidem propter defectum bilioſi ſunt; ſed nihilominus Deo cura. Sic claudus Mephiboſeth præ reliquis Saulis filijs & nepotibus ſervatur. 2. Sam. 9. v. 16. Cæcus Tobias à Deo diligitur. Tob. 24. Didymus cæcus ludimoderator Alexand. Niceph. lib. 9. cap. 17. Maris cæcus Epiſcopus ſub Juliano, Niceph. lib. 10. cap. 21. inſignibus donis à Deo ornati fuerunt. Et quandoquidem cum pueris cœtui vocatorum annumerantur pro Electis habendi ſunt; nec ſi apparent ſigna fidei, à Spiritu S. quo repletus fuit Johannes in utero materno, indita, à Cœna Domini abigendos judico. Tandem ubicunq; nobis ejuſmodi homines occurrant nullo modo irritandi ſunt; quia Dominus est qui fecit ſurdum, mutum & cæcum. Exod. 4. v. 11. Idemq; probibuit Levit. 19. v. 14. Ne maledicas ſurdo, nec offendas cæcum; quoniam reſtitutis naturæ dabitur glorioſa integritas. 1. Cor. 15. Act 3. Et in monte Hebal juſſu Dei proclamatur Deut. 27. v. 18. Maledictus qui in via ſeducit cæcum & omnis populus addit Amen. Benedictus autem qui illos precibus ad Chriſtum deportat.

II.

Fructus Fidei Triplex.

I. Ut Dominici gemitus indicio ſcelerum noſtrorum gravitatem agnoſcamus, & cotidie, quia noſtra agitur cauſa, noſtra periclitatur ſalus, aſſiduis gemitibus mala noſtra doleamus, atq; imis ſuſpirijs commiſſorũ veniam precemur, quo ſempiternũ Gehennæ luctum & gemitus infinitos evadere poſſimus. Nos ſi vera fatemur, inferiores ſumus ratione providentiæ, quàm ciconiæ & turtures; Jer. 8. imò ipſis formicis ſtultiores, Prov. 6. quæ ad futuram hyemem frumenta in æſtate colligunt, ne commeatus inopia eſurire cogantur. Nec diſſimiles Cambyſi, qui cum in Æthiopiam profecturus expeditionem adornaſſet, quæ eouſq; proficiſcentibus ſufficerent præparavit, ſed quæ ad inculta & arentia deſerta peragranda neceſſaria erant, non provi-

providit. Unde milites fame compulsi frondes & cortices arborum, & coria cibum fecerunt, decimumq; quemq; militem sortiti comederunt: quia cum vita nostra sit navigatio ad mortis portum tendens, ea quibus eousq; fruendum est sollicitè quærimus, & quæ ad hanc vitam brevissimam pertinent assiduè curamus; sed quid post mortem habituri simus parùm proh dolor providemus. Gemuisse ergo videtur Christus 1. quia intuetur peccatum, quod homines plurimi parvi faciunt, idq; tanquam pius pater phrenitici filij stultam lætitiam considerat, qui quò magis ille ridet, eò magis contristatur. Gemit ergo quia nos non gemimus, luget quia nos non lugemus. Doles, inquit Ambros. non tua sed nostra vulnera Domine, non tuam mortem sed nostram infirmitatem. Solus Christus peccati malitiam planissimè comprehendit, solus pœnam penitius animadvertit infinitam, quæ impijs justè irrogatur, ignemq; æternum, qui perpetuò corpus & animam ad rediviva tormenta retrahet. 2. Quia ponderat tyrannidem Satanæ contra quem bellum erat gessurus. Genes. 3. 3. Legis maledictionem, quam erat in se recepturus. Gal. 4. 4. Amarissimam mortem, quam pro genere h. erat subiturus. Esa. 53. 5. Ingratitudinem maximæ partis mundi. Esa. 43. v. 4. 6. Quia prævidit abusum harum à se modò apertarum aurium & linguæ, quæ sola membra loquendo & audiendo discrimen constituunt inter Christianos & Atheos, quod verbum Dei & oratio duo præcipua sint vitæ Christianæ fundamenta, sine quorum subsidio nemo salvus erit, quod in Mose legislatore & Aarone sacerdote fratribus Dominus ostendit. Cum autem super lingua & auribus usq; adeò ingemuerit Salvator, cavendum est ne hisce membris turpiter abutamur; quia reddenda etiam de verbis erit ratio. Matth. 12. Lingua ad præscriptum 2. 3. 4. & 8. præcepti Deum celebret, invocet, verbum ejus prædicet, ut sermo sit index animi, instituat sobolem, consoletur anxios, nec malè loquatur de proximo. Aures ad normam 3. 4. & 8. præceptorum Christum audiant, pastoribus & parentibus morem gerant, nec obturentur ad gemitum pauperum. Prov. 21.

II. Ut à turbulentis hujus mundi curis atq; negocijs secedamus, non corpore sed anima, sicut Abraham egressus est ab Ur & idololatria Chaldæorum, Gen. 12. Loth de Sodoma & incolarum Atheismo, Gen. 19. filius luxuriosus à porcis & turpi sodalitio, Luc. 15. publicanus ex telonio: Luc. 18. quia præcipua vitæ Christianæ portio invitiorum fuga posita est. Aliàs qui picem tangit maculatur, Syr. 11. & amicus stultorum similis illis redditur, Prov. 13. & corrumpunt bonos mores colloquia prava. 1. Cor. 5. Et quia facilè nos mundus trahit atq; decipit, multa quæ videmus cupiditati nostræ faces & incendia subministrant, quod Augustin. lib. 6. confess. cap. 1. familiaris sui Alippij exemplo demonstrat, & cotidiana testatur experientia. Simus ergo abstracta mundi, ne peccatorum semina, quæ corruptæ naturæ vitio ceu ignis in silice intra nos manent, oblata peccãdi opportunitate excitentur & erumpant. Et veluti pestem vehementissimam; ita commercium fugiamus impiorum, ne animas nostras pravitatis suæ contagio inficiant. Et avertamus oculos à vanitate, ne eos imposterum luctu ac lachrymis cruciare cogamur. 2. Samuel. 11. Psal. 6. Infirmum & debilem hostem adhuc foris agentem facilius repellemus, quàm armatum & in visceribus nostris hærentem expellemus.

III. Ut in morbis & calamitatibus pro fraterna charitate, Esa. 58. v. 7. Gal. 6. v. 2. per humilem intercessionem deducamur ad Christum, Jacob. 5. v. 14. qui passim se nobis offert Psal. 23. 27. 91. Esa. 43. Johan. 14. Matth. 18. 28. Actor. 7. Rom. 8. Apoc. 1. Nec ubi cum cæsti medico facta fuerit reconciliatio; Rom. 14. v. 8. media à Deo ordinata aspernemur; siquidem Rex Ezechias etiam data promissione de prorogatione vitæ ad 15. annos, 2. Reg. 20. v. 7. massam ficuum siccarum super ulcus posuisse legitur, quod medicina donũ sit Altissimi. Syr. 38. Simus denig; patientes nec murmuremus contra Dominum, Thren. 3. Dan. 9. si illa quæ hactenus ex mera misericordia nobis concessit iterum subtrahat. Si bona suscepimus à Domino, feras non culpes quod mutare non potes, quid si ab utero materno claudi,

claudi, caci & infirmi prodijssemus? Quod si ferre recuses te lædes, quod fers te feret immo trahet. Nec quid Deo præscribamus; sed fiat voluntas ejus, & pro suo lubitu manum adhibeat, sive quod multis contingit ægrotantibus, citò convalescamus, sive diutius torquendi simus, Joh. 5. v. 5. Luc. 13. & tamen sanandi: sive diuturna ægritudine confectis moriendum sit, & semper exhilaret nos dulcissima æternæ refectionis recordatio.

III.

Triumphus Fidei Triplex.

I. Quod potentissimo Hephetah Jesus Christus in die novissimo aperiet sepulchra mortuorũ multa millia, vel in hoc uno loco eorumq; oculos & aures, ut percepta voce judicis ipsum videant in nubibus cæli; quia Dei dicere est facere Hieron. Sicut ergo cæcus ille Joh. 9. apertis oculis in eodem momento vidit agnovitq; Christum & divinam ejus majestatem. Sicut hic surdus & mutus Christum quod antea nunquam fecerat alioſq; audit & intelligit, & in eodem momento rectè loquitur: sic in resurrectione nostra perfectus & sanctissimus erit linguarum auriumq; usus. Tunc enim, ut Prosper lib. 3. cap. 10. de vita contemplat. scripsit, omnium fidelium erit salus plena, immortalitas beata, corruptibilitas nulla. Ibi erit prudentiæ ac scientiæ perfectio vera, rerum omniũ cognitio tota & ad perfectum evacuatione partis producta. Et in vita æterna consũta mortalitate, pulsisq; erroribus nec fletus erit, nec gemitus ullus inter Beatos.

II. Quod devicta morte & morbis gloriosa post hanc vitam erunt corpora nostra cum singulis membris. 1. Cor. 15. Ibi Moses non erit Μογίλαλος Exod. 4. nec Isac cæcus, nec Jacob claudus, nec quis oculis, linguæ vel auribus timebit: Cumq; in Veteri Testamento Levit. 21. vir in quo erat macula, vir cæcus, claudus vel diminutus, gibbosus, lippus aut scabiosus non admitteretur ad altare, ne pollueret Sanctuarium Domini; certè à tabernaculis æternis pœnitens & credens nemo excludetur, in quibus omnes erimus sacerdo-

tes coram Deo, Apoc. 5. & sancti habebunt amorem perfectum, timorem nullum; sed gaudium sempiternum. Ubi omnis erit voluntas recta & cupiditas nulla.

Semper erunt quod sunt æternæ gaudia vitæ,
Gaudenti quoniam causa erit ipse Deus.
Nec varios pariet motus diversa voluntas,
Unum erit in cunctis lumen, & unus amor.
Inq; bonis summis posita experientia felix,
Nec volet augeri, nec metuet minui.
Nullus membrorum defectus, nullus abusus,
Tota sed integritas, integra prosperitas.

III. *Quod cum hic balbi simus, & delirantes putemus Deum nobiscum malè & injustè agere, in futura vita verè Deum celebrabimus, jam illuminatis oculis agnoscentes, quod nos mirabiliter ducendo omnia justè ac bene fecerit, Psal. 4. v. 4. sicut in principio omne quod fecerat bonum erat valde; Gen. 1. v. 31. quamvis Satan & nos malè fecimus & omnia perdidimus, ea per Christum reparata lætabimur, admirabimur de tanta philanthropia, Psal. 8. qua pollutos peccatores inter Electos posuit. Et benedicet anima nostra Domino, Psal. 103. qui, teste August. non permisit malum, nisi ut indè eliceret aliquid boni, ideo cum cædebat Pater erat & cum blandiebatur, ne insolesceremus, & ne desperaremus. Tunc retribuetur Jobo quod dixerat: Si occiderit me sperabo in eum. Et omnes linguæ prædicabunt Deum. Esa. 45. v. 23. Rom. 14. v. 11. Phil. 2. v. 10. Verisimile est unicum fore in vita æterna idioma, sicut in prima creatione à Deo constitutum erat, quo Patriarchæ usq; ad tempus diluvij usi sunt. Et quia confusio linguarum pro numero filiorum Nohæ qua unica illa, teste Epiphanio, in 72. dispartita est, Gen. 11. v. 7. pœna fuit peccati. Electi autem in vita æterna ab omni reatu & pœna scelerum omniq; peccati stipendio planè & liberrimè erunt liberati tolletur quoq; confusio labiorum; nec indigebimus aliquo interprete, sicut nec ante diluvium nec centum annis post diluvium cuiquam ignotum fuit labium proximi sui. Et ex ore Christi unicam pronunciantis*

antis sententiam per Ite & Venite, jam apertæ & illuminatæ aures nostræ audient & intelligent linguam suam, sicut in prima Pentecostes, Act. 2. v. 8. variæ Gentes concionem Petri intellexerunt. Sunt qui in explicatione hujus loci statuant, quod de Spiritu sancto in Apostolos & super eorum tantùm linguas effuso loquatur textus; quia solis Apostolis promissus & visibiliter datus sit Spiritus sanctus, ut sua eloquentia auditores postea eodem spiritu donandos in viam salutis ducerent. Et quia Apostoli fuerunt 120. alter post alterum aliæ lingua ad captum auditorum accommodata docuerit. Petrus autem concionem defensoriam, in qua de passione & resurrectione Christi ex Prophetis solidissimè disseruit, Ebræo idiomate ut meliore & multis cognito proposuerit. Sed hac ratione illa concio sæpius fuisset repetenda ut singuli instituerentur, nec extenuanda est virtus ac potentia Spiritus sancti: quia illud aliàs non esset adeò mirabile, quod & hodie, multi reperiantur docti homines multarum linguarum periti. Sed concio illa talis fuit de qua omnes obstupêre intenti ora tenentes. Et qui unam linguam propter peccatum in tam multas divisam amplificavit, facilè per gratiam effectum dedit, ut quælibet natio suam linguam indè colligeret. Verùm decisionem hujus quæstionis dabit ille, qui venturus est judicare vivos & mortuos.

Dominica XIII. Post Trinitatis.

DE SAUCIO VIATORE ET BENEFICO SAMARITANO.

Evangelium Luc. 10. à v. 23. usq; ad v. 38.

PRÆFATIO SUPPLEX.

Elapsis diebus strenuè laboravimus demetendo & domum portando Cererem, incerti autem sumus num illis quæ collegimus frui debeamus; certissimi è contra quod per mortem emigrandum sit. Ebr. 9. Pascenda

ergo est anima & vestienda verbo Dei, & justitia Christi, quam ob causam hoc loco & tempore congregati sumus. Ut autem Evangelium de Jesu Christo linguis nostris eloqui, auribus excipere, & in sinu cordis recondere possimus, simusq; beati auribus & oculis fidei, diligamus Deum, sanemur à Christo, maneamus in diversorio Ecclesiæ, & Christum revertentem cum gaudio expectemus, orabimus nobis dari Spiritum Sanctum in nomine Jesu. Pater noster,&c.

Exordium Propheticum.

ESa. 63. v. 1. dicitur Christus Magister magnus ad salvandum, eumq; se verè esse evidenter declaravit & factis & verbis. Ipse enim est Samaritanus appropinquans; siquidem, ut loquitur Ambros. factus est compassionis nostræ susceptione finitimus & misericordiæ collatione vicinus, & incommodo suo commoda nostra quæsivit, eripuit animas à laqueis Satanæ, & corporibus vires restituit.

SUMMA BREVIS ET DISPOSITIO METRICA.

VErè beati Apostoli,
Simili fide quod prædiți
Præ Regibus præ vatibus
In carne Christum viderint.
Quæ facta vitam conferant
Legisperitus disputat.
Ex corde, vivet, si Deum
Et proximum si diligat.
Sed lex jubet, nec quem juvat
Simili ergo Christus edocet
De vulnerato, proximus
Quis, quisq; cui quid debeat.

TRIPLEX PHARMACON SANCTUM EX HOC TEXTU.

I. Con-

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. Quod Evangelium de Jesu Christo non sit doctrina nova, sed vetustissima, verissima & jucundissima, de salute nostra, quæ etiam patribus & populis veteris Testamenti nota fuit; quia est unus Dominus & una fides, Eph. 4. ideoq; cum dicitur de mensa Abrahæ, Matth. 8. & de sinu ejus, Luc. 16. rogaturq; quomodo ille ad gloriam tantam pervenerit, respondendum est: per Fidem in Jesum Christum velut & nos. Actor. 15. v. 43. Agnoverunt autem Christum illi ex prima promissione, Gen. 3. ex typis & figuris varijs, nec non ex apparitionibus, Gen. 6. 18. 32. dictiq; sunt Prophetæ Videntes, quod spiritu monstrante præviderint quid, ubi, quomodo & quando passurus esset Christus. Psal. 22. Esa. 53. Zachar. 11. 12. Et Jesus Christus est hodie & heri, Ebr. 13. per quem omnes credentes salvati sunt, salvantur & salvabuntur. Sicut in deserto serpentem æneum, Num. 22. & in equitatu, Luc. 19. Christum quidam sequentes, quidem præcedentes, quidam concomitantes aspexerunt. Nec omnes subditi uno & eodem temporis momento magistratui homagium præstant, & nihilominus juramento obligati fideles subditi regia fruuntur protectione. Hinc omnes credentes indè ab initio ardentissimis votis, de quo nullo modo dubitandum est, Jesu Christi adventum in carnem desiderarunt. De Patribus Adam, Seth, Enos, Mathusalem, Lamech, Abraham lege Gen. 4. v. 1. Gen. 5. v. 29. Johan. 8. v. 56. De Regibus lege 2. Sam. 7. 2. Reg. 23. Psal. 2. 14. 24. De Prophetis Esa. 7. 9. 11. 25. 32. 35. 40. 42. 49. 52. 62. 64. v. 1. Num. 24. v. 17. Ag. 2. Mal. 2. Sic venturam gratiam inquisiverunt 1. Pet. 1. v. 10. ut si quis carcere detentus adventum principis cujus intercessione liberetur avidè expectet, & sicut nautæ in turbulento mari de fluctibus & tenebris ad lucernam accensam aspirant. Nato autem Christo gavisi sunt Angeli & homines, Luc. 2. advolarunt Magi, Matth. 2. gestit Simeon, Luc. 2. triumphant Apostoli, Joh. 6. Matth. 17.

Matth. 17. insinuant se Græci: Joh. 12. quia etiam Gentes hoc gaudium concernit, quod eorum sit vexillum, Esa. 9. lumen, Esa. 49. & solatium. Ag. 2. Viderunt ergo Christum oculis fidei venturum, sicut & nos exhibitum, Joh. 20. v. 29. quem impij quam plurimi viderunt tantùm corporaliter: Apostoli autem & alij in illo seculo corporaliter simul ac spiritualiter. Et tandem quod beneficium est reservatum in vita æterna videbimus à facie ad faciem. Interim verè credendum, quod Evangelium, testimonium perhibente ipso Christo qui illud ex sinu Patris revelavit, in quo thesauri sapientiæ, Col. 2. & Spiritu sancto, qui profunditatem scrutatur divinitatis, non sit horribile legis fulmen, nec umbra tantùm, Ebr. 10. onere ceremoniarum homines gravans: Gal. 3. & 4. Sed suavissima doctrina efficax ad salutem, Rom. 1. dans Spiritum sanctum, Act. 3. Deum è cælo ad nos trahens, Joh. 14. à morte liberans, Joh. 8. bene sapiens, Psal. 34. reficiens ossa, Psal. 51. dulcissima melodia, Psal. 33. 69. 98. 150. Esa. 42. Apoc. 14. concio læta pro lugentibus, Esa. 9. verbum pacis contra morsus conscientiæ, Esa. 52. Zach. 9. Eph. 2. 6. concio consolationis, Ebr. 13. & vitæ. Am. 5. Joh. 6. 2. Johan. 1. Nec agit de rebus caducis & gaudio fluxo, quale fuit victoria Davidis de Goliatho & aliorum, sed de bonis æternis atq; infinitis; ideoq; assimilatur melli, Prov. 16. Ethesijs, 1. Reg. 19. Mannæ, Joh. 6. rori & pluviæ. Esa. 55. Psal. 68. Et Ambros. definit, Evangelium esse bonum nuncium, quo vocantur peccatores ad pœnitentiam. Ejusmodi, laus Deo, doctrina est quæ nobis in Ecclesia prælegitur & explicatur propter certitudinem. 2 Pet. 1. v. 16. 1. Joh. 1. v. 1. Act. 10. v. 41. Siquidem & hæc parabola ex ore Christi descripta est, & propter immensum fructum facienda maximi: quia aperit oculos nostros & confert vitam æternam; unde vel mendicus credens Evangelio felicior est Imperatore Turcico. Matth. 16.

II. Quod Jesus Christus sit noster Samaritanus, sic enim appellarunt Joh. 8. & persecuti sunt eum Pharisæi, & ipse in Samaria luctatus est cum Jacobo, Gen. 32. vigilatq; pro nobis, Psal. 121. v. 4. &

v. 4. & proximus noster: Quia ipse æternus apud patrem est noster intercessor & nos diligit. Jer. 31. Item nostra est caro & consanguineus, Gen. 3. Eph. 5. & nobiscum est proximus noster ad consummationem usq; seculi. Psal. 23. Matth. 18. & 28. Et denig; Medicus noster non faciens incrustationes, ex quibus oriuntur recidiva, sed velut in Paradiso infundens vinum legis ut agnoscantur delicta, & superaddens lene oleum Evangelij, cum omnes simus vulnerati à latronibus, & vulnera nostra sint livida immedicabilia. Jer. 30. v. 12. & 13. Aspiciatur Rex David, qui cum esset Hierosolymis, hoc est, pace Dei felix & Deo acceptus, descenderet autem per libidinis appetitum in Jericho, 2. Sam. 12. spoliatus est à latronibus; sed infuso per Nathanem vino confugit ad Samaritanum proximum & Medicum Christum. Psal. 6. 17. 51. &c. Sic nec Petrum perjurum, nec Thomam incredulum neglexit hic Samaritanus. Et nos post Baptismum & absolutionem turpiter in delicta relabimur per solum Jesum carandi. Et, si vera fatemur, non admodum mirandum est, quod Petrus impendente mortis metu Dominum negavit, sed hoc longè turpissimum est, quod vilis vermiculus propter exiguum lucellum, vix pomo dignum ut in Paradiso ob turpem carnis voluptatem, & inanes quisquilias majestatis Dominum audeat offendere, leges ejus violare & præcepta contemnere. Sed Dominus Jesus pro nostris delictis satisfecit, nec sine cognitione ejus quis salvabitur. Joh. 17. Confirmat autem fidem nostram hoc Evangelium, quod verè venerit in mundum visus & auditus à discipulis, & quod verè reversurus sit, idq; pulchrè explicat Ambros. lib. 10 in Luc: Quando reverteris Domine nisi in die judicij, nam licèt ubiq; sis, semper stans in medio nostrum, nec cernaris à nobis, erit tamen tempus, in quo universa caro aspiciet te revertentem.

III. Quod, (cum semper variè disputatum sit de vero fundamento salutis nostræ & via in vitam æternam, nosq; omnes simus nati & lapsi peccatores, Psal. 51. portantes imaginem Adami, 1. Corinth. 15. deperditi, Psal. 14. 36. filij Belial, 2. Sam. 23. hostes Dei,

Rom. 5. & 8. filij iræ, Rom. 9. Eph. 2. nudi, Luc. 10. miseri & inopes; Prov. 24. Apoc. 3. nec pertineat ad nos regnum Dei: Johan. 3. quia caro, ibid. sordes, Jer. 31. nihil puri habentes, Esa. 1. & 64. auditores tantùm legis sumus. Rom. 2.) non per Mosen, legem & opera nostra, ceu Ecclesiæ Judaicæ columnæ credebant & profitebantur; sed per Christum, Evangelium, & solam fidem salvemur. Lex enim posita non est quæ hominem justificare possit; Gal. 3. Rom. 7. 8. 9. & 10. utpote infirmata per carnem nobis sub peccatum venditis omnibus, quos neq; lex neq; decimæ liberant. Solus Jesus Christus perfecta & plenaria sua obedientia nobis vitam reparavit, solus ipse propter se ipsum delet peccata nostra, quibus ipsi laborem fecimus. Esa. 43. v. 24. & 25. Non igitur ex merito, sed per gratiam; nec faciendo sed credendo itur ad astra. Et abeat Pharisæus hic cum periculosissimis verbis suis, ποιήσας & κληρονομήσω. Aliàs prævaluissent nobis Pharisæi & Eremitæ, qui etiam folia fagorum arefacta brumali tempore comederunt. Et felicissimi fuissent Sanctorum liberi, nec salutem consecutus esset latro. Luc. 23. Sed contrarium videmus in ipsis desertorum inhabitatoribus, nec non in Adami Caino, in Abrahami Ismaële, in Ejau, Cham, Absalon, &c. Probatur itaq; quatuor argumentis in hodierna Epistola Galat. 3. quod homo per solam fidem justificetur. Sic Abraham salvatus est 430. annis antequam lex promulgabatur in Sinai, credidit q; in Christum post annos 1590. venturum. Sic auditores Petri, & Act. 2. Pauli, Act. 16. nec aliter nos hominem salvari posse arbitramur, Rom. 3. si pater vel mater, conjunx vel soboles anxiè viam salutis à nobis requirat.

Ponderandæ autem h. l. sunt tres quæstiones. 1. Quid credam, ut detur mihi vita æterna? Respondetur: Me esse perditum peccatorem, sed Deum dilexisse mundum, Joh. 3. & Agnum Dei abstulisse peccata, Joh. 1. & omnes pœnitentes per fidem salvari. Act. 4. 1. Tim. 1. 2. Quæstio. Quid pro me fecit Jesus Christus ut salutem obtinerem? Respondetur: Quod ad nos gratis salvamur per fidem; quod ad Christum ille nos pretioso suo sanguine redemit, & quantum

pro

pro nobis passus sit, docetur Esa. 53. & in historia passionis ejus, & in articulo Symboli Apostolici secundo. 3. Quæstio ne quis decipiat semetipsum. Quid faciam ego non ut salutem quæram operibus meis; sed ut fidei quæ nunquam otiosa est fructum proferam, illaq; luceat coram hominibus. Luc. 5. Respondetur: Illud suo responso docet hic Pharisæus ex Deut. 6. & Levit. 19. At si hoc loco quis interroget, cum neq; scripta lex, neq; legis sacrificia sanare quenquam potuerint cur à Deo lata & data sit? Respondet August. Lex data est ut gratia quæreretur, gratia data est ut lex adimpleretur, quæ quidem non vitio suo, sed vitio carnis impleri non poterat. Idem. Eo consilio Dominus præcepit quod à nobis expleri nequit, ut intelligamus quo potißimùm actiones nostræ & vota omnia destinari debeant, etiamsi eo devenire non possimus, sicut in maritimis & scopulosis lucerna intempesta nocte in edito loco accenditur, ut intelligant navigantes quo dirigendus sit cursus, quamvis eo minimè sint perventuri.

II.

Fructus Fidei Triplex.

I. Ut Deum diligamus ex toto corde, ex tota anima & ex totis viribus: Deut. 6. v. 1. postulat enim Deus ab homine sicut in principio creatus erat internam obedientiam & perfectam dilectionem διάνοιαν rationem & meditationem in cerebro, καρδίαν voluntatem & affectus cordis, & ψυχὴν totam vitam cum omnibus actionibus, ut hæc sit cooperatio inhabitantis in homine Sanctæ Trinitatis. Nec ullis minis, incommodis aut voluptatum illecebris nos à Dei amore & obsequio patiamur disjungi vel divelli; sed omnia quæ mundus commendat & magnifacit propter Dei amorem aspernemur. Rom. 6. Sicut filij Levi juxta mandatum Jehovæ, Deut. 13. v. 6. propter idololatriam vituli aurei, juxta sermonem Mosis, Exod. 32. consecrarunt manus suas Domino, unusquisq; in filio & fratre suo, quod & Moses Deut. 33. morti vicinus v. 8. & 9. prædicat,

dicat, occideruntq; tria millia, & in tanta strage condiderunt districti strictum ferrum in viscera fratrum & filiorum, nec reveriti sunt caniciem parentum, nec matrum gemitibus concussi uberibus quibus lactati erant pepercerunt, nec rivis cognati sanguinis movebantur. Tantum amoris & reverentiæ divinæ exhibuerunt majestati, ut naturæ fœdera propter gloriã Dei violarẽt. Nosq; ut faciamus similiter impellat amor Dei, ne offendamus eum quem diligimus; & timor Dei, tanti amoris custos ac moderator. Excitet amorem immensa Dei bonitas, incutiat timorem odium Dei & vindicta contra improbos tot exemplis demonstrata: quia bonum est incidere in manus Dei misericordis; 2. Sam. ultimo. Horrendum autem incidere in manus Dei irati. Ebr. 10.

II. Ut diligamus proximum velut nos ipsos, Levit. 19. v. 18. non tantùm illos qui nostræ sunt regionis & religionis, agnatos, vicinos, beneficos; verùm etiam peregrinos, ignotos & hostes nostros, Luc. 6. Sic Christum dupliciter aspiciamus: primò ceu donum gratiæ ad justitiam, cui semper agamus gratias quod factus sit noster Samaritanus. Deinde ceu exemplar præstantissimum, quod imitemur benigni & benefici, ne subtrahamus nos à carne nostra. Esa. 58. v. 7. Mat. 25. v. 35. Syr. 35. Exercere misericordiam est oblatio purissima, &, teste Jacobo, visitare viduas atq; orphanos cultus est Deo gratissimus. Et beneficentia hominis, Syr. 17. v. 18. velut res sigillo consignata, & sicut pupilla oculi conservatur à Domino. Sic ergo Judæi, 2. Par. 28. filios Ephraim pascunt, ungunt & vestiunt. Sic Obadias, 1. Regum. 18. centum Prophetas à furore Jesabellæ defendit, & Ebedmelech Æthiops Jeremiam eripuit & fovit, Jer. 38. misericordiam pro eo à Domino consecutus. Jer. 39. Sic nec Job comedit buccellam suam solus, Job 31. v. 17. & nos quod nobis fieri optaremus faciamus proximo nostro, quicunq; auxilio & consilio nostro indiget. Luc. 6.

III. Ut Jesum cum vera animi humilitate suscipiamus, nec reprobemus lapidem fundamenti, ceu incolæ in civitatibus Galilææ, ubi ipse præsens docuit, Matth. 11. & facilimè salvari potuissent, modò

ad hunc

ad hunc medicum confugissent. Quid autem medicina etiam saluberrima si non applicetur languentibus? Quid optimus medicus si præcepta ejus non observentur? Ne ergo repugnemus furenter; sed quicquid medicus cælestis attentat in fundendo, elevando, deportando patienter perferamus; nec imposita vini & salis, Luc. 14. emplastra ab inflictis vulneribus avellamus. Nolunt quidem homines reprehendi, oderuntq; Canticum Mosis; Sed pernicioſissimi illi sunt medici qui molliter vulnera attrectant, putrida non tollunt, sed morbis mortem adjungunt. Ezech. 33. Utinam ego non fuerim auditoribus meis mollis nimis, nec quis abutatur lenitate mea. 2. Corinth. 5. v. 13.

III.

Victoria Fidei Triplex.

I. Quod in noviſsimo die Christus omnia opera misericordiæ proximo exhibita liberaliſsimè velit retribuere, Matth. 25. idq; Paulus 2. Tim. 1. v. 18. Oneſiphoro pro frequenti recreatione optat. Et fidelibus Evangelij præconibus, qui orando, meditando, legendo, ſcribendo & prædicando plus inſumſerunt, quum redierit Dominus Jeſus dabuntur copioſæ benedictiones, Dan. 12. 1. Cor. 15. 2. Tim. 4. 1. Pet. 5. de quibus Sancti Martyres fide imbuti certiores fuerunt, quàm ruſticus poſt ſationem de meſſe.

II. Quod, quem patres in carne videre deſiderarunt, quod etjam inter cætera optavit Auguſtinus, pius autem Eremita in vitam venturam differendum rectè ſtatuit, in die reſurrectionis oculis noſtris Jeſum Chriſtum videbimus. Job. 19. Non quidem cum tremore ceu impij, Zach. 12. qui turbati obſtupeſcent, Sap. 5. & à montibus abſcondi rogabunt; Apocal. 6. Sed cum ſumma jucunditate. Matth. 5. v. 8. 1. Joh. 3. Tunc ſpectabimus gloriæ decorem, ſanctorum ſplendorem & regiæ poteſtatis honorem; Bernard. Patris potentiam, Filij ſapientiam, Spiritus ſancti benigniſsimam clementiam. Dicemusq; 2. Cor. 6. Rom. 13. Jam tempus eſt acceptabile,

jam dies salutis. Modò salus nostra vicinior est quàm cum credebamus. Si Regina audiens Salomonis sapientiam, 1. Reg. 10. v. 8. dicere potuit: Beati viri & servi tui qui stant coram te, semper audientes sapientiam tuam; multò magis hoc de discipulis affirmare potuit Christus, & maximè de nobis dicetur in vita æterna: Ecce enim plus quam Salomon. Matth. 12. Paulinus in Epist. 12. ad Severum: Tunc revelanda nobis cum specie videbimus, quæ nunc per fidem prævidemus. Itaq; hic seminamus & ibi metemus. Hic spargimus & ibi congregabimus. Anshelm. Nunc autem eum videmus in ænigmate, & quasi in pictura ea quæ dicimus, veluti pictum Solem aut mare videmus. Solem quippe aut mare cum depicta videmus, non sicut est in ipsa re ea habemus. Cum verò Solem clarè lucentem perspicimus, aut mare turbulentum vel tranquillum cernimus, rem sicuti est veraciter intuemur, quamvis tantam quanta in se est intueri nequeamus: Sic sancti Dei in gloria sua Deum videbunt, sed magnitudinem divinitatis ejus, sive immensitatem potentiæ illius comprehendere nequibunt. Non enim immensus esset, si intellectu alicujus comprehendi posset. De similit. cap. 166. Maximum sanè gaudium erit ubi Dei essentiam & majestatem videbimus, quod Patriarchæ & Prophetæ ex animo gavisi sint Deo se ipsis patefaciente, cujus se colloquio quod terra sit & cinis, Gen. 18. Abraham indignum fassus est. Sic lætatur Jacobus de scala in cælum porrecta, & de lucta cum Deo, quid si ipsum Deum in sua essentia ac majestate vidisset? D. Hieronymus aliiq; quamplurimi esse beatos se duxerunt, quod exantlatis itineribus difficillimis ea loca in quibus Christus conceptus, natus & educatus, mortuus & sepultus est, atq; in cælos ascendit, aspexerint; sed major erit illa jucunditas, ubi Christum ipsum videbimus in majestate & gloria. Nos gaudentes in admirationem rapimur, si quando formosum hominem, leonem aut psyttacum, pavonem, arborem frugiferam, pomum majusculum, pyrum vel pulchrum florem contemplamur; sed infinito cum gaudio Creatorem ipsum in vita æterna intuebimur, illum hominem

qui

qui cum Deo unam constituit personam, nostrum fratrem, Redemtorem & caput nostrum, cujus nos membra sumus.

III. Quod ubi hic destituta illic perfectè restituta fuerit natura, velut ante lapsum in natura primum instituta, Deum verè diligemus & proximum, nec in minimo legem violabimus. Augustinus fieri posse negat in hac vita, ut homo Deum ex toto corde & anima diligat; quia sicut ex parte cognoscimus, sic ex parte diligimus, & utrumq; imperfectum est. Sed, ut scripsit Cæsarius Homil. 26. vita illa quæ nec oculis potest cerni, nec tacita mentis cogitatione perstringi, quam utiq; consequi est facilius, quàm enarrare, cujus erit cursus sine termino, usus sine fastidio, refectio sine cibo, adjutorium sine defectu, requies sine nocte, ociositas sine senio. Indeficiens sub vultu Dei caritas, & sub antiquis perpetuisq; gaudijs semper nova jucunditas, & sine ullo amittendi periculo felicitas. Ibi omnium beatorum beatitudo erit perfecta, ubi humana natura sui gloriam conditoris & suam perfectè beatificata visura est, atq; illi sine ullo defectu beatitudinis adhærebit. Prosper. lib. 1. cap. 7. de vita contempl. Tunc beati divinæ gloriæ zelo succensi hostes Dei nullum sanguinis aut amicitiæ fœdus agnoscentes condemnabunt, Luc. 16. v. 25. quod de Levitis adhuc mortali corpore septis allegavi. Erimus enim donati vera Dei agnitione, perfecta justitia & pura sanctitate. Eritq; vitæ æternæ perfectissima Dei dilectio & omnibus modis absoluta charitas. Ibi Deum sine fine videbimus, sine fastidio amabimus, & sine fatigatione laudabimus. Eritq; Amor 1. Syncerus sine simulatione & πλεονεξια. 2. Suavis sine morositate & fastidio. 3. Ardens sine simulatione & coactione.

In illa vita non amplius expoliati vestibus erimus nudi, ut videantur verenda nostra, Apocal. 16. v. 15. sed vestiti decore perfecto, velut primi parentes in innocentia permanentes, qui se nudos esse non agnoscebant, nec erubescebant, præter dubium vestiti splendore aliquo circumdante corpus & singula membra, sicut radiatis vultibus depinguntur Sancti Dei. Nec erimus semineces, mortui ad opera

opera justitiæ, sicut hîc currupta est natura, ut, juxta Lombard. spoliati simus in gratuitis & vulnerati in naturalibus, sapientes ut faciamus mala, Jerem. 4. ad quæ in nobis maxima est proclivitas, cum sit maxima ad virtutem & honestatem tarditas. Quod si quis velit agere pœnitentiam, observare verbum Dei, dare templis & pauperibus, mox apparebit; nam si quis velit beluari, scortari, litigare, vel alius impurus motus mentem attingat, non modò animus, sed totum corpus & vel ungues inflammantur. Itaq; fac hoc difficilima concio est omnibus hominibus etiam sanctissimis fiduciam propriæ justitiæ adimens, Exod. 34. Esa. 6. 64. Jerem. 10. 17. Daniel. 9. Actor. 15. nisi fortè gloriari velit idiota insanus se cum doctissimis disputaturum, & fatuus mendicus pauciſsimis obulis regnum emi posse putet, incurvatusq; claudus fortissimos quosq; stultè ad luctam provocet. Sed in regno cælesti replebitur homo bonitate atq; sapientia divina, eritq; speculum & domicilium Trinitatis, in quo mera sanctitas & justitia, summus intellectus, nec quicquam cum voluntate divina pugnans, fulgebit cor angelicis virtutibus, & corporis vires erunt validissimæ, ut facilimè faciat hoc & vivat in pace, gaudio ac gloria.

Tunc verè gaudebimus quod scripta sint nomina nostra in cælis, Luc. 10. v. 20. Sed de isto gaudio, inquit Bonav. sex causæ notandæ sunt quare Sancti gaudebunt. 1. Loci amœnitas quam possidebunt. 2. Jucunda societas in qua regnabunt. 3. Corporis glorificatio quam habebunt. 4. Mundus quem contemserunt. 5. Mors quam devicerunt. 6. Infernus quem evaserunt. Et in illa cælesti gloria considerandæ sunt Tria multis suspiriis affectanda. 1. Amœnissima civitas. 2. Amantissima societas. 3. Amplissima felicitas.

Civitas ista habebit
1. Figuram valde speciosam.
2. Mensuram spaciosam.
3. Structuram valde pretiosam. Ezech. 48.

Domi-

Dominica XIV. Post Trinitatis.

DE DECEM LEPROSIS A CHRISTO MUNDATIS.

Evangelium Luc. 17. à v. 11. usq; ad v. 20.

PRÆFATIO SUPPLEX.

SAtis nimiumq; Satanam, & mundi carnisq; secuti sumus irritamenta, euge charissimi, revertamur modò & demus Deo gloriam, qui dedit nobis verbum suum, tempus & locum in quo docendi & discendi causa convenimus. Utinam effundat super nos Deus Spiritum Sanctum, ut ex auditu crescat in nobis fides, illaq; nos salvos faciat propter Jesum Christum, quo intercessore rogabimus: Pater noster, &c.

Exordium Propheticum.

OSe. 6. v. 1. scriptum legimus, quod afflicti & percussi peccatores unanimi consensu affirment se reversuros ad justè affligentem Christum, ut ab ipso curentur & sanentur, idq; decem leprosos præstitisse, & decimas ex ijs redditas summo sacerdoti textus docet. Quod David Rex & Propheta in spiritu Psal. 50. v. 15. docuit, pollicitus est & monuit, ut in angustia Deum invocemus, qui nos eruet, à nobis honorificandus, id filius Davidis Christus in hoc textu probatum reddidit. Sed cum decem invocassent & salutem impetrassent, solus Samaritanus admonitioni morem gerens honesti ægroti officium explevit, quærendo Medicum optimum, ejusq; mandatis se subijciendo, & declarando animi gratitudinem.

PERIOCHA ET DISPOSITIO METRICA.

BIs quinq; polluti lepræ
Turpis viri contagio
Christum magistrum supplices
Ut mundiores sint rogant.
Mox ad sacerdotes jubet
Salvator ut se conferant,
Seq; in via mundos vident
Virtute Christi per fidem.
Sed unicus revertitur
Deoq; reddit gloriam.
Ingratitudo ter trium
Damnatur, hunc salvat Fides.

TRIA INSIGNIA DEI DONA EX HOC TEXTU.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. Quod peccatum sit venenata radix, pessimam arborem & malos fructus proferens; turpe virus quo infectus homo imagini Dei ad quam conditus erat dissimilis & deformis abominationi redditur Deo & Angelis. Si mandatum Dei non transgressus fuisset Adam, nec lepra aut ulla ægritudo mortales discruciasset, peccatum autem ejusmodi erogat stipendium, Psal. 90. v. 7. 8. Rom. 6. v. 23. cujus veneno totus homo infectus est. Gen. 6. Job. 15. Psal. 38. Esa. 1. v. 6. Nos ergo audientes ægrotantium gemitus, vel ipsimet ejusmodi concionatorem in sinu gerentes, fugiamus peccatum, illiusq; tam actualis quàm originalis obturemus scatebras: quia, quod negare non licet, quamvis gravissimis corporis & animæ malis refertus sit hic mundus, illud omnium maximùm est quod improbi, Job. 15. quasi aquam imbibant iniquitatem, & ea svavitate qua sitientes frigidam potant, spurcissima crimina admittant, veloces ad malum sicut equus ad prælium. Jer. 8. Si autem conspecta le-

Ita lepra quæ tantùm corpori mortem affert contremiscimus, & potius mortem quàm impuram hanc luem eligimus, magis metuenda est lepra spiritualis, &, quod exemplis suis Jobus cap. 9. David Psal. 6. 51. Jeremias Thren. 3. docent, magis ob malum culpæ quod Deum offenderimus, quàm de pœna quod justè affligamur, lugendum est. Quoniã omnes facti sumus spiritualiter leprosi, hinc juxta legem lepræ judicium non ad medicos, quorum officij est de corporis morbis ferre sententiam; sed ad sacerdotes deferebatur, quorum est reprehendere & remittere peccata, ut sic illorum deformitas intelligeretur, & de spirituali animæ morbo fieret admonitio. Cumq; Deus nihil fecerit frustra, certè lex, quæ Levit. 13. & 14. descripta legitur, de lepra leprosorumq; statu misero & purgationis sacrificio, si à cortice ad reconditiores sensus penetramus, sanctum & magnum quid continet, sicut ipse Moses, Exod. 2. speciosissimus infans in fiscella scirpea ex luto ulvaq; deformi deprehendebatur. Et hîc tria allegoricè ponderanda videntur:

Tria hîc allegoricè ponderanda.

1. Ipsa lepra quæ est pœna peccati, Deut. 28. v. 27. Num. 12. v. 10. 2. Reg. 5. v. 27. 2. Paral. 26. v. 20. &c. & viva imago ejusdem: quia lepra erat per corruptionem sanguinis humor præternaturalis, abominabilis morbus corporis, originem trahens ex cibo & potu immodico, inter omnes morbos maximè deformis, totius corporis membra invadens. Et plaga erat tumens, litim excitans, raucedinem inducens. Leprosorum halitus fœdo odore erat molestissimus. Ipsi propter defectum virium minus idonei erant ad quoscunq; labores, & fugiebantur cane pejus & angue. Caro eorum erat putrida & mortua & lepra hominem in truncum penè inutilem convertebat. Adhæc morbus erat contagiosus, hæreditarius & medicinam humanam non admittens. Quæ singula de peccato aptissimè explicari possunt: Illud enim non ex patre sed ex mundo est, Gen. 1. Sap. 2. 1. Joh. 2. anima malum omnium quæ fingi aut cogitari possunt maximum, ex manducatione pomi prohibiti contractum, animam Dei imagine insignitam ita deformem reddens, ut fiat horrendum Dia-

boli simulachrum, Ezech. 16. totum hominem inficiens, Esa. 1. tumorem superbiæ, Syr. 10. anxiam sitim in corde & anima, Psal. 42. Luc. 16. & in precatione raucedinem producens, Esa. 59. Joh 9. Unde sepulchrum patens est guttur peccatorum, Psal. 5. sicut animantium carnes sale destitutæ ilico putrescunt & vermibus scatent. Nec ipsi placent Deo, Ebr. 11. segregati à consortio ejus & Angelorum: quia peccatis obnoxij quasi spiritualiter mortui iram Dei non sentiunt, dum assiduitate peccandi omnem spiritualem sensum amittunt. Cumq; teste Hesiodo de tribus hominum generibus, quidam per se sine doctore sapiant; quidam quamvis sapientes minimè sint, sapientum tamen consilijs obtemperent, ipsi nec per se possunt, nec per alios sapere volunt. Malum denicq; hoc contagiosum instar fermenti alios corrumpit, 1. Corinth. 5. atq; in eo concipimur. Psal. 51. Sed solus Medicus est Jesus Christus. Jerem. 30. Luc. 10. Velut arida ligna flammis admota ignem facilè concipiunt; sic in vita natura nostra proclivis est, ut minimo negocio ad malum impellatur. Unusq; homo perversus facilius multos seducit, quàm multi innocentes unum improbum à scelerato cursu revocare possunt. Nihil tam facilè discimus quàm vitia, & nihil tam difficulter dediscimus.

2. Signa quibus hac plaga infecti à sanis dignoscebantur: quoniam extra castra abigebantur, & mandato divino, Levit. 13. v. 45. vestimenta erant scissa, caput nudum, pili superioris labri operti. Clamabant se immundos esse vel campanulis id notabant ne alios eximproviso inficerent. Tales igitur se gerant peccatores, quia manifestis sceleribus polluti excommunicandi sunt; 1. Cor. 5. Tit. 3. & pœnitentes ex intimo corde confiteantur errores, nec pallio tegent delicta: quia Dominus veritatem diligit. Psal. 51. Et peccatori dixit Dominus Psalm. 50. Quare tu enarras justitias meas? Net omittatur oratio, sed campanulæ hujus sonus nubes penetret.

3. Ritus quibus à lepra mundati conversationi publicæ post factas oblationes restituebantur. Levit. 14. v. 3. Egrediens sacerdos extra

extra castra significat Jesum Christum, qui exiit à Patre Johan. 16. quem & agni immaculati designarunt. Et duo passeres alter mactatus alter vivus dimissus monuerunt de duabus in Christo naturis, sicut & hyssopus cum ligno cedrino: quid enim humilis herba procera & nobilissimæ arbori conjuncta aliud quàm divinæ & humanæ, altissimæ & humillimæ in Christo naturæ conjunctionem denotet? Coccus bis tinctus Christi significat charitatem in Deum & homines. Duæ aves simul duas præcipuas hominis partes, de quibus Gal. 5. carnem scilicet & spiritum nobis ob oculos ponunt, ut alteram videlicet carnem in sacrificium Domino mactemus hostiam viventem, Rom. 12. v. 1. acceptam Deo, Col. 1. idq; in vase fictili ad aquas vivas, quibus exprimitur corporis nostri fragilitas: quia terra & lutum sumus, & fluxa vitæ nostræ brevitas, quæ fluminis rapidi instar semper decurrit, nec vel ad momentum quiescit. Unde nostrum vivere verè est deficere, & quot ætatis annos quisq; habet, ceu scribit August. tot amisit, dum mors semper nobis adhæret, & singulis horis aliquid de vita decerpit. Altera autem scilicet spiritus de affectibus & effectibus carnis liber piæ orationis & sanctæ meditationis pennis se ad sublimia elevet, nec serpentibus aliisq; vilioribus animalculis, quæ semper terræ affixa sunt, similes terrena animo versemus; sed cantando canticum gratiarum spiritus noster exultet in Deo salutari nostro. Lotio vestium monet de lavacro regenerationis, Tit 3. Eph. 5. & sanguine Christi. 1. Joh. 1. Apoc. 7. Crines rasi de eruncandis peccatorum reliquijs. Oleum & septenaria unctio de spiritu sancto & donis ejus. Et sic de reliquis.

II. Quod Jesus Christus sit promissus Messias juxta vaticinium Esa. 35. Matth. 11. v. 5. morbos tollens incurabiles, quod & Sacerdotes credere oportuit vel certè ex miraculo sanatorum ad ipsos ablegatorum agnoscere, quod apparuisset filius Dei ad destruendum opera Satanæ, 1. Joh. 3. sicut discipuli Baptistæ, Matth. 11. magistrum ex opere cognoverunt. Quod autem unico nutu Christus lepram non unius aut alterius, sed decem virorum fugaverit evidenti indi-

cio esse potest, verbum Christi esse potens & efficacissimum successu suo semper felix. De quo nec hi leprosi offenduntur, sicut Naaman 2. Reg. 5. de lotione in Jordane: quia fides substantia est sperandarum, & argumentum non apparentium. Ebr. 12. Sic juxta verbum Christi Joh. 2. v. 7. mutatur aqua in vinum, Joh. 6. v. 10. est & superest cibus, & Joh. 4. v. 50. credit homo sermoni quem dixit ei Jesus, sanatur q. æger filius. Et nobis in Baptismo, in cœna Domini, in Articulo de resurrectione corporum nostrorum fidendum est non videndum, Joh. 20. quamdiu lepra peccati nobis inhæret, donec offeramur summo Sacerdoti.

III. Quod Jesus Christus propitius sit & promptissimus ad exaudiendum & eripiendum ipsum invocantes: Quoniam paterno corde est erga omnes afflictos, nec ullius vel coram mundo spretissimi preces contemnit; sed potius eum ad se vocat. Matth. 11. Sic h. l. & Matth. 20. morti vicinus, cum nec deessent viæ rectiores, proficiscitur per Galilæam & Samariam, utærumnosis opem suam offerat Barthimæo, Zachæo & Lazaro, hisq. leprosis, quorum morbus cum omnibus symptomatibus ipsi dudum erat notissimus, traxerat eos ex utero materno, audiverat gemitus & collegerat lachrymas eorum. Nec morbi gravitate, nec ægrotantium multitudine, nec scelerum eorum impuritate motus manum retrahit. Adhæc sponte venit à nemine rogatus, nec mercedem postulat. Quin hostes sacerdotes optat conversos, de quo ipsi in novissimo die erubescent & in æternum dolebunt. Sicut itaq. hic Sol oculis nostris objectus nunquam quiescit, nec itineris sui cursum aliquando remittit; sed incessabili motu terras & maria lustrat, omnibusq. rebus lucis & caloris beneficium impertit: Ita Christus, Mal. 4. Act. 10. quem nec alium jam existimare debemus; quia semper idem est Ebr. 13. nec anni ejus deficiunt Psalm. 102. non animum, non affectum, non miserandi officium mutavit cum in cælum ascendit. Dolendum autem est, quod piorum numerus sit ita exiguus, Psalm. 37. Sap. 3. Luc. 12. & in primo mundo vix octo, nec in quinq. regnis decem

decem justi inventi sint. Gen. 7. v. 7. Gen. 18. v. 32. Cumq; oves & columbæ vix unum vel alterum fœtum producant, corvi & serpentes cumulatim augeantur. Et quod amplissimorum beneficiorum Dei tam subitò obliviscantur homines, reddantur deteriores, ut cum Mose meritò dicamus Deut. 32. v. 6. Nunquid ita Jehovæ retribuis homo stultè & insipiens? Quamvis tota mercede non privetur hic summus Sacerdos, sed inter decimas, Exod. 22. Levit 27. Matth. 3. semper inveniantur, qui bonitatem Dei prædicent, & Evangelion promoveant. Nec dubitandum quod nobis utilissimum sit cruce premi, ne sani facti, Joh. 5. v. 14. iterum peccando ira Dei obruamur. In pratis & agris, dicebat Bernard. omnia virescunt, si interdum madefiant, si autem æstu urantur continuo fructus emarcet: sic nos lachrymis rigati fructum ferimus in patientia. Esa. 26. Luc. 8.

II.

Fructus Fidei Triplex.

I. Ut in morbis & afflictionibus tam corporis quàm animæ ad Christum confugiamus, Ose. 6. à quo pœna nobis irrogatur non quidem in perniciem nostram; sed, 1. Cor. 11. ut ad pœnitentiam vocentur moderatè corrigit lapsos, & ut à malitia liberati credant in Dominum. Sap. 12. Agnoscamus ergo delicta cum Manasse, Nebuchodon. & acolasto; Luc. 15. nec tantùm ore & lingua, sed breviter & nervosè precemur veniam. Simus patientes, nec medijs utamur prohibitis, nec infecti contagio alios inficiamus: siquidem hi leprosi non desperant, nec ferro vel aqua finem doloris quærunt, nec Satanæ ministros consulunt.

II. Ut revereamur ministerium. Matth. 10. v. 40. 1. Thessal. 5. v. 13. 1. Tim. 5. v. 17. Ebr. 13. v. 7. Si forsan indignæ nobis videntur personæ, suntq; nobis despectui propter levitatem & infidelitatem, magnifiat tamen Dei ordinatio; siquidem nec Christus sacerdotes satis improbos privare voluit honore suo. Ipse novit mala securi bene uti, quod

uti, quod exempla Bileami, Saulis inter Prophetas numerati & Caiphæ testantur. Num. 23. v. 5. 1. Sam. 10. v. 11. & 1. Sam. 19. v. 24. Joh 11. v. 50.

III. Ut semper revertentes agamus Deo gratias, quo, teste August ad Marcell. nihil potest dici brevius, nec audiri lætius, nec intelligi gratius, nec agi fructuosius. Psal. 50. Et ne turpi sese ingratitudine polluant, illis qui medicante Deo valetudinem recuperarunt insignis regula præscribitur Psal. 107. ut celebrent misericordiam Jehovæ & prædicent mirabilia ejus coram filijs hominum: siquidem eduxit eos de tenebris & umbra mortis, & vincula eorum disrupit. Sic Esa. 38. v. 10. Ezechias pius Rex cum convaluisset insigni Psalmo Deum celebravit, & hic Samaritanus civis in domo Domini, rosa inter spinas, Cantic. 1. stella in manu Christi, Apocalyp. 1. non residet super cadaver sanati corporis, ceu corvus Noachi, nec sponsum dato munusculo posthabet; sed magis diligit medicum quàm sanitatem restitutam, quod nos maximè imitari oportet, ne ventus ingratitudinis exsiccet fontem & fluenta misericordiæ divinæ. Bernard. Sed gratiarum actio sit ad plus dandum invitatio. Chrysost. Duo sunt in Deo maximè admiranda; scilicet summa largitas in beneficijs conferendis, & summa severitas in gratijs exigendis. Nec pro immenso optatissimæ salutis beneficio quid præter solam gratiarum actionem à leprosis exigit Christus, cum non sit census super censum salutis. Syr. 30. Et cum pro nobis vincula, alapas atq; acerbissimũ crucis supplicium tulerit solas gratias requirit.

Gratias agere docent,

1. Jus naturæ: quia etiam Gentes ingratitudinem dixerunt matrem omnium vitiorum, & deprehensa est gratitudo in leonibus, canibus, aquilis & serpentibus.

2. Mandatum Dei, Psal. 50. 116. Eph. 5. 1. Thess. 5. cui adjuncta sunt promissiones & comminationes; pro verbo Dei, Amos. 8. pro frumento, Mal. 1. & 3. pro victu & amictu. Ose. 2. Prov. 17. Syr. 12.

3. Exempla Patriarcharum, Gen. 32. Prophetarũ, Christi, Matth. 11. Marc. 7. Luc. 10. Joh. 6. & Apostolorum.

1. Ora-

Declaranda est gratitudo,

1. Oratione & confessione, ne dona Dei extenuemus aut silentio prætereamus: quia nec ne pomum quidem vel spiram producere possumus, & reliquis ablatis id quod in mundum attulimus exiguum est. 1. Tim. 6.

2. Beneficentiâ erga ministerium, propter quod adhuc ut impleatur numerus Electorum manet mundus & fruimur pace.

3. Obedientiâ erga Deum, patientia in cruce & finali constantia. Nec quod bene cœpimus, ceu Cham uxorq; Lothi, & Saul, 1. Samuel. 31. & Judas, Matth. 27. turpiter deseramus.

III.

Triumphus Fidei Triplex.

I. Quod, cum hic mundus sit merum Nosocomium, in quo variis morbis conficiuntur excruciati miseri mortales, & anxiè liberationem velut in Bethesda Joh. 5. expectant, certè per ignem novissima lucis à veneno tam lurido & contagioso repurgabimur: Expectamus enim cælum novum & terram novam, 2. Pet. 3. in qua habitabit justitia. Ideoq; vita æterna passim Terra & Regio viventium appellatur, in qua se gavisurum David, Psal. 27. & 116. sperat & optat. Nosq; coram æterno Sacerdote nostro illi exhibiti planè mundi erimus & longè purissimi. Hinc Bernard. Meditat. de votis cap. 16. Nulla ibi erit ægritudo, nulla omninò necessitas, non erit ibi fames, non sitis, non frigus, non æstus, non peccandi voluntas, nec delinquendi facultas: sed totum lætitia, totum exultatio possidet. Homines quoq; Angelis sociati sine ulla carnis infirmitate in perpetuum manebunt. Ibi erit jucunditas infinita, beatitudo sempiterna, in qua qui semel suscipitur, semper tenetur.

II. Quod cum hic plurimi deficiant, nos tamen inter decimas, Exod. 22. Levit. 27. Mal. 3. quas sibi summus Sacerdos in æternum retinuit, jubente Christo surgemus, & perpetuam salutem quam hic fide apprehendimus consequemur, ut sub pergula arboris Vitæ, quæ

hîc à populo prætereunte saxis petitur, in perpetuum securissimi habitemus. Apocal. 21.

III. Quod, cum hîc omnia sint ingrata, & nihil feciſſe benignè, dum miseros mortales maximorum beneficiorum Christi subitò rapit oblivio, quando ad vocem Domini, Psal. 90. v. 3. revertemur, altissima voce & jubilo perpetuo cantabimus Deo gratias, Esa. 6. debitamq; Christo verè dabimus, quæ ipsi hîc detrahitur, gloriam, & manifestissimè videbimus quod Fides nostra nos salvos fecit. Si homo diuturna ægritudine confectus, scabie vel lepra impurus ope medici sanitatem recuperat, nec à morbi refluxu, nec à morte liber, gratias maximas meritò agit & pro viribus refert: meritissimas sanè Christo medico ab omni imbecillitate erepti in æterna incolumitate agemus gratias.

Dominica XV. Post Trinitatis.

DE VITANDA SOLLICITUDINE.

Evangelium Mat 6. à v. 24. usq; ad fin. cap.

PRÆFATIO SUPPLEX.

NE labor noster vanus sit in Domino, sed verbum Dei efficaciter in nobis operetur, ut profligato Mammonæ & avaritiæ Idolo inserviamus Deo viventi, quæramusq; regnum & justitiam ejus pro salute animæ nostræ, sic ut & corporalia adjiciantur nobis, per tabellarium precum piarum invocabimus auxilium Spiritus Sancti. O sancte Deus promove nos in negocio salutis, & incende pectora nostra propter Jesum Christum. Pater noster, &c.

Exor-

Exordium Propheticum.

ESa. 51. v. 12: Ego, ego sum consolator vester. Esa. 61. v. 1. Spiritus Domini supra me, eò quod unxerit Jehovah me, & miserit me, ut consolarer omnes lugentes. Id non tantùm insignibus Christus præstitit miraculis, dum mœrentibus parentibus excitatos liberos, Matth. 9. Luc. 7. ægrosq; sanavit, Marc. 9. Joh. 4. leprosos mundavit, obsessos liberavit, paralyticis, surdis, cæcis & mutis vires integras restituit; Luc. 7. verùm etiam hoc loco gravissimis argumentis & verborum ponderibus consolatur inopes, victus & amictus difficultate & angustia pressos. Esa. 9. v. 6. inter alia nomina, quibus Propheta eximiam Salvatoris nostri gloriam & dignitatem explicare voluit, Consiliarij nomen singulari ratione prædicatur, quod in adventu suo saluberrima consilia hominibus esset daturus, qualia multa Matth. 5. 6. 7. enarrantur, & in hoc Evangelio mirabile nobis præbet consilium, ut quæramus regnum Dei & sic quidvis assequamur. Oblivio autem hujus sententiæ & consilij hujus contemtus omnium malorum quæ in hoc mundo grassantur causa extat.

BREVIS SUMMA ET DISPOSITIO METRICA.

DOminis duobus neutiquam
Fideliter quis serviet.
Nec deditus pecuniæ
Verè Deum venerabitur.
Sit cura diffidentiæ
Procul: Creator ac pater
Aves fovens & lilia
Novit, dabitq; congrua.
Primò Dei si quærimus
Regnum, adijcientur cætera,
Nostri nec erit Deus immemor
Cum venerit lux crastina.

TRIA SOLLICITE TRACTARE MONET HIC TEXTUS.

I.

Quid credendum sit ne erremus.

I. Quod nemo possit duobus simul servire dominis; quia impossibile est, ut quis opibus hujus seculi sit deditus & simul Deum verè colat: siquidem mundi amicitia inimicitia est coram Deo, Jacob. 4. & stratum hoc angustum nimis, Esa. 28. duos non capit. Duo diversi affectus non possunt esse simul in eodem subjecto, ignis ab aqua extinguitur. Fœmina non potest simul esse honesta & impudica. Judas non est simul bonus Apostolus & proditor perfidus. Stante uno cadit alterum, qui Deo servit Mammonæ non est addictus. Nec ulla est communio luci cum tenebris, nec concordia Christo cum Belial. 2. Cor. 6. v. 14. 15. Hoc si homines crederent, non adeò multi rebus mundanis impliciti, sub prætextu parsimoniæ sibi persuaderent se posse utrumq; præstare, Deo servire & Mammonæ, nec ruerent ad inferna. Dixit autem hoc os veritatis Christus, & causa triplex est:

1. Natura Dei: quia fortis est zelotes, Exod. 20. cor nostrum postulans, vultq; sicut sponsus à sponsa sua solus honorari, & succidit omnes fornicantes à se. Psal. 73. v. 27. Omnes evomit tepidos, qui neq; frigidi sunt neq; fervidi. Apoc. 3. v. 16. Nec recipit neutrales, qualis fuisse legitur Rodvaldus Rex Angliæ Deo ac Satanæ immolans. Corruit Dagon coram arca. 1. Sam. 5. v. 3. Non claudicandum est in duas cogitationes, 1. Reg. 18. v. 21. sed eundum post Jehovam vel Baal.

2. Natura nostra: sunt enim pectora nostra duas non admittentia curas, & si duobus dominis dissimilibus inserviendum est, certè alterutrum odio habemus. Si opes & divitiæ in Evangelio non reperiuntur, flagellatur annona, & inopiæ pertæsi à Deo deficiunt avari. Luc. 8. Unius rei tantùm capax est cor humanum, sicut annulus uni-

uni tantùm digito non pluribus applicari potest, nisi à priori extrahatur; sic cor terræ astrictum Deum inflammato studio non veneratur.

3. Natura Mammonæ, quæ è directo cum Deo ejusq; voluntate & lege pugnat, semperq; contrarium urget: Fieri itaq;, teste Chrysost. Homil. 6. ad Phil. non potest, ut quis sit pecuniæ mancipium, & Deo fideliter inserviat. Christus dicit, da pauperibus, Mammonas autem eripe, inquit, vides repugnantiam, vides bellum, quod hoc loco ordine demonstrari potest in singulis præceptis, quod plurimi homines huic Idolo inserviant & confidant, illud diligant, nocte dieq; defendant, terra mariq; quærant, etiam apud Satanam & membra ejus, templis & pastoribus detrahant, pueros malè educent, hi quoq; parentes fame torqueant, animas divendant, corpora prostituant, opes dolo malo quærant, & pessimi utiq; fures mentiantur atq; pejerent. Sic videtur repugnantia.

II. Quod Jehovah sciat, velitq; pater, & quidem cœlestis possit dare nobis illa quibus indigemus: quia nec voluntas nec potestas deficiunt. Psal. 103. Augeat ergo fiduciam nostram Primò *infinita æterni Patris Sapientia, qua omnia scrutatur, & novit dies justorum. Psal. 37. Ipsi haud ignotum est an soli simus, an verò sit conjunx & familia, & liberi ab ipso dati; Psal. 127. Novit ipse, quid, quantum & quamdiu esuri simus. Lanam, linum & sericum quibus vestimur, panem, carnem & pisces quibus nutrimur dudum prævidit, & mirabiliter procurat, ligna quoq; antequam de terra procrescerent. Ipse novit nos vivere non posse absq; cibo & vestibus, aliisq; vitæ necessariis, nec posse nutriri hominem fœno vel stramine, aut nudum post lapsum incedere. Hinc immensa Dei est providentia, qua primò generaliter omnibus creaturis alimenta largitur: Psal. 104. quoniam in ipso omnia sunt & moventur, Actor. 17. nec passerculus sine hac providentia in terram cadit. Matth. 10. Imò totum annum bonitate sua coronat. Psal. 65. Deinde peculiariter sollicitus est pro Filii sui fratribus & sororibus, 1. Pet. 5. paternè ipsis*

prospicit, 1. Timoth. 6. ab utero eos fovet, Gen. 48. datq; dimensum, Proverb. 30 pastor noster, Psal. 23. Joh. 10. epitulator omnium, maximè autem fidelium, quos pane cœlesti recreat, Joh. 6. ornatq; veste nuptiali, Matth. 22. justitiæ Christi, Gal. 3. ut per fidem habeant omnia, 2. Cor. 6. & veluti rosæ floreant inter spinas. Cant. 2.

Secundò *det fidei nostræ incrementum immensa Dei Bonitas, Amor & Misericordia, quod ipse sit Pater noster polystorgos, Psalm. 103. Esa. 49. in cujus manibus scripti sumus, Matth. 7. filij patris fidelissimi, qui nos ad vitam æternam prædestinavit, & Filij Unigeniti morte redemit, Angelisq; de nobis mandavit, Psal. 91. certè cum filio omnia daturus. Quid vanùs me torqueam curis? cum pueri mei quibus me similem esse oportet, Matth. 18. parùm sint solliciti, placidè dormiant, mihi confidant, victum & vestes, nec lapidem pro pisce à me exspectent? Matth. 7.*

Tertiò *doceat fiduciam in Deum collocare cœlestis Patris Omnipotentia, quod sicut cum affectu paterno novit atq; vult, sic &, quia cœlestis est, possit, videlicet qui capillos nostros numeravit, Matth. 10. & lachrymas, Psal. 57. & dies nostros, Psal. 139. & menses, Job. 14. & gressus, Jer. 10. Prov. 5. & motum cordis nostri, Actor. 17. & paroxysmos, Job. 5. & labores, Exod. 20. & panem & pisces, Marc. 8. Joh. 21. & auditores verbi sui in hoc & alijs conventibus. Joh. 6. Probatum hoc est: 1. Quia Deus absq; sollicitudine nostra dedit nobis corpus & vitam victui & vestibus longè præferendam, dabit ergo etiam minora quæ corpori & animæ inserviant, nec Microcosmon negliget. Consideremus quæso originem & successum vitæ nostræ, quid ante annos 50. vel 100. fuerimus, quomodo concepti simus in utero materno, Job. 10. v. 10. 11. 12. & præparatus fuerit victus cum storgis ex corde materno. Unde singula membra nobis sustentationem spondent, sicut & ipse Filius Dei eductione ex utero materno se confirmat Psalm. 22. v. 10. & Job. 10. cap. & David Psal. 139. v. 13. 2. Quia Deus escam dedit bobus & ovibus, & volatilibus cœli indè ab initio, quorum quidem creator est cum sit Pater noster. Quis*

apum

apum industriam, formicarum prudentiam, & aranearum telas ac venationes non miretur? Aves cautè nidos struunt & pullos excludunt, diversis cibis pascuntur, pascuntur volatilia fera, etiam inutilia; & quidem corvi Luc. 12. de quibus Job. 39. & Psal. 147. quorum pulli à parentibus deserti, teste Basilio, vermibus ex fimo & cum pluvia descendentibus & rore cæli ad nonum usq; diem recreantur. Pascuntur quoq; tempore brumali, & instante aëris intemperie sese saginando ad famem sustinendam præparant. Multa in puteis & profundis aquarum per hyemem delitescentes vitam retinent. Nec quis unquam vidit aviculam aratro vel falce uti, ~~imò clausis horreis nostris à cibo abiguntur, & nihilominus redeunte vere cantillant, lætantur in Domino manè ac vesperi~~, certum tempus observant, Jer. 8. prædam distribuunt, evolando cibum quærunt, nec vestigia relinquunt in aëre. Sap. 5. Meritò ergo nobis dominis suis, Gen. 1. v. 28. quod domino Deo nostro minus quàm ipsæ confidamus, præceptores constituuntur. 3. Quia Deus sylvas, arbusta, agros, prata, flores & lilia per hyemis inclementiam enudata & flaccescentia redeunte vere vestibus ornat, odore, colore, sapore decorat, ut totus Salomonis ornatus cum ijs comparari nequeat. Nec præterit Deus insalubres, inutiles, steriles atq; venenatos frutices, urticas & lappas, cum nec fila ducant nec acu pingant, nec ulla comparatio sit fœni vel floris ad hominem ratione præditum, & Christi sanguine redemtum, qui licèt falce mortis resecetur, resurget tamen, vivetq; in æternū. Ne præteream quod homo in se contineat omnium rerum inferiorum perfectiones: siquidem esse habet cum Elementis, vivere & vegetari cum plantis, sentire cum animalibus, hinc vivit & nutritur ab elementis, crescit & gignit, visum habet auditumq;, olfactum, gustum & tactum ceu animalia, & hæc inferiora omnia ad hominem tanquam ad dignius singula contendunt, ut ejus naturam conservent, ipsiq; victum & amictum suppeditare certant plantæ atq; arbores, quibus saginantur oves, vaccæ & majales, nobisq; vellera, lanam, lac, butyrum, caseos, coria, lardum, adipem & reliqua

reliqua necessaria suppeditant. Nec tantùm oblectant flores oculos & nares nostras, sed modicam fidem nostram arguunt; quia crescunt de rore cæli & calore Solis, & serviunt nobis, & docent Deum posse ac velle nos vestire, & præsentem monstrat quælibet herba Deum, & monet nos de fragilitate nostra, Esa. 40. Job. 14. Syr. 14. & spem confirmat resurrectionis. Esa. 26. Ergo

Qui volucres pascit, Pater, & qui lilia vestit,
Membra animamq; dedit, cætera cuncta dabit.

III. Quod si pulsantes, Luc. 11. quæsiverimus Regnum Dei & justitiam ejus, morte ac merito Christi partam, Rom. 4. 10. 1. Cor. 1. in hoc totis viribus incumbentes, ut cum Deo reconciliati liberemur à peccatis, piè moriamur, per fidem in Christum salvemur, & puram doctrinam tradamus posteris, & cum David primùm eamus in domum Domini, Psal. 122. certè quæsita obtinebimus. Et cætera finita facilimè adjiciet Dominus nobis amicis suis, Psal. 127. Prov. 10. timentibus nomen ejus. Psal. 36. & 37: Nam perfacile est in oculis Domini subitò locupletare pauperem, Syr. 11. v. 23. dum aperit manum suam, ut cælum & terra nobis benefaciant, nec desint vitæ hujus necessaria. Quod eodem modo promissum est per Prophetas Levit. 26. Deut. 28. Esa. 1. & 30. Ose. 1. & Mal. 3. Nec de hoc, quandoquidem divina id testantur eloquia, ullo modo dubitandum est. Si credimus ex verbo Dei mirabile Trinitatis mysterium, si credimus Filium Dei pro nobis acerbissimum pertulisse mortis supplicium: Quid de illis dubitamus quæ etiam brutis dantur animalculis? Psalm. 147.

II.

Quid faciendum sit ut elucescat lux Fidei.

I. Ut insatiabilem omni studio fugiamus avaritiam, alias q; stultas & noxias curas, turpem Judæ laqueum, 1. Tim. 6. omnis mali radicem, flectentes cor ad testimonia Domini, Psal. 119. & simus dimenso contenti, Prov. 30. atq; si res nostræ nobis non sufficiunt, nos sufficiamus illis, Seneca. Avaritia enim abominabile peccatum est,

quo

quo excutitur Spiritus sanctus, dicitur q. ab Apostolo Paulo Idololatria, Eph. 5. ab Augustino noverca justitiæ & nutrix Gehennæ, & appositissimo nomine dicta fuit à Græcis vitiorum Metropolis. Nec est unicum, solum & simplex peccatum, sed ex omnibus alijs conflatum, qualia sunt 1. Incredulitas, qua homo semper metuit inediam, ac si cælum ruat, Deus moriatur, & post centum annos esuriendum sit. Multiq. quos in juventute inopes mirabiliter Deus sustentavit, jam opulenti trepidant, & vix brevi spacio se victu potituros confidunt. 2. Insatiabilitas omnia mundi bona appetens, Prov. 27. qua sola homine senescente augetur, cum à reliquis vitijs tum propter annos, tum propter pudorem abstineat, hanc autem scabiem senilem haud excutiunt, nec ejus turpitudinem agnoscunt. Plutarch. Si quis multum ederit, multumq. biberit, nec unquam expleatur, adit medicos & percontatur quid sit morbi, & qua ratione affectio possit levari. At si quis multam coëmat supellectilem, multumq. coacervet pecuniæ & agrorum, nec tamen expleatur, verùm in alia inhians vigilet, nullisq. omninò rebus saturari possit, an nõ hic existimabit sibi opus esse à quo curetur? Est autem morbi hujus causa non penuria, sed insatiabilitas, atq. divitiarum amor à pravo judicio proficiscens. Menander: Pecuniarum inopiam vel unus amicus bene merens tollere potest; at animi penuriam universi explere nequeunt neq. viventes, neq. vita functi. Solon: Haud est finis opum fixus mortalibus ullus. 3. Injustitia conscientiam pedibus conculcans, & cum Juda se furti ac proditionis astringens. 4. Immisericordia, qua nec soboli, nec fratribus, nec templo, nec defunctis parcit. Nota est historia de Cyro & Semiramide, quin & Herodes pecuniam quæsivit in sepulchro Davidis. 5. Mendacium. Lactant. Voluptas mentiendi eorum est, qui lucra appetunt. 6. Desperatio. Baldus avaros fœneratores assimilat vermiculo ligna rodenti, leni quidem tactu, sed duris dentibus & multos generanti. Syrac. cap. 31. scribit, nihil esse scelestius avaro, quod offerat pecuniæ ut Deo suo. Triplici deniq. damno cultores hujus Idoli afficiuntur & obruuntur:

Primò. *Spirituali & æterno animam concernente: quia Christianos baptizatos convertit in cæcos & malesanos Satanæ captivos, stultos, Ethnicos & Epicureos, qui majoris faciunt ventrem & hoc tempus fluidum, quàm animam & patriam cælestem. Et sic propter fragmenta temporalia sibi æternam famem & sitim contrahunt, Deumq; bonitatis fontem amittunt propter opes & thesauros, quos tinea & erosio corrumpunt, furesq; perfodiunt & furantur. Mat. 6. v. 19. Dum Idolum Mammonæ vitæ & auxilij expers, quod neq; sibi neq; alijs à quibus colitur opem ferre potest, venerantur. Mammona neq; ulcus neq; pustulam, non dentium, capitis aut cordis dolores appositus lenit, non mortem, non Satanam fugat. Syr. 11. v. 18. 19. 20. Nec cultor ejus attendit, quod tempus adsit quo morietur, bona alienis sua relicturus. Aspice Pharaonem, Nabal. Antiochum. 2. Mac. 9. Herodem quoq; corona & Gazæ non defendunt à pediculis, nec cultori suo, Luc. 12. impotens hoc Idolum vitam prorogat; nec epuloni guttulam frigidæ, Luc. 16. procurat. Quid regibus & principibus tandem thesauri & divitiæ? quid totus mundus Matth. 15.? nil prodest in morte & coram judice. Zoph. 1. 1. Tim. 6. Sed ais: liberis corradunt. Vah quid malè quæsita? Quis velit propter liberos salute æterna privari? & ab ijs in Gehenna accusari? Quid homo solus, Eccles. 4. carens sobole & fratribus, qui divitijs non satiatur? cui laborat & animæ suæ facit detrimentum? Psal. 49. v. 11.*

Secundò. *Temporali & corpus obruente, ut curis onusti nunquam lætentur nec placidè dormiant, sed avaris hæc vita sit inferni præludium: dum nec suaviter vivendo, nec lautè comedendo, & hilariter bibendo fruuntur bonis suis; sed sordido victu & amictu ceu Tantalus aquas in aquis quærunt, & semper egent. Syr. 14. v. 3. Virum sordidum divitiæ non decent, & quorsum pecuniæ homini invido? qui comparsit suum defraudans ingenium, & Genium. Sic cura quietem adimit, Syr. 30. & cultus Mammonæ adfert dolores, 1. Tim. 6. semperq; hæc bona sunt incertissima. Cumq; alia scelera titillando hominem oblectent, ut ebrietas, scortatio, vindicta, &c.*

sola-

sola avaritia hominem crudeliter affligit, ut verè de servis Mammonæ dicatur: Quærunt cum labore, possident cum timore, & amittunt cum dolore.

Tertiò. *Quod priventur avari potentia membrorum, reddanturq; surdi, claudi & caci, ut rigescente corde non delectentur Evangelio, nec audiant gemitum pauperum, nec properent ad templum, nec respiciant Dei opera, nec vitæ finem. Possent quidem homines possidere Mammonã, & thesauris legitimè partis rectè uti, nec prohibuit Deus studium præparandi necessaria, Prov. 6. sed prohibet fiduciam in pecuniam collocari; sic enim lucrum in cista damnum est in conscientia, nec census, juxta Gregor. sed affectus est in crimine, quod multi viri sancti fuerint opulenti. Nec possessionem sed cultum, non dominium sed servitutem Christus prohibet, ne simus mancipia sed domini opum, & ubi postulat Deus atq; necessitas hilariter erogemus; nec cor adhæreat opibus, Psal. 62. nec dicatur auro: Tu meum es asylum. Job. 31. v. 24.*

II. *Ut sollicitè tractemus opera vocationis nostræ spiritualia, sic tamen ut profligamus sollicitudinem diffidentiæ. Nec inquit Christus nolite laborare: siquidem hoc est mandatum divinum, Gen. 3. v. 19. ut oriente Sole exeat homo ad labores, Job. 5. Psal. 104. ne ceu ferrum absq; usu ferruginem & aqua immota fœtorem, sic otiosus morbos contrahat; sed prohibemur esse soliciti more Gentium, quibus misericordia Dei & carnis resurrectio ignota est, quod non tantùm indecorum homini Christiano; sed & inutile foret: quia nihil efficiet homo ope divina destitutus, & totus mundus neq; vi neq; prudentia spicam unicam, vel pomum, vel volucrem producit. David ergo pusillus Saulis aut Goliathi staturam non appetÿt. Absq; sollicitudine nostra, non absq; labore dat nobis Deus necessaria, labori autem ipse solus benedicit, indè ut dona Dei bene dispensentur nos oportet esse sollicitos. Rom. 12. 2. Cor. 11. Phil. 2. 1. Tim. 5. Jer. 48. 1. Corinth. 4.*

Cura legitima triplex: 1. Animæ, ut fugiamus doctrinam erroneam,

roneam, agamus in timore Domini, Prov. 28. ne contumaciter incidamus in adversa. Hieron. Memento peccati ut doleas, mortis ut desinas, justitiæ ut timeas, misericordiæ ut non desperes. Oremusq; cum Bileamo Num. 23. ut moriatur anima nostra morte justorum. Psal. 68. Fac Deus in nobis quod facis esse ratum. 2. Ecclesiæ ut verbum Dei maneat incontaminatum, rogemusq; quæ sunt ad pacem Hierusalem, Psal. 122. ut avertantur clades Josepb. Am. 6. Sic Theodosius, teste Ambrosio, magis angebatur de Ecclesiæ quàm de propria salute. Et hic auditores fideliter contribuendo faciant quod sui est officij. 3. Officij & vocationis, ut pastores sint vigilantes, Ezech. 33. Jer. 48. Actor. 20. Ebr. 13. & principes sint scuta terræ Psal. 47.

Principis est virtus optima nosse Deum,
Principis est virtus proxima nosse suos.

Sic patresfamilias, 1. Tim. 5. utantur arte ac labore. Cura autem, diffidentiæ abominabilis est coram Deo, quod passim docent historiæ: Num. 13. & 14. ubi populus deterritus nuncijs exploratorum de urbibus muris cinctis & filijs Enach terrã promissam expugnari posse diffisus Domini furorem super se concitavit, & mortuus est in solitudine. 2. Paral. 16. v. 7. 8. historia Asæ. Esdras autem 3. Esd. 8. cum transferendus esset populus à captivitate Babylonica in patrias sedes piè dixit: Erubui auxilium petere à Rege Persarum, quia dixeramus Regi: Manus Domini nostri super omnes qui quærunt eum in bonitate.

III. Ut inprimis & ante omnia quæramus Regnum Dei & justitiam ejus, non in foro aut convivijs, sed in templo, ut Fides sit ex auditu, Rom. 10. eaq; confirmetur Sacramentis, & sic induamus tunicam salutis. Idq; per omnia impedimenta & obstacula, ne mundus, caro nostra & Satan nos remorentur; sed quæramus Dominum dum inveniri potest, Esa. 55. tempus redimentes. Eph. 5. Nec prætendamus hoc vel illud negocij, nec differamus in commodius tempus, Psal. 95. Ebr. 4. nec moveat nos aliorum negligentia: quoniam justus ex fide sua vivet, Abac. 2. Gal. 6. & onus suum quisq; portabit.

Singu-

Singulis objectis politicis atq; domesticis auream hanc sententiam opponamus, nec dicentes, post nummos pietas, hanc Salvatoris regulam invertamus, sicut Malach. 3. Judæi de Babylone reversi fecisse leguntur; dum neglecto templo suas splendidè domus extruxerunt. Sed in lege Domini sit meditatio nostra, & lux crastina consilio non carebit. Fortè plus apparavimus quàm consumemus. Multi jam implerunt horrea sua, sed non omnes assequentur tempus de quo fuerunt solliciti. Si crastina lux molestiam secum trahet, & misericordia Dei cras innovabitur. Thren. 3. Dixit ergo Abraham Gen. 22. quod & Imperatoris Ferdinandi fuit proverbium: Dominus providebit. Tu præsens cura Domino committe futura. Cypr. Nihil debemus Christo præponere: quia ipse nihil nobis præposuit.

III.

Quid exspectandum sit in die novissimo & in vita æterna.

I. Quod in extremo die ut ros olerum erit ros Jehovæ & terra proïciet mortuos. Esa. 26. v. 19. Hinc arborum rami qui succi & pinguedinis pleni protuberant splendida sunt: in vere resurrectionis imago; atq; ceu lilia & flores de seminibus siccis corpora nostra revirescent & revivisscent. Tunc propter amissum Mammonam spiritus angore pressi ingemiscent servi ejus, jam perpetuò inopes. Sap. 5. v. 8. Divitiæ cũ jactantia quid nobis contulerũt? Nos autem propter partos in Christo & in cælo reconditos thesauros, quos neq; ærugo neq; tinea corrũpit, nec fures rapient, in vita cælesti indesinenter lætabimur. Bernard. in Meditat. cap. 3. Ubi sunt amatores mundi? comederunt, biberunt, riserunt, duxerunt in bonis dies suos, & in punctο ad inferna descenderunt. August. in Epist. Divitiæ si diliguntur ibi servantur ubi perire non possunt. Honor si diligitur, illic habeatur ubi nemo indignus honoratur. Salus si diligitur, ibi adipiscenda desideretur, ubi adepta nihil timetur. Vita si diligitur ibi acquiratur, ubi nulla morte finitur. Idem de verbis Domini. Serm. 13. Divitiæ

corporales paupertate plenæ sunt, & semper obnoxiæ casibus: Quales enim divitiæ sunt propter quas latronem times, propter quas times servum tuum, ne te occiso auferat & fugiat. Si veræ divitiæ essent securitatem tibi præstarent. Illæ ergo veræ sunt divitiæ, quas cum habemus perdere non possumus.

II. Quod potiemur regno Dei, & justitiâ ejus coram judice æterno acceptabili, manebimusq; in domo Domini, Psal. 23 non amplius hospites & incolæ, Eph. 2. sed convivæ sanctorum & domestici Dei. Si hic Salomon in universa sua gloria ita amictus non fuit, sicut flores campi & lilia; Matth. 6. v. 29. nulla certè est comparatio gloriæ universæ hujus mundi cum gloria & amictu Beatorum. Nec ulla collatio gaudiorum hujus mundi cum regno Dei, quamvis hæc nobis in hac miseria partim sint occulta: quia sicut Regis filius infascijs & cunis non intelligit suas divitias, antequam satellitibus stipatus sceptro potitur, & corona: sic nos hic non percipimus immensam cælestis gloriæ amplitudinem.

III. Quod in vita æterna à curarum pelago erepti non amplius gemendo inquiremus: quid edemus, quid bibemus, aut quibus operiemur? Superabimus enim divitias opulentissimi Salomonis, 1. Regum. 10. coràm habentes Deum creatorem auri & argenti & rerum omnium. Et sicut Manna ad ingressum terræ Sanctæ cessabat, ubi populus terræ promissæ fructibus vescebatur: Sic in fine mundi & peregrinationis nostræ ubi in terram Sanctam fuerimus inducti, non pascet nos ultra Deus cibo & potu, nec Christus carne & sanguine suo; sed tradet Deo Patri regnum, 1. Corinth. 15. ut sit Deus omnia in omnibus. Regnum illud Dei non est esca & potus, Romanor. 14. v. 17. sed justitia & pax & gaudium per Spiritum sanctum. Augustin. Deus erit cibus noster. Solus ille cibus reficit non deficit.

Domi-

Dominica XVI. Post Trinitatis.

DE FILIO VIDUÆ RESUSCITATO IN NAIN.

Evangelium Luc. 7. à v. 11. usq; ad v. 18.

PRÆFATIO SUPPLEX.

CUm mors stipendium peccati, Rom. 6. passim in ollis corporum nostrorũ delitescat, & statutum sit præ singulis semel mori, Ebr. 9. ac postea judicari, ne incidamus in mortem secundam, contra quam solum verbum Dei vivum & efficax est remedium, Joh. 8. quod hoc loco & tempore tractaturi sumus, orandus Deus est, ut nos imbutos Spiritu sancto dirigat, laboriq; nostro benedicat in gloriam nominis sui, & confirmationem fidei nostræ, quò piam & honestam transigamus vitam, pieq; absoluto curriculo nostro post beatum obitum gloriosam expectemus resurrectionem, in nomine Jesu. Pater noster, &c.

Exordium ex Propheta.

PSal. 72. v. 12. *prædicatur de Messia quod eruet pauperem clamantem, & afflictum cui non est auxiliator, miserebitur pauperis & inopis, & animas pauperum servabit. Psal. 9. v. 14. quod exaltet de portis mortis. Quare David se ipsi confidenter commendat Psal. 31. v. 6. inquiens: In manum tuam commendo spiritum meum, redemisti me Jehovah Deus veritatis, sic Fidei oculis Christum prævidit, nec defuit eventus in novo Testamento, ubi apparuit Christus: 1. Joh. 3. quia velut hoc docet Evangelium viduam lugentem consolatus est, dum filium ejus de portis mortis revocavit; & verus summus Sacerdos, Dominus mortis, Dux vitæ, quod maxi-*

maximo sacerdoti, Levit. 21. v. 11. interdictum fuit, ad defunctum accessit.

BREVIS SUMMA ET DISPOSITIO METRICA.

Dum Christus intrat mœnia,
Effertur ecce mortuus,
Materq; plorat anxia,
Vidua ipsa, gnatus unicus.
Ex corde Christus condolet,
Loculum simul tangit manu,
Juvenem vocat, qui se erigit,
Matriq; vivus redditur.
Mirantur omnes intimè,
Christum Prophetam prædicant,
Se visitatos jubilant,
Hæc fama latè spargitur.

TRIA SECUNDÆ MORTIS METUM ABIGENTIA EX HOC TEXTU.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. Quod stipendium peccati mors sit, Gen. 2. v. 17. Gen. 3. v. 19. Rom. 6. Sap. 1. v. 13. quæ invidiâ Satanæ introivit in mundum, Sap. 2. v. 24. dum peccatum duxit initium à muliere, & per eandem omnes morimur. Syr. 25. v. 33. Hinc vita hominis militia est super terram, Job. 7. & sicut dies mercenarij, grave pondus posteris Adæ, Syr. 40. v. 1. in qua optimum est labor & dolor. Psal. 90. Et tandem avara mors omnibus manum injicit, nec veretur regum turres.

Omnes majores mors occupat atq; minores
Et nil de magnis supereſt nisi parva favilla.

Hoc idem ex ore Dei sibi dictatum confirmat Esaias cap. 40. v. 6. 7. 8. Omnis caro est fœnum, & vigor ejus ceu flos campi: fœnum aresçit, flos

flos marcescit. Cui si mortales se ipsos agnoscendo fidem haberet, certè fugerent peccatum tanquam latronem, qui parentes nostros interfecit nullo modo nos prætericturus: quoniã omnia subjecit Deus sub pedes ejus. 1. Cor. 15. v. 27. Quare etiam multi Imperatores atq; Reges potentissimi memoriã mortis sibi ob oculos posuerunt, inter quos Philippus Macedo, Ferdinandus & Maximilianus primus, &c. Et Isidorus lib. de memoria mortis annotavit, olim Constãtinopoli in electione novi Imperatoris usu receptum fuisse, ut sedenti in solio majestatis apportaretur diversi generis & coloris marmor, interrogaretuŕq; quo de genere potius optaret sibi monimentum condi, ut sic mortalitatis recordaretur, cujus memoriam antiqui Indorum & Ægyptiorum reges apposita pro bellarijs terra nigra, & depicta mortis imagine recoluerunt. Mors adhæc ubiq; habet imperium per orbem universum, & Romæ dicebat Hormisdas Constantino Imperatori, teste Amm. Marcell. lib. 16. Nec pijs parcit, Eccl. 9. v. 2. nec juvenibus, 2. Reg. 4. sic ut patres haud rarò filiorum hæredes existant, &, ceu Hieron. ad Heliodor. de nepotis morte immatura scripsit, quod juvenes exhibere senibus debuissent, hoc juvenibus exhibent senes; nec funus deducentibus. Atq; dum vivitur, per suos prodromos & præcursores ita nos affligit, ut diu vivere aliud non sit quàm diu torqueri, August. potius q; dissolvi, Phil. 1. quàm ægram diutius vitam trahere exoptemus. 1. Reg. 19. v. 4.

Comminationes mortis triplices, quibus excutienda nostra oscitantia & securitas. 1. Quod non faciat nobis post obitum copiam redeundi in hunc mundum, & emendandi vitam atq; mortis genus, ut amissa possent recuperari: quia statutum est pro omnibus semel mori, & indè judicium. Ebr. 9. Prov. 11. v. 7. Si ceciderit arbor ad austrum vel ad aquilonem, in locum in quem ceciderit ibi erit. Eccles. 11. v. 3. Aliàs de arbore spes, Job. 14. v. 7. & 10. si præcisa fuerit quod adhuc pullulabit, & propago ejus non desinet. Dan. 4. v. 12. Sed qualis finis hominis tale judicium. 2. Quod penetret ad omnes homines, nullo unquam excepto, nisi Enoh & Elia,

qui in momento mutati sunt, quod & de ijs qui reliqui erunt in adventu Domini scriptum est 1. Cor. 15. v. 51. 1. Thes. 4. v. 16. Quis vir vivet & non videbit mortem? Psal. 89. v. 49. Transivere patres, Gen. 5. simul hinc transibimus omnes. Rom. 5. v. 12. 3. Quod nesciat homo tempus, Eccl. 9. v. 12. nec locum, nes genus mortis suæ. Seneca Epistola 26. Incertum est quo te loco mors exspectat, itaq; tu illam omni loco expecta. Idem Epistola 67. Quorundam vitam mors in medio flore præcidit. Aliorum interrupit ipsa principia. Alius inter cœnandum solutus est, alterius somno continuata mors est, aliquem concubitus extinxit. Alij naufragio, alij ferro, alij casu aliquo & fortunâ intereunt. Alij longa ægritudine, alij celeri & inopina morte rapiuntur. Alijs neq; Testamenti condendi, neq; Sacramenta percipiendi, quod maximè formidandum est, facultas suppetit.

Comparatur itaq; mors strenuo messori, qui falce per prata prorumpens nullis unquam parcit floribus, quin & depicta oculis, auribus & corde destituitur. Diciturq; à Bernardo Crudelis Janitor: 1. Tim. 6. v. 7. quia, ut cum Ambrosio loquar, nudi omnes nascimur, nudi morimur, nulla distinctio inter cadavera mortuorum, nisi fortè quia graviùs fœtent divitum corpora distenta luxuria. Aristoteles mortem definit, quod sit φοβερῶν φοβερώτατον, hoc est, inter omnia terribilia ultimum & extremum, quod sit cruentus latro, qui non uno aliquo bono ut cætera calamitates, sed omnibus simul vitæ bonis hominem spoliat, & nihil prorsus ei relinquit, non patrimonium, non opes, non lucis hujus usurum, non dulces amicos, non fratres, non maritum & uxorem: quia horum omnium conjunctionem mors dirimit, & amore sociatos crudelis ac dura dissociat, talemq; speciei deformitatem defuncto corpori inducit, ut neq; oculi, neq; nares eam ferre possint.

II. Quod Jesus Christus, cum verus sit homo & summus Sacerdos noster, Ebr. 4. 5. similis fratribus excepto peccato, valde sit misericors, & flagrantissimo ardeat cordis affectu, cum erga alios, tum

tàm præcipuè erga viduas, pupillos, pauperes & peregrinos, erga mœstos & lugentes, atq; in morbis & agone mortis constitutos. De viduis quod earum sit protector & benedicat orphanis, sit ipsis mariti & parentum loco consulantur Biblia Psal. 10. v. 14. Psal. 27. v. 10. Psal. 68. v. 6. Psal. 146. v. 9. Joban. 14. Quod earum habenda sit ratio & illis benefaciendum lege Exod. 22. Deut. 16. v. 14. & 24. v. 17. 19. 20. 21. Deut. 26. v. 12. 13. Deut. 27. v. 19. Job. 24. v. 3. Job. 31. v. 16. Syr. 35. v. 18. Esa. 1. v. 17. Jer. 22. v. 3. Zach. 7. v. 10. Mal. 3. v. 5. Jac. 1. v. 27. Commendantur vidua Luc. 2. & 21. & Actor. 9. Ipsis mirabiliter Deus prospexit 1. Reg. 17. 2. Reg. 4. per Eliam & Elisæum. Actor. 6. per Diaconos. Pro ijs militavit contra Heliodorum 2. Mace. 3. Monet ergo Syrac. cap. 4. v. 10. ut instar patris simus pupillis, & loco viri matri illorum, ut filij chariores simus Altissimo quàm matri nostræ. Sic hoc loco sponte sua Christus adest & viduæ sola misericordia inductus opem fert, videt illam cum notitia, & ἐσπλαχνίσθη ἐπ' αὐτῇ ex cordis thalamo & intimis pectoris fibris. De afflictis testatur David Psal. 91. v. 15. quod cum ipsis sit Deus in angustia, & Matth. 11. v. 28. convocantur â Christo omnes fatigati & onerati, ut reficiantur. Jerem. 31. Illis qui fide instructi cum morbis & morte luctantur quoq; adesse Christum nulli dubitamus, & hæc summa & sola est consolatio nostra, ubi deficiunt agnati & opes, & totus hic mundus. Luther. super Joban. 8. Consultissimum fuerit ingruente mortis hora omnes ex animo disputationes abijcere, & vera fide hisce verbis insistere: Credo in Jesum Christum Dei Filium, plura nec scio, nec scire desidero. Sic exigenti transgressionum catalogum Satanæ dictetur promissio de Semine benedicto Gen. 3. & invocatus non aberit Christus. Lege Discip. de tempore serm. 13. quod duo conjuges quibus commodum sat erat conjugium præstigijs diabolicis dementati cum vitam laqueo finire statuissent, primò vinum biberint in nomine JESU CHRISTI, & sic præsente CHRISTO protinus â tentatione diabolica liberati sunt. Et nos præsente CHRISTO cum Si-

meone Luc. 2. cum Stephano Actor. 7 ovantes in pace decedemus.

III. Quod Jesus Christus habeat clavem mortis & vitæ, Deus viventium, Exod. 3. Matth. 22. Patri & Spiritui sancto coæqualis, cui omnia subjecta sunt, Psal. 8. non tantùm in hoc sed etiam in futuro seculo, Eph. 1. cujus verbum spiritus est & vita, Joh. 6. in cujus manu animæ justorum. Sap. 3. Matth. 9. Joh. 10. Quare hunc juvenem non aliena potentia ceu Elias, 1. Reg. 17. sed propria virtute excitavit, eadem potentiâ juxta utramq; naturam excitaturus omnes mortuos in extremo die. Ideo inquit Joh. 5. Sicut pater mortuos excitat sic etiam filius. Joh. 6. Excitabo illum in novissimo die. Joh. 11. Lazarum vermescentem excitavit, de quo Cyrill. cum clamaturus esset Dominus jam inferi turbabantur, jam sub pedibus Domini reseratus patuit infernus, omnes mortui expectabant nomina sua vocari, uno deniq; nominatim vocato, cæteri intercepti sunt. Nec sinus aut secretum naturæ ita recepit aliquid subtractum sensibus nostris, ut Christi cognitionem lateat, aut refugiat potestatem. Quod autem verè resurgent mortui 1. Docent manifestissima dicta scripturæ in utroq; Testamento: Job. 19. v. 25. Ezech. 27. v 1. Dan. 12. v. 2. Esa. 26. v. 19. Matth. 22. v. 31. Joh. 5. v. 28. Joh. 11. v. 24. Act. 24. v. 15. 1. Cor. 15. v. 12. Phil. 3. v. 11. 1. Thes. 4. v. 14. 2. Exempla: Gen. 4. clamor sanguinis Abelis. Gen. 5. v. 24. raptus Henochi in cælum. 2. Reg. 2. v. 9. raptus Eliæ. Hiobo Deus omnia reddidit duplicata exceptis liberis quod præmissi viverent apud Deum. Prophetæ 1. Reg. 17. 2. Reg. 4. 2. Reg. 11. Christus Matth. 9. Luc. 7. Joh. 11. Apostoli Actor. 9. & 20. mortuos excitarunt. Et cum Christo multi resurrexerunt. Matth. 28. v. 52. 3. Demonstratur hoc ex tribus articulis Symboli Apostolici: Quia creator Deus inspiravit homini animam viventem immortalem. Gen. 2. Sap. 2. & 13. Christus nos ad possidendam vitam æternam redemit, Joh. 3. venturus judicare vivos & mortuos. Nec in hac solùm vita spem in Christo habemus; 1. Cor. 15. v. 19. sed spiritu vivente obsignati sumus. Romanor. 8. 2. Cor. 5. Eph. 4. Hinc credimus resurrectionem mortuorum, aliàs fides

fides nostra foret inanis. 1. Corinth. 15. v. 17. Hieronym. Epist. 2. Resurrectionem carnis confitemur & credimus, ut dicamus nos in eadem qua nunc sumus veritate membrorum esse reparandos, qualesq; semel post resurrectionem fuerimus effecti in perpetuum permansuros. Sic fiducia Christianorum est Resurrectio mortuorum. Tertull.

II.

Fructus Fidei Triplex.

I. Ut omni cura & vigilantia præparemus nos ad pium obitum convertamurq; ad Dominum, Syr. 5. semper in procinctu parati lumbis præcinctis, Luc. 12. per varias noctis vigilias & vitæ nostræ ætates, ne illorum ætate quibus longiora vitæ spatia concessa sunt, adolescentum funera prætereuntes, nostram ætatem metiamur more militum, qui unius aut alterius felicis exemplo commoti propter aurum magna aviditate ad bellum properant, nec innumerabilium miserè succumbentium casibus ab hac intentione revocantur. Væ illis qui non nocte dieq; de illo cogitant, quod nolint velint effugere non poterunt, cuiq; non per famulos aut vicarios, sed ipsi per se opinione citius interesse cogentur. Nec vivunt memores lethi, nec sermones de morte quàm sublatam optarent, libenter audiunt. Corporalis exercitatio nihil habet utilitatis, 1. Tim. 4. v. 8. sed pietas ad omnia utilis est, ut quæ promissionem habet vitæ præsentis & futuræ, sic ut unica concio nervosa totius orbis opibus sit præferenda, quod conditiones hujus viduæ demonstrant, quæ amissis corporalium exercitiorum, utpote virginitatis, nuptiarum, filij nati & educati gaudijs, solius pietatis habuit refugium, quo impij etiam Monarchæ in sua majestate destituuntur. Seneca. Epist. 30. Mortem venientem nemo hilaris excipit, nisi qui se ad illum diu composuerit. Hugo de claustro animæ lib. 2. Tres sunt nuncij mortis, casus, infirmitas, senectus. Casus dubia, infirmitas gravia, senectus certa denunciat. Casus nunciat mortem latentem, infirmitas apparen-

tem, senectus præsentem. Ex hac incertitudine mortis timor, ex gravitate dolor, ex certitudine senectutis non obstinatio, sed humilitas sequi debet. Seneca Epistola 62. Ante senectutem curavi ut bene viverem, in senectute ut bene moriar: bene autem mori est libenter mori. Quandoquidem beatitudo hominis non consistit in vita brevi aut prolixa, nec in copia aut inopia; sed in ipso obitu ut moriamur libenter, nec impiè. Libenter quidem moriemur si spiritus nos doceat, quod mors sit lucrum. Phil. 1. Si cruce percoquamur ut optemus esse cum Christo, ibid. & consideremus præmissos agnatos & amicos nostrum expectare adventum.

Ut bene & piè moriendo palmam obtineamus pugnandum est manu fidei & singulis digitis, 1. Ut colligamus & observemus atq; ruminemus Verbum Dei, Prov. 6. Sap. 17. Matth. 17. Joh. 8. & 14. Rom. 1. confortemur q; viatico cœnæ Dominicæ cibo fortium. Bernard. 2. Ut intueamur & imitemur exempla eorum qui feliciter eluctati sunt: Christi & Latronis, Luc. 23. Simeonis, Luc. 2. Davidis, Psal. 31. & Stephani. Act. 7. Malus utiq; miles est qui Imperatorem gemens sequitur. Seneca. 3. Ut quoniam media vita mors, in media vita agamus pœnitentiam, nec aspernemur divitias misericordiæ divinæ, Rom. 1. & differamus in crastinum. Parùm illi felicitati confidendum est quæ latroni contigit, quod tam rara sit. Augustin. Punitur enim peccator ut moriens obliviscatur sui, qui dum viveret oblitus est Dei. Idem. Idem de discipl. Christiana: Latet ultimus dies ut observentur omnes dies. Serò parantur remedia cum mortis imminet periculum: nam bona mors vitæ inculpatæ fructus est. Nec potest malè mori qui bene vixit, vix bene moritur qui malè vixit. 4. Assiduè orandum est, ut doceat nos Deus numerare dies nostros, Psal. 39. v. 5. & 90. v. 12. & largiatur nobis felicem obitum: quia in hoc mundo vita tenetur vel amittitur. Cypr.

Da mihi Christe dies cautè numerare volantes,
Da mihi velle mori, da bene posse mori.

5. Ut

5. *Ut familiarem ineamus cum morte amicitiam, ne veniat nobis inopina & ignota: magna quippe peccati pœna est, si quis metum ac memoriam mortis perdidit, quæ facilius vincitur, quàdo antequam veniat consideratur, & quò quis mortem absentem magis timuerit, eò præsentem minus timebit. Hieron. ad Heliod: Nihil æquè tibi proficiet ad temperantiam omnium rerum, quàm frequens cogitatio brevis ævi & incerti. Quicquid facies respice mortem. Hieron. Cypriano: Memento mortis tuæ & non peccabis. Qui se cotidie recordatur esse moriturum, contemnit præsentia, & ad futura festinat. Gregor. Sic mors ipsa cum venerit vincitur, si priusquam veniat semper timeatur. Anshelmus. Ponite cotidie ante oculos vestros finem vestrum, cogitate intentissimè cujus erunt, & quid vobis proderunt, quæ post vos remanebunt. Cogitate quo ibitis, quid vobiscum portabitis, &c.*

II. *Ut cœmeteria & sepulchra, licèt nihil felicitati defunctorum addere possint, honesta retineamus: quia etiam Gentes minus efferatæ tumulorum habendam esse rationem senserunt. Gen. 23. v. 9. emit Abraham speluncam Machpelah in hæreditatem sepulchri pro 200. daleris, qua usi sunt posteri ejus. Gen. 26, 35. 37. 38. 47. 49. &c. Nec tantùm humanitatis; sed etiam plenum pietatis est officium honestâ sepultura mortuos ornare, præsertim inter Christianos qui sciunt credentium mortem esse somnum, à quo in die novissimo excitati regni cælorum cohæredes erunt cum Christo. Roman. 8. Lugeamus ergo cum lugentibus, illisq; poculum consolationis propinemus. Syr. 7. Roman. 12. v. 15. Col. 3. v. 12. Et libenter prodeamus in funus, Syr. 38. quod Tobias etiam cum vitæ fecit discrimine. Nec tantùm ditioribus, sed etiam pauperibus hoc præstemus officium: quia ultimum hoc est beneficium, & honos postremus quem à nobis postulant defuncti, quibus quicquid datur, teste Sabellico, mera est pietas, merus amor & vitæ anteacta testimonium, atq; opus dilectionis. Sic prodijt David in funus Abneri, & magna turba comitata est Jacobi exuvias in terram Canaan. Et hoc agentes ponderemus*

mus 1. Exilium hoc, Psal. 39. Ebr. 13. corporumq; fragilitatem & mortalitatem. Syr. 18. v. 8.

Est commune mori nulli mors parcit honori.
Quocunq; ingrederis sequitur mors corporis umbra.
Auspicor à lachrymis in ijsdem finio vitam.
Unicuiq; modum moriendi fata dederunt.

2. Pœnitentiam non esse procrastinandam. Syr. 18. v. 22. 3. Quod hoc triticum, Johan. 12. & hæc ossa germinabunt. Esa. 26. 66.

Nec sis sollicitus quo tu condare sepulchro, Petrarcha.
Cum tua sit tandem restituenda caro.

III. Ut piè ac modestè lugeamus super defunctis parentibus, conjuge, sobole & amicis, sintq; verba Christi Noli Flere *nobis instar strophioli, quibus nequaquam jubet exuere naturam ita conditam, ut in obitu præmissorum agnatorum & amicorum abstinere à lachrymis non possit: Flevit enim Abraham mortuâ Sara. Gen. 23. Jacob amisso Joseph. Gen. 49. Joseph copiosas fundit lachrymas. David luget ob mortem Saulis & Jonathan, 2. Sam. 1. Abneri, 2. Sam. 3. Absalonis, 2. Samuel. 18. lachrymaturq; Jeremias mortuo Josia, 2. Paral. 35. & Christus flevit ad tumulum Lazari, Joh. 11. ut dicerent Judæi: En quàm illum dilexit. Syr. 38. v. 17: Acerbam ede lamentationem, planctumq; accende, & luctu quo dignus est eum prosequere. Cavendum autem monet Christus, ne lugeamus sicut Gentes, quibus spes nulla superest, 1. Thess. 4. v. 13. sed juxta meritum ejus, prout vixit, atq; denatus est. Isidor. lib. 3. de Summo bono: Illi deplorandi sunt in morte, quos miseros infernus ex hac vita recipit, non quos cælestis aula lætificando includit. Seneca Epist. 77. Non affligitur sapiens liberorum amissione, non amicorum. Eodem enim animo fert illorum mortem, quo suam spectat. Chrysost. tria recitat hominum genera, quorum obitus tragicus meritò venit deplorandus, illiq; sunt præfracti & Athei peccatores, serviq; Mammonæ, & Gentes de Deo ac vita æterna nihil comperti habentes. Aliàs beati sunt mortui in Domino, Apoc. 7. & 14. v. 13.*

qui

qui in Christo, cum Christo & propter Christum moriuntur. Nec mala putanda est mors illa, quam bona vita præcessit. August.

Ergo ubi piè avocantur parentes & amici noli flere: quia

1. Anima Justorum est in manu Dei, Sap. 3. in sinu Abrahæ, Luc. 16. in Paradiso, Luc. 23. in refectione, Apoc. 7. in requie. Apoc. 14.

2. Impium & indecorum est ipsis tantam gloriam invidere, quam per beatum obitum adepti sunt. Nec quid prosunt lachrymæ, sed curæ cor rodunt.

3. Lachrymis nostris in vitam non revocantur, nos vademus ad illos, nec illi revertentur ad nos. 2. Sam. 12. v. 23.

Quod ad infantes vel pueros attinet, illorum qui septimum annum nondum excesserunt mors est optata & facilima: Hominem enim qui adolevit mortis & inferni terrores infestant, puerorum autem fides simplex est, nec illi ulla vel disputatione aut hæsitantia agitantur; sed fidem habent sanctæ narrationi de Deo ac vita æterna, ideoq; quasi in placidum soporem deferuntur, nec angustias & dolores mortis & inferni sentiunt.

In ejusmodi ergo casu noli flere: 1. Quia omnibus moriendum est, Gen. 5. Deut. 32. Syr. 14. Ebr. 9. & debitum naturæ quò citius, eò melius solvitur. 2. Quia non ex improviso sed juxta decretum ac voluntatem Dei moriuntur. Matth. 10. v. 29. 31. 3. Quia unicuiq; posita est meta, Job. 14. Psalm. 139. quam non præteribimus. 4. Quia puerorum natura, sors, & mortis genus nobis ignota sunt, Deo autem notissima. Optandum fuisset Cain, Cham, Ammon alios q; immorigeros in cunis fuisse defunctos. August. in lib. de Doct. Christiana, Non orbitatem, inquit, Absalonis doluit David, sed quia novit in quas pœnas tam impia, adultera, & parricidialis anima raperetur, Namq; alio prius filio, qui innocens erat, pro quo ægrotante affligebatur, moriente lætatus est. 5. Quia ratione creationis, redemtionis & sanctificationis jus habet Deus in pueros, ipsiq; ut in aula cæleſti foveantur libenter tradendi sunt, cum opulentioribus

agnatis, regibus & principibus eos educandos & promovendos offeramus, ipsis quoq; mortalibus. Psal. 146. v. 4. Syr. 10. 6. Quia præmissa anima tripudiat in Domino, & corpus paulò post glorioſum resurget. 1. Cor. 15. Avocantur autem sæpius juniores, vel ut sic probentur pij parentes, vel ne per nimiam avaritiam se pueros q; trahant in perniciem, vel quia ipsi parentibus contra quartum præceptum obedientiam detrectant.

III.

Merces copioſa & Finis Fidei Triplex.

I. Quod pia mors sit meta omnium malorum, ultimus hostis abolendus, 1. Cor. 15. v. 26. liberans nos ab omni malo. Magna sanè est vitæ hujus miseria, in qua varijs undiq; concludimur angustijs, sic ut frater ille Regis, qui cum causam perpertui mœroris, quod Rex semper profundis cogitationibus inhæreret, expiscaretur, hoc percepit loco responsi: Quod fossa facta sit prælta prunis candentibus ad medium usq; impleta, quam super Rex sellam carie arrosam & vel leviſſimo impulsu ruinam minitantem deponi juſſit, supra sellam gladius fulgens tenui filo alligatus demiſſus est, & mensa præterea opiparis ferculis in margine fossæ extructa. Indè Regis frater ita super sellam ruinosam collocatus est, ut quatuor armatis viris à tergo & à fronte, & ab utroq; latere circumdaretur, qui strictos in ipsum vibrarent enses & tenso arcu ipsum intentarent. Tum ad mensam adhibiti sunt cantores & fidicines, qui accumbentem oblectarent. At ille ardentes infra se videns prunas, & cervicibus desuper imminentem gladium, mensam quidem exquisitis oneratam epulis, sed conjunctum periculum, ut si manum admoveret præceps in fossam rueret, quid talibus septus difficultatibus caperet oblectationis? Sed eadem est condtio vitæ nostræ: nam si sursum spectamus judicem Deum veremur, sin deorsum Gehennæ ignem pavemus. Retrospicientes agnoscimus peccatum, ante nos mortem minaciter irruentem. Ad dextram & sinistram contra nos militant Diaboli, & quidvis mali;

mali tam animæ quàm corpori machinantur, ut sic omnis hilaritatis experti hanc vitam, quæ non est vita sed mera calamitas, transigamus, usq; adeò, ut si infinitæ essent hujus vitæ miseriæ, nec spes illa, Jobis, cap. 19. v. 25. 26. recondita esset in sinu nostro, haud immeritò cum Jobe, cap. 3. v. 1. usq; ad 7. & cum Jeremia, cap. 20. v. 14. malediceremus nocti in qua concepti, & diei in qua nati sumus. Sed Christiani sumus, & mors angustijs nostris colophonem addit, viæ mundi universæ, Jos. 23. 1. Reg. 1. Job. 16. somnus, Esa. 26. Mat. 9. Act. 7. & tabernaculi fragilis depositio. Job. 17 2. Cor. 5. 2. Pet. 1. Speramus autem & expectamus quod ad vocem Christi, jam intonante Archangelo, corpora nostra de tumulis glorificata resurgent, & absterget Dominus omnes lachrymas, Esa. 25. omnemq; tollet luctum. Tunc finita erit potestas mortis, nec obruet Electos Dei mœror, nec erit vidua velut in hoc seculo, Sap. 2. Luc. 18. calamitati exposita, nec erimus orphani. Joh. 14. v. 18. Fabricius in suis annalib. lib. 2. scribit de Agne filia Regis Bohemici conjuge Marchionis Misniensis, quod Angelus brevi ante obitum ipsi porrexerit potum in argenteo poculo, cui cum labra admovisset, ah, dixit, quàm asperum & amarum; sed Angelus respondit: verè vinum est acetosum, sed mox tibi propinabitur dulce malvaticum, breviq; post vitam cum morte, & mortem cum vita æterna commutavit. Isidor. Soliloq. lib. 1. cap. 1. Mors calamitatis terminum præbet, omnem calamitatem mors adimit. Bernard. Mors peccatorum pessima, quorum & nativitas mala & vita pejor. Sed pretiosa mors Sanctorum, pretiosa planè tanquam finis laborum, tanquam victoriæ conservatio, tanquam vitæ janua, & perpetuæ securitatis ingressio. Cassiodor. super illud, Beati immaculati: Quis mortem temporalem metuat, cui vita æterna promittitur? Quis labores carnis timeat, cum se in perpetuâ requie noverit collocandum? August. in Enchiridio: Resurgent Sanctorum corpora sine ullo vitio, sine ulla deformitate, sine ulla corruptione, sine difficultate, in quibus tanta facilitas quanta felicitas erit.

II. Quod siquidem hic redivivus locutus est, præter dubium de persona & officio Christi, de æterno gaudio, & vernanti mansione animarum in cælis, ubi mille anni dies unicus, Psal. 90. & Deus omnia in omnibus, 1. Cor. 15. in gaudio nulli viso, 1. Cor. 2. ubi potius mansisset quàm à Christo indè esset revocatus, nec pro tanto decore elegisset Rex esse in hoc mundo regum ditissimus, Psal. 84. unde timor cum admiratione spectatores invasit, quod Dei omnipotentis gloriam in carne, in unius mortui antea noti necdum sepulti excitatione viderint; nos certè cum Deum æternum in gloria & majestate, non tantùm in uno templo ac cœmeterio, ut si hoc loco provocandi jam essent mortui, quantus numerus & quantus concursus! sed omnes simul mortuos dudum sepultos ex omnibus elementis in quibus computruerunt, nec antea visos coram Angelis excitare videbimus, admirabimur & Deum celebrabimus, Romanor. 14. v. 11. qui non tantùm mortuos ad vitam reddita anima revocabit; sed & viventes immutabit, 1. Corinth. 15. & de tota æternitate feret sententiam.

III. Quod ubi Christus veniet choris angelicis & satellitibus cælicolis stipatus reddet parentibus sobolem, conjugibus q. & amicis conjuges & amicos. 1. Samuel. 12. Hinc 2. Mac. 7. pia martyr mater filium natu minimum alloquitur: Carnificem istum ne timeas, sed tuis te dignum præbeas fratribus, mortem suscipias, & te per clementiam Dei cum eisdem recipiam. Hîc quidem mariti, filij & fratres peregrè profecti post longum iter reduces interdum vix agnoscuntur, & cum singulari lætitia excipiuntur; sed ad modicum tempus, & iterum separamur, vel per prolixum iter, vel per mortem. In novissimo autem conventu, sicut nulla separatio metuenda est: ita nec gaudij finis erit. Ubi ergo homo Christianus cum luctuoso gemitu corpus defuncti intuetur, vera fide pronunciet: Mi conjunx, fili amice, &c. tu quidem hîc decumbis in vili mortis imagine putredini atq. vermibus velut cadaver objiciendus, sed te, nec me spes mea fallet, in novissimo die iterum videbo,

debo gloria & splendore coronatũ coram Jesu Christo, qui venturus est judicare vivos & mortuos. Cujus postremi adventus imago in hoc quoq; textu egregiè depingitur. 1. Christus venit ex insperato: sic aderit die qua non expectabitur. Matth. 25. Luc. 17. 2. Venit in summæ angustiæ & doloris puncto, sic exanimatis hominibus præ timore. Luc. 21. v. 26. 3. Veniens solatium erogavit, sic reversurus Electos omni luctu & lachrymis eximet. 4. Elevat vocem, & tunc provocabit mortuos ad judicium. 5. Adest cum magno comitatu, & tunc cum ipso apparebunt Seniores, Esa. 3. Sancti, Zach. 14. & Angeli. Matth. 25. 6. Portantes subsistunt, feretq; Christus perpetuum Sabbathum & omnia tranquilla. 7. Adolescens se erigit, & nos attollemus capita similes Angelis. Matth. 22. 8. Excitatus loquitur, & nos glorificabimus Deum qui dedit nobis victoriam in Christo Jesu. 9. Christus eum matri reddit, & nos congregabimur. 10. Agnoscunt cives ex opere opificem, & nos longè plura videbimus, quàm hic nobis annunciata sunt. 1. Reg. 10.

Die Festo Michaelis.

DE MAXIMO IN REGNO DEI, ET SCANDALO VITANDO.

Evangelium Matt. 18. à v. 1. usq; ad v. 12.

PRÆFATIO SUPPLEX.

CUM, teste Petro, Angeli delectentur audire Evangelium, sintq; cum Jesu Christo, Matth. 18. in hoc sacro conventu, in hac Ecclesia verè præsentes, non quidem propter seipsos, sed propter gloriam Dei & salutem nostram, quæ ipsis usq; adeò jucunda est, ut gaudeant de peccatore agente pœniten-

nitentiam; Luc. 15. nos quorum in hoc cardine vertitur salus & justitia meritò Christum diligimus, & sermonem ejus servamus, Joh. 14. cujus tractandi causa & in hoc loco hodie convenimus. Ut autem verbum Dei aculeos figat, & radices agat in visceribus nostris, quo verè humiles fugiamus scandalum, sitq; nobiscum Angelus Domini ne Satan ullum jus in nos reperiat, Spiritus sancti auxilium à Deo Patre per intercessionem Jesu Christi impetrabimus in nomine ejus dicentes: Pater noster, &c.

Exordium Propheticum.

P*Sal. 8. qui vaticinium continet de Christi regno ejusq; morte ac resurrectione, inter cætera per Davidem prædixit Spiritus sanctus v. 3. quod ex ore parvulorum & lactentium fundata sit fortitudo propter inimicos Christi. Idq; non tantùm impletum est, quando pueri in templo Christum concelebrarunt, ab ipso ex hoc eodem psalmo excusati; verùm id præstant cotidie omnes piorum liberi, non tantùm ore & lingua, sed etiam exemplo, veluti h. l. puerum Christus introducit, ut hoc magistro discant Apostoli mores & fugiant superbiam, ne excludantur à regno cælorum.*

PERIOCHE ET DISPOSITIO TEXTUS METRICA.

Quis primus in regno Dei
Interrogant Apostoli.
Monstratur hoc in moribus
Humilis puelli candidis.
Pueros fovere præcipit
Christus simulq; scandalum
Vitare, vel prius manum,
Oculum, pedemve amittere.
Sancti Angeli qui militant
Pueris, Dei coràm patris
In arce spectant cæsitum
Indesinenter gloriam.

TRI-

TRIPLEX EX THEATRO HUIUS EVANGELII CONTRA HOSTES ANIMÆ NOSTRÆ ARMATURA.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. Quod, quamvis id Saducæi negare non erubuerint, verè in natura sint Angeli mali & boni, idq; contra blasphemos Libertinos & Atheos, qui Angelorum hypostasin negant, demonstratur 1. Ex verbi divini dictis & sententijs. De bonis legatur testimonium Davidis Psal. 34. v. 8. Psal. 91. v. 11. Psal. 103. & 104. Daniel. 7. v. 10. & Christi Matth. 18. Luc. 16. Matth. 22. De malis Luc. 10. 11. & 22. Eph. 6. 1. Pet. 5. 2. Ex historijs Sacræ scripturæ: quia boni apparuerunt hominibus, Agar ancillæ Sarai Gen. 16. v. 7. Abrahæ Gen. 18. v. 2. & 22. v. 11. Loth. Gen. 19. v. 1. Jacobo Gen. 28. v. 12. & 31. v. 11. Ose. 12. v. 4. Balaamo Num. 22. v. 22. Israëlitis Jud. 2. v. 1. Gideoni 6. v. 12. Matri Samsonis Jud. 13. v. 3. Patri v. 9. 10. Davidi 2. Sam. 24. v. 17. Eliæ 1. Reg. 19. v. 5. Esdræ 4. Esd. 2. v. 42. 43. 44. Esa. 6. v. 6. Ezech. 9. De malis legatur Gen. 3. in historia Achabi, Tobiæ & Matth. 4. & in historia Judæ. 3. Id confirmat cotidiana experientia: quia boni nobis inserviunt, mali autem peccatis homines involvunt, & pœnas exigunt, nosq; coram Deo accusant, Apocal. 12. quod docet historia Jobis, sed vincuntur per sanguinem Agni.

Communis est sententia Angelos primo die esse creatos, Augustin. lib. 10. de Civ. Dei cap. 11. & vel cæli vel lucis nomine esse significatos, factosq; velut ignis flammans, Psal. 104. v. 4. nec successivè sed uno & eodem tempore. Quorum boni spiritus in veritate manentes primatum non deseruerunt, mali autem Apostatæ, mendaces & homicidæ à Deo defecerunt. Quam autem ob causam lapsi sint licèt non tradant sacræ Scripturæ, communis tamen & probabilis Ecclesiæ sententia est, superbiâ & ambitione eos ad peccatum esse impulsos, quod

quod suis donis haud contenti divinos honores affectarint, sicut perditi postea primos parentes simili peccato in lapsum egerunt praecipites. Angelorum lapsus ter in sacris literis expreßè notatur Joh. 8. v. 44. 2. Pet. 2. v. 4. Jud. v. 6. & huc accommodant dictum Esa. 14. v. 12. Luc. 10. v. 18. & Apoc. 12. Sic facti sunt Dei & nostri hostes, contra quos equidem absq; Angelorum ministerio tueri nos Deus posset, sed voluit nobiscum per media agere, ut spiritus administratorij, Ebr. 1. circa nos castrametentur, Psal. 34. nec sine hac custodia in mundo quicquam sartum tectum maneret. Sunt ergo Angeli boni essentiæ spirituales, creatæ ad imaginem Dei, hoc est, intelligentes, veraces, justæ & liberæ, quæ non sunt pars alterius speciei ut animæ hominum, & sunt immortales, perpetui ac penitus confirmati, ut labi non possint. Cumq; Diabolorum ingens sit numerus, Matth. 8. Luc. 11. Eph. 6. sintq; fortes, armati, & exercitati mille artifices, Angelorũ quoq; numerosa est multitudo, 2. Reg. 6. Esa. 6. Dan. 7. Mat. 26. sintq; justi, sapientes, fortes. Et duplici erga Deum funguntur labore: quia, ut Theodoreti verbis utar, ὑμνῦσι, Psal. 103. 148. Esa. 6. Luc. 2. Apoc. 5. 7. 12. καὶ λατρεύουσι. Psal. 102. Dan. 7. 9. 10.

Deo serviunt Angeli 1. Exponendo voluntatem ejus, & annunciando futura. Dan. 8. v. 19. Dan. 9. v. 23. Zach. 1. v. 9. Matth. 1. v. 20. Matth. 2. v. 12. Ministri Christi Matth. 4. v. 11. Matt. 26. v. 53. & 28. v. 2. Luc. 22. v. 43. 2. Puniendo malos. Genes. 3. Exod. 12. 2. Reg. 19. Esa. 37. v. 36. 2. Samuel. 24. v. 36. 2. Mac. 3. 2. Mac. 10. Actor. 12. v. 23. 3. Benefaciendo pijs ad mandatum Dei, Psal. 91. quibus ministrasse leguntur Gen. 19. v. 15. Gen. 22. v. 11. 12. 1. Reg. 19. v. 5. 2. Reg. 19. v. 35. Tob. 5. v. 5. & 22. & cotidie ministrant in vijs, Psal. 91. v. 11. hoc est, in tribus statibus Eccles. Polit. & Oeconom. unicuiq; in sua vocatione, dum hanc trigonum Satanas ceu Leo, 1. Pet. 5. & latro crudelissimus, Act. 10. infestat.

Vigilant & militant Angeli in tribus statibus. 1. Ecclesiam, quam Satan per membra sua persequitur, defendunt & promovent, pro verbo Dei excubias agunt, Matth. 8. & pro repositis in templo bonis,

bonis, 2. Macc. 3. Verbi præconibus se adjungunt, Gad 2. Chron. 22. Eliæ 2. Reg. 1. Esaiæ cap. 1. Danieli & tribus viris. Liberant Petrum ex carcere, Actor. 12. Paulum ex naufragio, Act. 27. & Theodorum in medijs tormentis recreant. 2. In statu politico ducunt Mosen, Exod. 23. Gideonem, Jud. 6. Timotheo resistunt. 2. Mac. 10. Dan. 10. Satan diebus 21. impediens liberationem populi ab Angelo tandem vincitur ope Michaelis, cujus aliàs mentio fit Apocal. 12. 1. Thes. 4. & in Epistola Judæ. 3. In œconomia, cum Satan varijs modis perturbet conjugium & mala plurima, quod videtur in historijs Jacobi, Jobis & Davidis, excitet, Angeli perniciem avertunt, tutantur Lothum, Elisæum. 2. Reg. 6. Et ab Angelo vincitur Asmodeus in historia Tobiæ.

Nobis cotidie inserviunt Angeli 1. Docendo. Gen. 16. docent Agar. Act. 7. dicuntur ministri in monte Sinai. Danieli exponunt visiones. Nativitatem Baptistæ & Christi indicarunt, Josephum, præmonuerunt de fuga & reditu. De resurrectione & reditu Christi concionati sunt. Actor. 1. 2. Comitando, gubernandoq; peregrinationes & avertendo pericula. Gen. 24. comes atq; dux est Angelus servo Abrahæ, Raphaël Tobiæ, & Magos ad Christum infantem ducunt. 3. Defendendo pios contra potestates adversarias. Gen. 22. tenent gladium Abrahæ. Gen. 19. propugnant domum Lothi. 2. Regum. 6. avertunt ab Elisæo milites Syros. Job. 1. inquit Satan: Tu circumdedisti domum ejus & omnia quæ possidet. 4. Convertendo in viam salutis. Luc. 15. 5. Deducendo ad vitam æternam. Luc. 16. 2. Reg. 2. 6. Colligendo bonos à malis in die novissimo. Matth. 13. & 24. 1. Thes. 4. Noctu vigilant in domibus nostris ad lectum, circa focum, in areis & stabulis, abiguntq; Satanam & avertunt pericula. Et serviunt nobis in Ingressu, fovendo matrem gravidam, & promovendo partum. In progressu, ne quid malè vertat, sed absq; labe educamur, nec vel ebrios Satan obruat. In egressu deportando animas, & conservando ossa in sepulchris. 1. Sam. 10. v. 2.

II. Quod, rumpantur ut ilia Saducæis alijsq; Epicureis,

verè sit vita æterna seu Regnum cælorum, sitq; Gehenna ignis æternus. Utrumq; affirmat os veritatis Jesus Christus.

De vita æterna enunciat Christus, quod

1. Qui seipsum sicut puerulus demiserit, ille sit maximus in Regno cælorum.

2. Qui pedem vel manum abscideri, vel oculum eruerit, id est, qui scandalum non respectis personis studiosè vitaverit, ingredietur in vitam.

3. Angeli parvulorum in cælis omni tempore videant faciem Patris Christi, qui in cælis est.

III. Quod contra furorem Anabaptisticum pueri non destituantur fide in Christum: 1. Quia manifestè dicit Christus: Quisquis offenderit unum ex parvis istis qui in me credunt. 2. Quia in maxima apud Deum sunt gratia, Marc. 10. qui absq; fide, sine qua quidvis peccatum est, Rom. 14. v. 23. nihil omninò placet. Ebr. 11. Et insigniter hoc loco à Christo commendantur, quod præstantissimi in regno cælorum pueris similes sint, & melius sit submergi quàm illos offendere. 3. Quia adultos oportet similes reddi pueris, si velint ingredi in regnum cælorum, nec hoc aliter obtinemus quàm per fidem. Simul nec ullo modo dubitandum est de paterno Dei erga nos amore ac favore, quem ex stergis paternis, nostraq; erga pueros nostros affectione deprehendimus: quia Deus nobis pater est bonus, beneficus & propitius. Psal. 103. Mat. 7. Luc. 15. Deus nobis mater est nostri haud immemor, Esa. 49. nos consolans Esa. 66. & magis quàm genitrix nostra nos diligens. Syr. 4. Nos autem pueros nostros diligimus, ultrò nil meritis benefacimus, sicq; vapulant, id sit honoris & amoris causa. Ita nos à Deo diligimur, Joh. 3. Rom. 5. Eph. 5. Jer. 12. & sanè nil de Deo meriti sumus, Rom 11. v. 35. & corripimur paternè, Prov. 3. ne cum mundo damnemur. 1. Cor. 11. v. 32. Porrò puerorum causa admodum sumus solliciti, ut habeant victum & amictum, eosq; optamus bene promotos, & sudore illis hæreditatem comparamus, dolentibus ex animo condolemus, aberrantes & castigatos in gratiam recipimus, Luc. 15. absentiumq; ardemus,

demus desiderio. Sic Pater noster cælestis Mat. 6. nobis prospicit, nos sanguine Filij sui redemit & æternas cumulavit divitias, ipse συμπαθεῖ, nec ex corde quem affligit, Thren. 3. semper nobis proximus, Psal. 23. 27. 91. nos ad se trahit. Cant. 2. Denique ubi leviter commoti minitamur & maledicimus, mox iterum benedicimus, & vel ipsi ut cum nobis in gratiam redeant intercessores dari optamus. Quod & Deo tribuitur Jer. 18. v. 8. Ezech. 22. v. 30. Et puer in via limosa ac lubrica à parente gestatus felicius iter absolvit, quàm in plano parentem sequens non passibus æquis. His & alijs in angustia & agone constituti se recreent pij parentes, aspiciendoque pueros Deo dicant: Abba dilecte Pater, Rom. 8. v. 15.

II.

Fructus Fidei Triplex.

I. Ut pro pueris nobis donatis, Psal. 127. Deo agamus gratias. Cumque non tantùm dati sint ut nobis inserviant, & nobiscum parantes victum opes nostras possideant; nec tantùm ut cum illis ex benedictione divina nobis attribuatur victus, pluribusque domus nostra circumdetur Angelis: sed ut parentibus & familiæ concionatores sint domestici, quorum virtutes & exempla miremur atque imitemur, illos piè suscipiamus, & utentes liberis pro libris eorũ ponderata natura ac moribus semper evadamus meliores, simusque pueri, 1. Cor. 14. v. 20. non intelligentia sed malitia: quod enim ad incantationes, cædes, ebrietatem, scortationem, fraudes, rapinas inepti sint hoc imitari decet, non autem quod de rebus divinis minus sapiant, nutrices parentibus stultè anteponant, ablegati in forum officij mandati obliviscantur, aurumque pro pomis vendant, &c. Aliàs

Sunt humiles pueri, puri, paucisque; cibantur,
Credunt, lætantur, citò dant, citò pacificantur.

Et inprimis nos erudiunt quomodo affecti esse debeamus erga Deum, erga Proximum, & erga Mundum, ut Deum diligamus & proximum, conservemurque à mundo immaculati. Jac. 4.

Erga Deum: *1. Pueri mox nati lac appetunt, sic nos quasimodogeniti mammis Evangelij adhæreamus. 1. Pet. 2. 1. Cor. 4. Ebr. 1. 2. Pueri carent peccato actuali, quod & nobis omni studio fugiendum est. Syr. 23. 3. Sub disciplina parentum educantur, sic nos ad legem Domini. Psal. 1. Esa. 8. 4. Nos maximè diligunt etiam vapulantes, quod & nos Deo debemus. Joh. 14. & 21. 5. Humiles sunt sicut & ipse Christus. Matth. 11. 6. Nobis morem gerunt, quod etiam in arduis exemplo Abrahami Deo præstandum est. Gen. 22. 7. Facilimè credunt, & absit à nobis τὸ πῶς in ijs quæ Deus dixit. Justin. Johan. 3. 8. Majora quàm pro viribus jussi tollunt, sic nobis quoq; annitendum est & Deus præoccurret. 9. Ubi deliquerunt trepidant, sed vapulantes non aufugiunt, sic nostrum est timere Dominum, & sperare in bonitate ejus. Psal. 147. Jer. 17. 10. Pueri simplices fuco & fraude carent, nosq; integritas & rectum custodiant. Psal. 25. 11. Illi loquuntur veritatem, quod & à nobis Deus postulat. Psal. 15. 12. Parentibus confidunt de pane cotidiano parùm solliciti, ut & nos jactemus curam nostram super Dominum. Psal. 55. Mat. 6. 13. Necessitatem suam parentibus aperiunt, nosq; pulsamus malleo orationis. Matth. 7. Luc. 18. 14. Nisi gremio excipiantur à vagitu non abstinent, nobisq; commendant constantiam & perseverantiam in rogando. Psal. 145. Luc. 18. 15. Languent amore & desiderio parentum absentium, nosq; cupiamus dimitti, Luc. 2. & dissolvi, Phil. 1. ut simus cum Christo.*

Erga Proximum: *1. Pueri facilimè reconciliantur, nec sunt tenaces irarum, neq; Sol occidat super iram nostram. Eph. 4. 2. Pueri non sunt superbi, nec à potentioribus spernuntur inopes, nec magnates ludibrio habeant subjectos. Sap. 5. Syr. 10. 3. Citò dant largi ac benefici, Deus diligit hilarem datorem. 1. Cor. 9.*

Erga Mundum: *1. Pueri mox nati flent, originis labem deplorant, Rom. 8. & primos parentes accusant, nos propter innatum, & propter id quod ipsi addidimus, lugeamus malum. Roman. 5. 6. 2. Non sunt avari, & nos simus modico contenti, Proverb. 30. 1. Tim. 6.*

1. Tim. 6. ἀυτάρκειαν pro lucro magno reputantes. 3. Rerum delectabilium citò ipsis oblivio & tædium obrepit, nec mundus nos inescatos decipiat & trahat: nescimus enim qua hora horrea cum hordeo, Luc. 12. purpura cum byssо, Luc. 16. & hæc omnia, Psal. 49. per mortem mundo relinquenda sint.

II. Ut in omnibus demittamus nosmetipsos in vera humilitate, & studiosè fugiamus scandalum, ne vel unum de minimis offendamus, & doctrinâ, verbis aut factis decipulam seu laqueum objiciamus; sed potius supprimamus affectus nostros, ne prodeant in actum, illudq; scandalum quod datur ab oculis pedibusq;, & manibus, ad currendum & rapiendum cum injusto grege, Psal. 50. proclivibus, cum re cupita abscindamus, dominosq; Pastores & parentes ceu oculos nostros, & alteram manum maritum scilicet vel conjugem, nec non ipsos pedes, hoc est, vocationem, agros & tauros cœna magnæ præferentem projiciamus: quia magistratus carcerem Deus autem Gehennam, ex qua nemo reverti poterit, minatur.

Humilitas est contemtus propriæ excellentiæ, & virtus, juxta Bernard. qua verissima sui cognitione sibi ipsi homo vilescit, ne scoram Deo nec coram hominibus propter sapientiam aut divitias extollat, sed confiteatur suam Udemian: quia nihil habemus quod non accepimus, 2. Cor. 4. nec quid in mundum attulimus. 1. Tim. 6. Et lucis Pater, Jac. 1. dat unicuiq; quantum vult. Matth. 25. Nec regnet superbia in gestibus aut vestibus, quarum origo & causa atq; materia probè consideranda est: quia ante lapsum nullus earum usus fuit, & linum terra, lanam & pelles pecora, sericum bombyces suppeditant.

Humilis esto 1. Propter mandatum Dei cujus voluntati non est resistendum. Luc. 14. Rom. 12. 1. Pet. 5. Odit Deus omne superbum. 2. Propter exemplum & vestigia Christi, Matth. 11. Phil. 2. Jacobi, Gen. 32. Centurionis, Matth. 8. Baptistæ, & Pauli. 3. Propter summum commodum: quia humilibus dat Deus gratiam, & resticit

in orationem eorum. Psal. 101. 4. Propter summum incommodum: quia Deus dispergit superbos, semperq; confusi sunt, Syr. 10. & intumescunt ceu bulla imminente jam pernicie. Proverb. 16. 5. Propter exempla punitæ superbiæ in Diabolis, Esa. 14. & Protoplastis, in Ussia, Nebuchodon. aliisq; quàmplurimis. Esa. 22. Esa. 37. Ezech 28. Esther. 7. 6. Propter considerationem propriæ imbecillitatis, Bernard. Homo nihil aliud est quàm sperma fœtidum, saccus stercorum & cibus vermium; ut detractis pavonum pennis sub pedibus matrem terram aspiciamus, & veluti apes examen mittentes, atq; in gyrum cum murmure magno convolitantes facto tinnitu & superinjecto pulvere, resideamus.

Scandalum est dictum aut factum minus rectum, præbens alteri ruinæ occasionem, qua ipse sit deterior. Seu quia in errore confirmatur, seu quia imitatur malum exemplum, seu quia flammas majores adversus Evangelium concipit. Estq; Datum, Acceptum seu Pharisaicum & Diabolicum.

Fuge scandalum in doctrina & moribus, 1. Propter mandatum Christi, & consilium divinum. O pastores, ô parentes adeste patentibus auribus, cavete ne quem vobis concreditum doctrina aut vita vestra, Rom. 2. fide aut moribus, verbis aut factis reddatis deteriorem. 2. Propter pœnam lapidis suspensi de collo & molæ asinariæ, quæ tolerabilior parricidis posita, quàm ignis Gehennæ. 3. Propter flebilem exclamationem, Væ mundo, *quæ verè* θρηνῶδες *est* προφητεία. *Basil.*

III. Ut in omni angulo memores simus Angeli nostri, Augustin. Deoq; agamus gratias pro cælestibus his corporis & animæ custodibus: singulo enim credenti, teste Basilio, Angelus adest nisi arceatur peccato, sed, ut Augustin. scripsit, ubi homo agitur stimulis Satanæ, & consentit in peccatum, discedit ab eo Angelus bonus, & indè tristatur quod debeat discedere. Hieron. super Matth. lib. 3. Magna dignitas animarum, ut unaquæq; habeat ab ortu nativitatis in custodia sui Angelum deputatum. Isidor. lib. de Summo bono. Boni Angeli ad mi-

ad ministerium humanæ salutis deputati sunt, ut cunctis administrent mundi, & regant omnia jussu Dei. Singulæ Gentes præpositos Angelos habere creduntur, omnes homines Angelos habere probantur. Bernard. In quovis diversorio, in quovis angulo reverentiam exhibe tuo Angelo, nec audeas illo præsente, quod me vidente non auderes. Adsunt igitur tibi non modò præsentes tecum, sed etiam pro te adsunt ut protegant, adsunt ut prosint.

Ne pecces Deus ipse videt, pius Angelus astat,
Accusat Satanas, Mors, Lex mala cuncta minantur.

Fide itaq; instructi cotidie alliciamus Angelos, ut nobiscum conversari dignentur tribus modis. 1. Morum similitudine: quia idem velle idemq; nolle, illa deniq; firma est, teste Salustio, amicitia, dum simile simili gaudet. Laudant autem Angeli Deum, Esa. 6. v. 3. & apud Zachariam precatur Angelus: Domine Zebaoth usq; quo tu non misereris Jerusalem & urbium Juda, quibus iratus es. Sunt adhæc humiles erga Deum, & humilibus ægrotisq;, & ulcerosis agonizantibus, Luc. 16. adesse non dedignantur. Insuper seduli officium peragunt, constantes atq; veraces, & purissimi, quæ ipsorum vestigia nos imitari decet. 2. Præstando illa quibus Angeli delectantur, utpote audire Evangelion. 1. Pet. 1. v. 12. Adhæc seriam agere pœnitentiam. Luc. 15. v. 10. Deniq; hospitalem esse: Ebr. 13. v. 2. per hospitalitatem enim quidam inscij Angelos exceperunt hospitio, nec defuit benedictio divina. 3. Vitando illa quæ Angeli oderunt; videlicet scandalum, ne ipsi ligati alios astringamus vinculis Satanæ. 2. Tim. 2. Adhæc ocium ne segnes simus in officijs vocationis nostræ, Psalm. 91. & tandem Ἀγγελολατρίαν, *quod soli Deo debeatur gloria invocationis, Matt. 4. timeatq; Angelus, ut inquit Gregor. adorari ab humana natura, quam videt in Deo sublevatam. Origen: Angeli diem festum agunt lætantes super his qui, refugientes consortia Dæmonum per exercitia virtutum angelicis festinant sociari consortijs. Bernard. Tu ergo si vis habere ministerium Angelorum fuge consolationes seculi, & tentationibus resiste Diaboli.*

Idem

Idem in Serm. de Angel. Quod si necessariam habemus familiaritatem dignationis angelicæ, cavenda est nobis eorum offensa, & in his minimè exercendum, quibus eos non novimus oblectari.

III.

Triumphus Fidei Triplex.

I. *Quod, si Fides adsit, ille qui se humilimè demiserit maximus erit in Regno cœlorum. Hic magnum est & dispendio salutis quæritur placere regibus, atq; extolli à principibus morti obnoxijs, Syr. 10. Psal. 146. multiq; tolluntur ut turpius ruant. Quanta autem futura sit gloria hæc, ut quis sit maximus in regno cælorum, verbis exprimere, ut calamo exarare non valeo: 1. Cor. 2. v. 9. quia nec oculus vidit, nec auris audivit, dum hîc tantùm ex parte cognoscimus, 1. Cor. 13. v. 9. & ex parte prophetamus. Et cum Nicodemo Rabbi Israelis, Joh. 3. cum uxore Zebedæi pro filijs apud Christum intercedente, cum Petro in Thabor, Matt. 17. & omnibus Apostolis hoc loco ceu pueri balbutientes de vita æterna loquimur. Ibi autem perfectè cognoscemus, Deumq; præsentem videbimus in cælo tertio, & de humilium elevatione mirabimur.*

II. *Quod si retinendo fidem & fugiendo scandalum quis amittat dominos, agnatos & amicos, liberrimus tamen ab igne inferni intrabit in vitam æternam, fautoribus & amicis felicissimus: Deo scilicet & Angelis, Electisq; conjunctus. Quid mihi regum & principum favor pro favore & amore Dei, qui fecit cælum & terram & mare, & omnia quæ in eis sunt, qui servat veritatem in seculum, nec pereunt cogitationes ejus? Psal. 146. v. 6. siquidem nec regiam authoritatem, majestatem vel mandatum veritus est Angelus Domini Heliodorum graviter percutiens. 2. Mac. 3. Sicut autem pueri exoptant domi esse, præsertim si alicubi cum prodigo inter porcos malè tractantur: Luc. 15. sic nos de malo hospitio, Psal. 90. Syr. 40. & carcere hujus mundi, Rom. 7. nil morantes tabellarij austeritatem, nec aëris inclementiam ipsamq; mortis acerbitatem, ad Deum*

Deum aspiremus: quia licèt magna pars hominum spectando ad terram solummodo, & redeundo ad volutabulum, Proverb. 26. & absq; metu mortis se saginando, Jer. 12. v. 3. porcorum naturam induerit, splendidæ tamen hujus seculi deliciæ velut siliquæ cum ferculis in regno cælorum conferri nequeunt. Esa. 25.

III. Quod non tantùm unicuiq; nostrum, etiam minimis qui sunt in Ecclesiâ Dei adsit Angelus bonus, Angelus Domini, qui regit, qui monet, qui gubernat, qui pro actibus nostris corrigendis, & miserationibus exposcendis cotidie videat faciem Patris, qui in cælis est; Origen. verùm & nos piè obeuntes perveniemus ad multitudinem Angelorum, Ebr. 12. recepti in locum Apostatæ Satanæ & assèclarum ejus. Gregor. super Evangel. Hom. 34. Superna illa civitas ex Angelis & hominibus constat, ad quam tantum credimus humanum genus ascendere, quantos illic contigit Electos Angelos remansisse, sicut scriptum est, statuit terminos Gentium juxta numerum Angelorum Dei. August. in Enchiridio: Utiq; noscunt Angeli sancti docti de Deo, cujus veritatis æterna contemplatione beati sunt, quanti numeri supplementum de genere humano integritas illius civitatis expectat. Ibi cũ Angelis quibus similes erimus, Deũ quem hic per verbũ velut per speculum in ænigmate agnoscimus, 1. Cor. 13. spectabimus ad faciem, & cũ Beatis spiritibus cõglorificabimus. Videbimus distincta Angelorum officia, de quibus Greg. Novem dixit genera lapidum: quia nimirum ordines Angelorum sunt novem. Nam cum per sacra eloquia Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Virtutes, Principatus, Potestates, Cherubin & Seraphin aperta narratione memorantur, supernorum civium quantæ sint distinctiones ostenditur. Psal. 80. Esa. 6. v. 1. & 6. Dan. 10. v. 13. Rom. 8. v. 38. Eph. 1. v. 21. Eph. 3. v. 10. Col. 1. v. 16. 1. Thes. 4. v. 16. Jud. v. 9. Lege Athanas. Tom. 4. Videbimus substantias spirituales incorporeas, quas hic nemo unquam vidit, quales sunt, ideoq; velut & animæ nostræ describi nequeunt, quarum substantiarum speciem & terminum solus qui creator est novit. Damasc. Videbimus septem illos, de quorum nu-

mero est Raphaël, Tob. 12. v. 15. qui preces sanctorum ad Deum deferunt, atq; illius majestatis sanctæ sunt emissarij. Quod autem Angeli aliquoties in forma hominum apparuerint & coram hominibus comedere visi sint, Tob. 12. non factum est ad naturam & indigentiam, sed ad consvetudinem & familiaritatem cum hominibus contrahendam. August. Quod & advolare dicantur Dan. 10. & cum alis depingantur, velocissimum eorum motum denotat, quo in momento, modò hîc mox alibi præsentes, mandata Dei exequuntur. De eo autem quod sint puerorum & nostri Angeli, qui nobis quod jam demonstratum est hîc in terra inserviunt, & nihilominus affirmante hoc Christo, videant faciem Patris qui in cælis est, præsertim quod non singulariter, sed pluraliter velut & Matth. 6. v. 9. & Luc. 11. v. 2. loquatur Christus ἐν τοῖς οὐρανοῖς, notandum videtur, quod cælum triplex sit: primùm communis hæc vita in elementis, in hoc cælo omnes versantur mortales etiam non renati. Secundò Ecclesia quæ habitaculum est per aquam & spiritum renatorum. Tertiò æterni Patris domus, Johan. 14. quæ nullo loco circumscribitur, quod Deus sit ubiq; & Christus omnia impleat in omnibus. In hoc tertium cælum raptum fuisse Paulum, ibiq; audivisse ineffabilia verba legitur 2. Corinth. 12. v. 3. & 4. quamvis ipse nesciat an in corpore vel extra corpus fuerit. Adest itaq; Deus nobis in cælo Ecclesiæ, Matth. 18. & 28. invisibilis, visus tamen singulari revelatione Filius Dei Actor. 7. v. 56. Apoc. 1. v. 13. Adsunt quoq; nobis Angeli invisibiles dum hæc vita teritur, quamvis singulari revelatione visi sint Elisæi servo 2. Regum. 6. Danieli, Mariæ & alijs quam plurimis. Ubicunq; autem pro nobis militant & quocunq; in loco voluntatem Dei expediunt, ipsi qui sunt circumscripti spiritus ubiq; vident faciem Patris cælestis qui est in cælis, & Deum nobis præsentem, nobis invisibilem, ipsi nobis invisibiles, ubiq; visibilem intuentur. Huc astipulantur dicta Patrum: Gregor. in Homil. Angeli cum ad nos veniunt, sic exterius implent ministerium, ut tamen nunquam desint interius per contemplationem. Mittuntur

ergo

ergo & assistunt: quia etsi circumscriptus est angelicus spiritus, summus tamen spiritus ipse qui Deus est circumscriptus non est. Angeli itaq; & missi ante ipsum, quia quolibet missi veniant, ante ipsum currunt. Gregor. lib. 1. Moral. In hoc est natura angelica à naturæ nostræ conditione distincta, quod nos & loco circumscribimur, & cæcitatis ignorantia coarctamur. Angelorum verò spiritus loco quidem circumscribuntur, sed tamen eorum scientiæ longè super nos incomparabiliter dilatantur. Interius & exterius sciendo distincti sunt: Quoniam ipsum fontem scientiæ contemplantur. Augustin. Possunt ab Angelis, qui rebus quæ hic aguntur præsto sunt, audire aliquid præmissi, &c.

Dominica XVII. Post Trinitatis.

DE HYDROPICO A CHRISTO SANATO DIE SABBATHI.

Evangelium Luc. 14. à v. 1. usq; ad v. 12.

PRÆFATIO SUPPLEX.

COncio de convivio, cui Christus die Sabbathi in domo principis Pharisæorum interfuit, non propter fercula, panem & pocula ibidem apposita; sed propter spiritualem animæ cibum à Christo distributum nobis quotannis proponitur, ut sic fide & consolatione corroboretur anima nostra. Illis autem spiritualibus ferculis ut beati fruamur, humiliter orandus est Deus in nomine Jesu, ut emittat Spiritum suum & faciat nos idoneos. Pater noster, &c.

Exordium sumptum ex Propheta.

Esa. 11. v. 6. & 7. prædictum est, quod Jesus Christus Agnus Dei cum impijs accubabit, & conversabitur veluti cum lupis & pardis, & cum leonibus, super foramen aspidis & cavernam reguli. Idq; impletum esse ex hoc Evangelio perspicuum est, dum die Sabbathi in domo Pharisæi in convivio nuptiali invitatus fuit animo injuriandi, ut eum ceu contemtorem & violatorem Sabbathi è medio tollerent, optassentq; cibum & potum in mortiferum conversum fuisse venenum. Sic non solùm tempus passionis Christi, sed tota ejus vita crux atq; myrrha fuit fasciculus. Cant. 1. Habuit enim, ut Bernardus loquitur, in factis observatores, in verbis contradictores, in tormentis illusores, &c.

BREVIS SUMMA ET DISPOSITIO METRICA.

ROgatus en convivium
Christus frequentat hostium,
Editq; panem. Ferculum
Sed sermo Christi est optimum.
Docet quietem Sabbathi,
Et hydropicum miraculo
Sanat, tueturq; hoc opus,
Quod nec bovem quis negligat.
Cristas homo quid elevas?
Agnosce te, te supprime.
Deus superbos dejicit,
Deus modestos erigit.

TRIPLEX PER SANCTIFICATIONEM SABBATHI EX HOC EVANGELIO FELICITAS.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. *Quod quamvis non omnes, justo Dei judicio ebrietatis & aliorum*

mum scelerum pœnam luentes, laboremus hydrope, tympanite vel anasarca, miseri tamen mortales omnes simus spiritualiter hydropici, & peccatum ceu aquam ingurgitaverimus: Job. 15. dum Eva Adamum, hoc est, caro spiritum traxit, undè culpam sequitur fataliter angor.

Hydrops multos animarum morbos repræsentat. 1. Nimius crudus & noxius humor, lubricam carnis voluptatem & lasciviem designat. 2. Ardentissima sitis avaritiam denotat: quia avari quò magis eorum opes augentur, cò majori earum desiderio torquentur, ut sic plus potæ plus sitiantur aquæ, & multa possidentes plura sine mensura concupiscant. 3. Tumor & ventris inflatio superbiæ fastum nobis ob oculos ponit. Hæ tres horribiles portæ multos in perniciem & Gehennam ducunt, Esa. 5. v. 14. quorum quantus sit numerus vix quispiam recensebit. Per primam impuri & impudici descendunt. Galat. 5. v. 19. 1. Joh. 2. Omne quod est in mundo est aut concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia. Hieron. Quis gloriabitur castum se habere cor? quia & actibus & oculis, & nutibus, & cogitationibus verbisq; ita miseri homines delinquunt, ut si castum habeant fortasse corpus, non ideo tamen animum gerant pudicum. Per secundam ruunt avari, dum à minimo usq; ad maximum, Jer. 6. omnes student avaritiæ. Tertia tandem superbos rapit, quibus Deus semper resistit, 1. Pet. 5. eosq; imposito fine insolescentiæ, Esa. 12. dispergit. Luc. 1. Sed ad Christum medicum confugiendum est, ut verè pœnitentes effundamus ceu aquam cor nostrum ante Dominum. Thren. 2.

II. Quod Dominus Jesus sapientissimus sit cordium scrutator, Jer. 17. Job 2. qui ut pro misericordia sua exaudit antequã clamamus: Exod. 14. Esa. 65. ita pro omnipotentia sua tangit ut homo, sanat ut Deus, inquit Athan. Tamq; facilè quàm videt avertit à nobis mala quæq;, etiam ἐκθέσια, quæ peccatis nostris ipsimet contraximus, quò se verè Messiam esse declarat. Et tam bonus est, ut etiam pessimos hostes suos, qui ipsum ferali odio ne ipsa quidem morte exsatiato persequantur, conversos cupiat, ideo se ipsis adjungit, cum ipsis accumbit,

& salutem eorum esurit: quia hic cibus ejus est, quo ipsi nihil suavius aut magis sapidum, ut faciat voluntatem Patris. Joh. 4. Pharisæi Christo dira moliuntur, at Christus eos cupit conversos. Illi tendunt Christo retia, sed Christus benefacit verbis & operibus, illi dolosè subornant hydropicum, Christus autem penetrat potenter, & rectè factum defendit magis concionator, quàm convivator. Aderitq; nobis nomen ejus invocantibus: quia beneplacitum est Domino super timentes eum, & sperantes in bonitate ejus. Psal. 147. v. 15. Si inimicos non contemnit, sanè amicis se benevolum præbebit, quibus etiam dormientibus benefacit. Psal. 127.

III. Quod velit misericordiam Deus præ sacrificio, Ose. 6. Matth. 12. Marc. 2. & moralia præferenda sint ceremonialibus: siquidem Sol justitiæ supra caput nostrum constitutus umbras dimovit, & regula firma manet, cum duæ leges concurrunt, altera de ceremonia, altera de necessario officio dilectionis, cedit ceremonia dilectioni extra casum confessionis: Quia Sabbathum factum est propter hominem. Sic Apostoli comedentes spicas die Sabbathi, teste Christo, non egerunt impiè. Sic nec Israël in deserto ad 40. Annos negligens circumcisionem, Abrahæ sub pœna condemnationis mandatam: siquidem peregrinandum & militandum erat. Nec David panes propositionis solis sacerdotibus deputatos in casu necessitatis urgente fame comedens legem violavit. 1. Sam. 21. Sed ô miranda Pharisæorum perversitas, qui bovem suum magis quàm hominem amarunt, & legem charitatis erga bruta animantia, non erga homines servandam decreverunt. Sicut inter nos quoq; plurimi magis de jumentis, quàm de salute animarum solliciti sunt præsertim in pueris & servis, ut non immeritò Bernard. scribat: Ægrotat equus & quæritur remedium, periclitatur subditus & dissimulatur. Cadit asinus & est qui sublevet, perit anima & non est qui recogitet.

II.
Fructus Fidei Triplex.

I. Ut

I. Ut piè ac honestè instituamus & frequentemus convivia, sic ut hospes per orationem invitet Christum, Joh. 2. & Christi loco pauperes, Syr. 14. Matt. 25. Luc. 14. v. 13. verbiq; ministros pacis legatos. Ebr. 13. Cõvivæ porrò non accedãt nisi legitimè vocati, & in capienda sede modesti. Utriq; tandẽ tam hospes quàm hospites inter convivandum respiciant ad corpus & animam, ut illud cibo & potu non gravetur, sed comedamus cum Christo panem necessitatis non voluptatis, Justin. quantum pijs utile est, & pudicos decet; Tertull. ne plenus venter despumet in libidines. Syr. 31. v. 23. Hæc autem ad Deum omnis boni largitorem se convertat, juxta hunc ordinem. 1. Ad mensam orandum est, ut omnia sanctificentur per verbum Dei & preces. 2. Temperanter edendum ac bibendum est nec ad vomitum usq; ingurgitandum. Seneca: Non mirare morbos, sed mirare coquos, quot fercula tot morbi. Cum enim multi graves morbi abstinentiâ, juxta Hyppocratem, curandi essent, intemperantia morborum nutricula est, & Plato admiratus fuit homines vivere posse qui cœnarent. 3. Postquam epulis exemta fames gratiæ sunt agendæ Deo, & adjungenda pia cantica. 4. Sancta instituenda sunt colloquia. Syr. 38. Eph. 5. Col. 4. Nec quis alium vel absentem dictis arrodat. August. Psal. 28. 55. 62. De ejusmodi pijs convivijs legatur Gen. 18. Jud. 14. Tob. 9. 1. Reg. 10. Quin etiam Gentes varijs adhibitis objectis & pijs meditationibus convivia sua decorarunt, quod de Agathocle, Philippo Macedone, de Regibus Ægyptiorum & Lacedæmoniorum, nec non de principibus Indiæ eorumq; bellarijs memoriæ proditum est. Et in Synodo Chalcedon. statutum fuit, ut in spiritualium præsertim conventibus inter ferculà aliquid è sacris prælegatur: per hoc enim animæ ædificantur & fabulæ prohibentur. Nec nos Christiani mutis destituimur præceptoribus, quales sunt flores, vitra & candelæ, quæ mortis & vitæ memoriam nobis refricant. 5. Maturè ubi sentimus potu nos incalescere discedendum est: ebrietas enim mala plurima designat, & crapulam comitantur paupertas, ægritudo & comdemnatio.

Prov. 23.

Prov. 23. v. 21. & 29. Legantur historiæ de Nabal 1. Samuel. 25. Belthasar Dan. 5. Holoferne Judith. 12. & 13. &c. Crudelia convivia describuntur: 2. Sam. 11. ubi Urias morti exponitur. 2. Sam. 17. ubi Absalon ad patris exemplum cadit Ammon. 1. Mac. 16. Et de Domitiano scriptum extat: Nulli magis creabat periculum, quàm quem blandè compellabat, & amicè invitabat. Inter pocula quoq; Clytum Alexander interfecit. Curt. 6. Si modum quis excessit, Deumq;, quod ebrietatis fructus est, verbis & factis offendit, manè humiliter deprecandum est. Trepidat quidem homo quia ejusmodi peccatum duplici pœna dignum est, sed fugiendum est, non à Deo, potius ad ipsum confugiendum. Sic Job. cap. 1. pro filijs, qui tandem in convivio perierunt, holocausta obtulit: quoniam commessationes sine transgressionibus vix transiguntur.

II. Ut diem Sabbathi sanctificemus: Quoniam Dominus die Sabbathi non solùm omne servile opus prohibuit, sed ne ignem quidem in domibus accendere, nec Manna in deserto ad vescendum colligere permisit, dum die præcedente, ut & in Sabbatho annorum duplum dedit. Æquum est ut nos quoq; qui sex diebus corpori servimus, unam animæ saluti impendamus. Quanta cura Deus Sabbathi religionem commendarit legatur Gen. 2. Exod. 20. & 32. Jerem. 17. Quanta reverentia Judæi ipsum observarunt legatur Num. 15. apud Nehemiam & 1. Mac. 2. Baptista Fulgosius author est, in terra Sancta extitisse fluvium, cujus aqua diebus Sabbathi solito more non flueret, unde & ipse Sabbatus sit appellatus. Sic ergo singulari miraculo Sabbathi religionem Deus confirmavit.

Finis Sanctificationis Sabbathi Triplex est.

1. Finis, ut Deus glorificetur. 1. Ut in gratiarum actione & divinæ bonitatis prædicatione studium nostrum collocemus, ponderando Sabbathum creationis, & admirandam rerum fabricam sex diebus absolutam, & perpetuam providentiam ac virtutem, qua Deus ea quæ initio mundi condidit, ne deficiant, sustinet & conservat.

Nec unquam ab hominibus juvandis varijsq; beneficijs ornandis conquiescit, dum cælos & sydera torquet, & elementa fœcundat. Nec non studiosè inquirendo, in cujus rei gratiam sapientissimus artifex Deus hoc pulcherrimum mundi opus molitus sit. Certè non sibi quia nulla re indiget, neq; Angelis qui corporis expertes sunt, neq; brutis ratione carentibus, sed in hominis gratiam tanta fabrica edita est, ut ipsi omnia deserviant. Non autem ut ipse in hoc mundo ludat, ocietur, voluptates, injurias, rapinas sectetur; sed ex conditis conditorem suum agnoscat, diligat ac prædicet, aliàs homo frustra vivit, frustra Sol ipsi lucet & terra germinat, frustra mare commeatum præbet: quia sicut fur & latro domini sui stipendijs fruitur, cui debitum honoris & obsequij pensum non exsolvit. Ut si discendi causa non sine magnis sumtibus in Academiam missus Veneri & Baccho inserviat, nec scholam ingrediatur. August. Sic utendum est mundo ut fruamur Deo. 2. Gratissimo animo considerandum est Sabbathum Redemtionis, quo requievit Christus in sepulchro. 3. Sabbathum vitæ æternæ, Esa. 66. Ebr. 4. ponderandum, quærendum & firma fide expectandum est.

2. Finis, ut promoveatur salus animæ nostræ. 1. Docendo, audiendo, & observando verbum Dei, ut omnia membra nostra hoc agant, & hunc diem cum Alphonso pluris faciamus, quàm mille victorias. 2. Orando conjunctis viribus, ut hoc Elisæi oleum, 1. Reg. 4. feliciter manet. 3. Communicando in Christi commemorationem, ut sic Deus nobis benedicat, Exod. 20. Ezech. 17. & 20. & Fides capiat incrementum.

3. Finis, ut proximo exhibeatur misericordia, & exerceamus opera dilectionis, ut etiam sub concione agonizantes, parturientes, & alios in angustia constitutos visitemus, & proximo feramus opem. August. Minus peccatum est die Dominico arare quàm ludere.

Quæ tamen opera die Sabbathi concessa, ne alicubi fingatur necessitas, hisce tribus verbis à pia vetustate comprehensa sunt: { *Pietas, Necessitas, Paucitas.*

Ejusmodi pijs operibus & religiosa Sabbathi sanctificatione, quod annotarunt Rabini veteres, adeò offensi fuerunt Diaboli, ut eo die nullus in populi frequẽtia unquam permanserit, sed omnes ab infestatione hominum cessaverint, hominibusq; relictis ad deserta & speluncas effugerint.

Sed quoniam Sabbathi dies ad legis ceremonias spectabat, ipse à Christianis propter dominicæ resurrectionis memoriam in diem Solis seu dominicum translatus est. August. Serm. 251. Nec liberum est magistratui impio subditos hoc die ad opera servilia compellere: debet enim homo hoc die animæ saluti vacare, contractas cæteris diebus peccatorũ sordes expiare, & omißis terrenis cælestia quærere. Sed, quod copiosis lachrymis deplorandum est, Christiani in Ecclesia usq; adeò consilium Dei inverterunt, ut nullo die plura quàm hoc die peccata consummentur: dum filij hujus seculi hunc diem ad epulas & pocula, ad ludos & scortationes præstolantur. Et faciunt malum in oculis Domini, Esa. 65. unde ignis accenditur sub portis eorum, Jerem. 17. & dißperguntur inter Gentes. Levit. 16.

III. Ut humiliemus nos sub potenti manu Dei, Syr. 10. & 19. Luc. 18. 1. Pet. 5. qui humilibus dat gratiam suam, eosq; vel in hac vel in futura vita certè extollit.

Triplex fructus humilitatis,

1. Coram Deo: quia ipse habitat in corde humili. Esa. 57. 66. Luc. 2.

2. Coram hominibus: quia in pretio sunt humiles apud bonos quoscunq;.

3. In seipsis: quia humilitas mater est pudicitiæ, via ad sapientiam, Prov. 11. placet Deo oratio humiliantis se, Psal. 101, & ipsorum est regnum Dei. Matth. 5. Sicut ferrum in fornace mollitum ad quamvis formam fingitur: ita humilitas animum mollit, ut reliquarum virtutum studio sese addicat.

Aliàs, juxta Prudentium, magna cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur, Ezech. 21. quod David populum numerans, &

Saul

Saul devictis Amalechitis suo nos docent Exemplo. Philippus autem Rex Macedonum cum Athenienses bello superasset, animum victoria se efferentem ratione compescuit, seq; cotidie oriente Mutata per puerum à somno excitari instituit his verbis: Surge Rex & memento te esse hominem. Augustin. Altissimus est Deus, erigis te fugit à te, humilias te, venit ad te. Bernard. Quem sequimini filij Adam, quem sequimini? Nonne videtis Satanam sicut fulgur de calo cadentem? si ille de tanta sublimitate superbiens cecidit, quomodo tu superbiens de tanta vilitate in altum ascendes? Quicunq; ergo à Deo vocatur ad nuptias Agni 1. captivam teneat rationem suam, & credat Evangelio. 2. Cor. 4. 2. Agnoscat indignitatem & infirmitatem suam. Quid fuimus ante ortum? Semen & sanguis. Quid sumus ab ortu ad occasum? Exules in deserto hujus vitæ. Quid futuri post hanc vitam? Esca vermium. 3 Magnifaciat illos quibus Deus majora dona contribuit, nec despiciat minores: qui enim minoribus videntur donis instructi, sæpe majorem operam præstant Ecclesiæ & reipublicæ, potestq; Deus auferre dona sua si ijs abutamur. 4. Subijciat se voluntati divinæ. Act. 9. Domine quid vis ut faciam? fugiatq; illos qui, Jer. 44. ajunt, nolumus obtemperare. 5. Non aspiret leviter ad altiora, Syr. 3. nisi ipse Deus per legitima media dicat: Ascende superius. Luc. 14. 6. In omnibus probet humilitatem, 1. Cor. 4. & 15. nec insurgat olla contra figulum.

III.

Triumphus Fidei Triplex.

I. Quod in novissimo conventu, in solennitate nuptiarum Agni, Apocal. 19. v. 7. apparebimus cum hoc hydropico & omnibus fide imbutis coram Christo, atq; spectante Satana & omnibus assecl is ejus ab hydrope & omni infirmitate renovabimur, Christoq; medico restituemur in integrum. Nec peccati in nobis amplius hærebit deformitas, sed Christus nova faciet omnia, sicut h. l. in momento mu-

tata, purgata, reformata & restituta tota corporis constitutione sanavit hydropicum.

II. Quod Sabbathum in vita æterna nobis erit perpetuum, Esa. 66. v. 23. Ebr. 4. & requies optatissima. Gaudent hic quidem contriti, defatigati, & salutis amore incensi ubi ingruit dies Sabbathi seu Dominicus, ut consolatione, requie, & institutione fruantur. Sed hæc facilè mutantur, & sæpe contra spem in deterius vergunt. Hîc requies non invenitur in conventibus, nec apud Magnates, dum nec ipse Christus apud Pharisæos pace fruitur; sed in domibus impiorum labor est, Psal. 55. & vermis malæ conscientiæ. Nec in convivijs poculisq; ferculis & vitris, ubi quidem gaudent ad tempus exiguum invitati, ac sæpius evigilatur cũ gemitu multo. Neo in nobis ipsis, quia filij iræ sumus, Eph. 2. in quibus nihil boni. Rom. 7. Sed apud Christum reperitur pax & requies: quia nobiscum est Psal. 23. & in cœna Agni vera recreatio, & in vitæ æternæ felicitate perpetua nihil mutationi erit obnoxium.

Vita labor nostra est: sed tandem redditur illis
Vera quies Christo qui didicere mori.

Quia dies Dominicus non mutabitur velut modò inter mortales in diem scelerum, ad quem vitæ intemperantia præcipuè reservatur. Nec puellæ se velut hic naturæ colorem adulterando ut formosius Satanæ laqueus efficiantur, coment, ut propter speciem earum multi pereant, Eccles. 9. sed ornatum ex Deo habebimus per Christum cælestem splendidissimum.

Notentur hoc loco conjecturæ ex sacris piæ de sex millibus annorum & traditione domus Eliæ, cujus verba hæc sunt: Sex mille annorum mundus & deinde conflagratio. Duo millia inane, duo millia lex Mosis, duo millia dies Messiæ. Sed de his abbreviabuntur qui abbreviabuntur. Matth. 24. Iren. Quot diebus factus est hic mundus, tot & mille annis consummabitur: quia mille anni apud Dominum sunt dies unus. Psal. 90 2. Pet. 3. Sicut ergo sex Patriarchæ mortui sunt, septimus Enoh, Gen. 5. vivus in cælum sublatus est: Sic elapso

elapso hujus mundi tempore mortui surgemus, & cum illis qui supererunt mutatis obvij Christo beatis inferemur sedibus. Sicut sex diebus laboribus insudamus, Exod. 23. v. 12. septimo & quidem maturius feriamur: ita finitis hujus ævi diebus æternas habebimus ferias. Sicut Exod. 16. sex diebus colligitur Manna, & sexto die collegerunt panem duplicem: v. 12. sic in fine mundi modò copiosè distribuitur Manna Evangelij, ut liberemur ab æterna fame, reservetur q. in custodiam pro Sabbatho perpetuo. Sed post hanc vitam Manna cælestis, quæ est Christus non amplius colligetur. Luc. 16. Matth. 25. Sicut exod. 21. v. 2. mandatur Judæis ut anno septimo manu mittant servos, eiq. egrediantur liberi gratis: Sic totum genus humanum 6000. mille annis erit sub servitute peccati, mortis & Satanæ, sed his elapsis Electi liberabuntur, qua spe nec res creatæ destituuntur. Rom. 8. v. 19. ad 23. Sicut Exod. 23. v. 10. Lev. 25. v. 3. præcipitur Judæis, ut sex annis serant terram & colligant proventum ejus, in septimo autem quiescat: ita sex mille annis laborandum erit in mundo, postea terra à maledictione erit libera, nec amplius producet spinas & tribulos. Sicut Levit. 25. v. 8. numeratis septem annorum Sabbathis, id est, septem annis septem vicibus proximè sequens quinquagesimus constituitur Jubilæus, quo redibant fundi & possessiones oppignoratæ ad dominos suos: sic reddetur nobis possessio in cælesti Paradiso, quia post 6. dies, Matth. 17. Christus in Thabor transformatus nos assumet.

III. *Quod si in vera animi & animæ humilitate Deo nos subjecerimus in vita cælesti cum Angelis & Electis exaltabimur, coronabitq. nos Deus gloria & majestate. Psal. 8. Quæ singula pueri nostri verè præguſtant, qui si sermo de vita æterna incidat, omnia aurea, regia & eburnea proclamant. Bernard. O Felix humilitas quæ Dei ad se trahit clementiam & cæli gloriam.*

Dominica XVIII. Post Trinitatis.

DE PRÆCEPTO PRIMARIO IN LEGE, ET CHRISTO FILIO DAVIDIS.

Evangelium Mat 22. à v. 34 usq; ad fin. cap.

PRÆFATIO SUPPLEX.

IN nomine Jesu Christi, qui obturavit os Saducæorum probando, quod verè resurgent mortui, suppliciter invocabimus Deum patrem, ut per Spiritum sanctum mea aperiat labia, meam dirigat linguam, sic ut os meum per explicationem Evangelij annunciet laudes ejus. Idem spiritus vobis aures & corda pandat atq; illuminet, ut confirmati in fide, quod Jesus Christus filius Davidis sit Salvator noster, ex toto mecum corde Deum diligatis, & post vitam hanc in fraterna charitate honestè transactam expectemus lætissimam resurrectionem, propter CHRISTUM. Pater noster, &c.

Exordium Propheticum.

Psal. 2. v. 2. Consilium capiunt pariter adversus Jehovam, & adversus Christum ejus, qui Psal. 31. v. 11. prædixit: Anni mei in gemitibus: Si enim Salvatoris vitam penitius consideramus, planè illa fuit mera crux & laborum perpessio, dum præsepij duritiem, stabuli vilitatem, matris inopiam, Herodis odium & Ægypti exilium expertus est, multos labores subijt, itinera plurima confecit, jejunijs attenuatus & inimicorum opprobijs lacessitus est, qui ipsum Samaritanum, maleficum, insanum & obsessum, voracem ac potatorem, publicanorum & peccatorum amicum, legis & Sabbathi violatorem, blasphemum nuncuparunt, tendiculasq; & insidias struxerunt.

xerunt. Sic non solùm dies passionis; sed tota vita Christi crux fuit acerbissima. Unde Cant. 1. fasciculus myrrhæ appellatur, habuitq; ut Bernard. ait, in factis observatores, in verbis contradictores, & in tormentis illusores. Ipse autem quæsivit sui cognitione, Esa. 35. suam ostendens personam & officium, ipsos salvos facere.

PERIOCHA ET DISPOSITIO METRICA.

DEI probans resurgere
Virtute magna mortuos
Increduli Christus gregis
Obstruxit os turpissimum.
Mox Pharisæi interrogant,
In lege quid sit maximum,
Dei quod est dilectio,
Fraterna deinde charitas.
Sed lex jubens cum non juvet,
Davide natus & Deo
Christus subactis hostibus
Vitam tulit credentibus.

TRIA EX HOC TEXTU PARTIM IN HAC VITA CREDENDA ET PRÆSTANDA, PARTIM IN FUTURA CUM GAUDIO EXPECTANDA.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. Quod semper fuerint hæretici, 1. Cor. 11. v. 19. & zizania mixta tritico cœlesti, Matth. 13. v. 25. ut in domo Adami, in diebus Eliæ, 1. Reg. 19. v. 10. & in beatissimo seculo cum ipse filius Dei doctrinam miraculis confirmaret. Unde Simeon Christum, Luc. 2. Signum apellavit cui contradiceretur, quod & Paulo ab incredulis objicitur Actor. 28. v. 22. Legatur Josephus, lib. 3. Antiquit. cap. 8. & lib. 2. de bello Judaico cap. 6.

1. Sa-

Triplex hæresis post tempora Macabæorum.

1. *Saducæorum qui meri Epicurei resurrectionem mortuorum & judicium negabant, Sap. 2. Actorum. 5. 2. Pet. 2. & preces ac jejunia Phariſæorum explodebant.*

2. *Phariſæorum qui Meßiam expectabant Monarcham mundanum, legem affirmabant eſſe poſſibilem, & delictorum expiationem quærebant in victimis & oblationibus.*

3. *Eſſæorum, qui hortorum in locis deſertis cultores conjugium reprobabant, mitiores erga Chriſtum, & facultates volebant eſſe communes.*

Triplex laqueus Satanæ.

1. *Proſopolepſia quod eſſent templi ſacerdotes, penes quos norma loquendi, Pſa. 12. & 73. Jer. 18. v. 18. contra admonitionem Syr. 10. Matth. 24. & Gal. 1.*

2. *Concordia hypocritica in converſatione, cum doctrina eſſet planè diverſa, ſed Chriſto docente ſæviunt.*

3. *Mutatio ſcripturæ, dum Saducæi ſolum retinebant Pentateuchum, & Phariſæi neglecto Chriſto ſolam legem.*

Triplex error de de vita æterna.

1. *An ſit? quod Saducæi negabant.*

2. *Quid ſit? quod Phariſæi non attendebant. Joh. 17. v. 3. Rom. 6. v. 23.*

3. *Quomodo ad eam perveniatur? non quidem per legem ſed per fidem in Chriſtum. De quo Phariſæi turpiter errabant.*

Sic in Papatu denſiſſimæ fuerunt tenebræ regnavitq; Satan in pace, Luc. 11. & modò reformationem ſuo more paſſim machinantur hæritici, minaturq; Brachium ſeculare, & audiuntur ſchismata. Sed tamen quod per Eſaiam, cap. 40. v. 8. promiſit, quod Chriſtus repetivit Matth. 24. v. 35. ſermonem ſuum conſervabit Deus, ut pereunte etiam cælo & terra maneat in æternum. Ne ergo moveat nos diſcordia & rixæ docentium, nec tot ſcripta polemica; ſed verbũ Dei ſit nobis lucerna, Pſ. 119. & repugnaculum, ceu Chriſtus h. l. Exod. 3.

Exod. 3. Lev. 19. Deut. 6. & Psal. 110. contra hostes suos allegavit. Agamus autem Deo gratias pro luce Evangelij orantes:

Serva Deus verbum tuum.
Et frange vires hostium.

Ambulemusq; donec lucem habemus, ne nos tenebræ obruant. Joh. 12. v. 35. Rom. 13. v. 12.

II. *Quod Jesus Christus sit Filius Dei, Davidisq; filius, 2. Samuel. 7. Psal. 132. Esa. 11. & Dominus, cui flectentur omnia genua: Rom. 14. Phil. 2. quia heros est geminæ substantiæ, quod David in spiritu, & nos eodem magistro, 1. Cor. 12. v. 3. agnoscimus. Estq; hæc summa sapientia. Matth. 11. & 16. Joh. 17.*

Christus Davidis Dominus ratione

1. *Creationis: quia natura Deus est, qui Davidem & nos, & omnia cum Patre ac Spiritu sancto creavit.*
2. *Redemtionis: quia solus torcular calcavit. Esa. 63.*
3. *Sanctificationis: quia ille Davidi & nobis largitur Spiritum sanctum.*
4. *Regni & Sacerdotij.*
5. *Sessionis ad dextram Dei, qua æqualem cum Deo habet potestatem. Cyrill.*
6. *Judicij, coram quo David & nos omnes comparebimus.*

III. *Quod Jesus Christus Davidis juxta carnem filius receptus sit in consortium Trinitatis, cumq; juxta divinam naturam esset Dextra Dei, per quam omnia facta sunt, ad eandem per unionem personalem elevatus & die ascensionis collocatus sit: ita ut juxta humanam naturam, cum divina conjunctam ipsi omnia subjecta sint, Psal. 8. & omnis data potestas, Matth. 28. & nomen maximum, Philip. 2. cunctis adorandum, posueritq; omnes inimicos suos scabellum pedum suorum. Psal. 110.*

1. *Liberet populum suum, Matth. 2. & tollat peccatum. Dan. 9. 1. Joh. 3. v. 5.*

Officium Christi Dei & Davidis filij, quod

2. Serpentem conterat, Gen. 3. & opera Satanæ dissolvat. Luc. 11. 1. Joh. 3. v. 8.

3. Mortem absorbeat in victoria, Esa. 25. 1. Cor. 15. captivam ducat captivitatem. Psal. 68. Ephes. 4. & redimat captivos per sanguinem Testamenti. Zach. 9.

II.

Fructus Fidei Triplex.

I. *Ut inflammato studio supra honores, opes, vitam & nomen, amicos & omnia diligamus Dominum Deum nostrum, Deut. 6. v. 5. ex toto corde & tota anima juxta primam tabulam, qua Deus à nobis cor ipsum & linguam, & obedientiam singulorum membrorum postulat. Ut ambulemus in præceptis ejus, Psal. 1. sitq; verbum ejus in corde nostro, Deut. 6. v. 6. 7. & servemus sermonem ejus: Joh. 14. v. 15. 24. &c. dilectioni Dei enim conjuncta est divinorum mandatorum obedientia, Deut. 7. v. 7. Deut. 13. v. 1. 2. 3. ut ipsi placere, & voluntati ejus obsequi desideremus. Non ergo dilexerunt Deum Achan, Jos. 7. Saul, 1. Sam. 15. milites Judæi: 2. Mac. 12. quia deliquerunt contra expressum Dei mandatum tollendo aurum & alias res pretiosas. Dicamus autem cum Augustino: Quis ego sum Domine ut te à me amari jubeas, & nisi id fecero mineris mihi grandes miserias? parvane est hæc miseria ipsa si non amem te?*

Diligendus Deus est 1. Si diligit homo se ipsum & vitam suam, propter quam tuendam sæpe matres, ut in obsidione Samariæ & vastatione Hierosol. abjecto naturæ sensu filiorum carnes comederunt: multò magis diliget Deum per quem est, movetur, & intelligit, Act. 17. qui est vitæ nostræ vita, & anima animæ nostræ. 2. Si filij debito amore parentes prosequuntur, à quibus corpus habent mortale, caducum & miserijs obnoxium: quid non debemus Patri cælesti? qui non modò nos condidit, sed etiam conditos conservat. Dan. 5. 3. Si justitiæ debitum attendimus, nulli magis amor noster quàm Deo debetur. Si beneficia spectamus, nullius beneficia majora sunt. Si ami-

amicitiam, nulla dilectio major est quàm quod vitam posuerit, Johan. 5. pro hostibus. Rom. 5. Si bonitas, si pulchritudo amorem excitat, illa sunt incomprehensibilia. Psal. 45. Si amor pretio emitur, nemo majus pretium exposuit. 1. Pet. 2. Si amor extorquendus est, ille qui Dominum Jesum non amat fulmine excommunicationis, 1. Cor. 6. maranatha est.

Porrò juxta secundam tabulam nec aliter affecti simus erga proximum, quàm erga nosmet ipsos, sive amicus sit sive inimicus: Luc. 6. nam quicunq; divini amoris igne flagrat, nec Christum oleo nardi lavare, Luc. 7. aut cum Martha hospitio excipere, cum Zachæo, Luc. 19. invitare potest, Christi loco verbi ministris, Matth. 10. pueris, Mat. 18. & pauperibus, Matth. 25. amoris & humanitatis officia exhibeat, ne odiũ fratris arguat ipsum mendacij: 1. Joh. 4. quod præsens rerum conspectus amoris & commiserationis affectum excitare potissimum soleat, finisq; præcepti sit charitas de corde puro, 1. Tim. 1. modò fiat non linguâ tantùm & verbis, sed opere. 1. Joh. 4. Qui proximum diligit legem implevit, Rom. 13. dum omnia in hoc præcepto continentur, Dilige proximum velut te ipsum. Et charitatis definitio extat 1. Cor. 13. v. 4. ad 8. qua præsente prosunt omnia, detracta autem nil prosunt cætera.

II. Ut nos ad Decalogum probemus, & nostram agnoscamus imbecillitatem, quod diligendo Deum & proximum legi satisfacere nequeamus, similes utiq; horologio fracto. Job. 9. 14. 15. Proverb. 15. Gal. 6. Testes sunt 1. Sacra scriptura. Psal. 14. v. 3. Psal. 51. Psal. 130. v. 3. Psal. 143. v. 3. Rom. 8. 2. Conscientia nostra: quia citò labimur, & nostram obedientiam esse imperfectam experimur. 3. Judicium Dei: quia infantulos morbis & morti, quod indolentes experimur, objectos haud affligit injustè.

Nec tamen dicamus, quod impossibilia præcipiendo Deus nos oneret ultra vires, 1. Corinth. 10. neq; quod lex sit possibilis: quoniam utrumq; cadit in maledictos. Hieron. Maledictus qui dixerit Deum impossibilia præcepisse, scil. primis parentibus ante lapsum. Et

maledictus qui dixerit legem esse possibilem, sc. homini in naturâ corrupta. Sic ubi distinguuntur tempora conciliatur scriptura. Et creditor justè debitum exigit, licèt debitor acceptum leviter amiserit, aut turpiter dissipaverit. Justaq; exactione nos Deus humiliat, ut paupertatem cui propriâ culpa involuti sumus ex lege agnoscentes, non ex operibus quæ fecimus ipsi; sed per misericordiam Dei in Jesu Christo nos salvari discamus.

Secundus hic ex hoc textu Fidei fructus de tribus monet. 1. Legem Moralem per Christum non esse abolitam vel dissolutam, sed quod ne jota unum aut apex unus præterierit ex lege, Matth. 5. v. 17. 18. quam Christus implevit, quæq; per fidem stabilitur, Rom. 3. & perpetua atq; immota Dei voluntas est, juxta quam etiam à mortuis excitati Deo obedientiam declarabimus. 2. Legem Pharisaicè non esse extenuandam, quasi eam proprijs viribus possimus implere, cum non sit nobis perfectum cor, nec pura anima. Luc. 18. v. 11. Luc. 19. v. 21. Rom. 10 Moses describit justitiam quæ est ex lege his verbis Lev. 18. Qui fecerit ea homo, per ea vivit. At quæ ex fide est justitia, ita dicit: Si confessus fueris ore Dominum Jesum, & credideris in corde tuo, quod Deus illum excitaverit à mortuis, salvus eris. 3. Legem non esse abijciendam quasi inutilem: quoniam maximos habet in vitâ Christiana usus, quapropter cotidie manè ac vesperi ponderanda est.

Usus legis triplex, ut

1. Doceat quàm excellens fuerit natura ante lapsum, & quàm imbecilles modò simus, & quàm perfecti erimus in vita æterna excitati ad imaginem Christi. Psal. 17.

2. Conversis sit regula vivendi, docens, quod sit Deus, qualis sit, & quosnam requirat fidei fructus.

3. In horum defectu sit Pædagogus noster, Gal. 3. v. 24. quo ex fide justificemur per & propter Christum.

III. Ut, cognito ex lege peccato, cum neq; apud Angelos, neq; apud Mosen, neq; apud Sanctos præmissos inveniatur recreatio, ad Christum confugiamus, qui nos redemit ab execratione legis, dum pro

pro nobis factus est maledictum. Galat. 3. v. 13. Deuter. 21. v. 23.

Christus namq; 1. Maculas peccati nostri suo sanguine abluit, Psal. 51. 1. Cor. 6. 1. Joh. 1. quas nobis Lex ceu speculum monstrat, sed non abstergit. 2. Vulnera nostra medicorum magister sanat, Esa. 63. Luc. 10. de quibus lex inflictis tectè monet, sed non curat. 3. Debiti nostri, quod nobis erit contrarium, delevit chirographum, Col. 2. v. 14. cum lex tantùm postulet, ostendatq; quàm iniqui simus quæstores, qui thesaurum nobis à Deo concreditum dispersimus, ut ergo cum per nos non valeamus, per alium simus solvendo.

Ubi ergo Lex propter decem talenta accusat, & terrefactos condemnat, nos in Evangelio quæramus misericordiam, liberationem à peccatis & justitiam, occinentes hostibus nostris: Quid tibi videtur de Christo? 1. Quod ad legem, Christus legi subjectus eam pro nobis implevit, ut nos adoptaremur. Galat. 4. Quis ergo nos accusabit? Rom. 8. Christus Patrem dilexit perfectissimè ex toto corde, Psal. 40. Matth. 26. Phil. 2. nec quid fecit injustè, Luc. 23. nec inventus est dolus in ore ejus. Esa. 53. Nemo potuit ipsum arguere. Joh. 8. Hinc unius obedientia salvamur. 1. Cor. 15. 2. Quod ad peccatum, Christus portavit iniquitates nostras, casus pro nobis, Esa. 53. & jurat Christus se non delectari morte peccatoris. Ezech. 33. Ideo nos vocat, Matth. 11. ad pœnitentiam, Es. 45. & gaudet: Luc. 15. quia nos dilexit Joh. 3. Eph. 2. venit propter nos, Matt. 18. salvare nos, 1. Tim. 2. & satisfecit, Col. 2. Agnus Dei, Joh. 1 lavans nos, 1. Joh. 2. per vulnera ejus sanati sumus. Esa. 53. 3. Quod ad iram Dei, Christus illâ onustus guttas concreti sanguinis sudavit. 4. Quod ad mortem, Christus mors mortis est. Ose. 13. Joh. 8. Act. 7 1. Thes. 4. 2. Tim. 1. 5. Quod ad Satanam, Christus caput ejus contrivit. Gen. 3. Matth. 8. 1. Joh. 3. 6. Quod ad infernum, Christus eò descendit. Euseb. lib. 1. cap. ult.

III.

Finis & Tripudium Fidei Triplex.

I. Ex Responso Christi, quo obturavit os Saducæorum. Quod Deus

sit Deus viventium, Exod. 3. v. 6. & 15. in quo nos cum patribus Abrahamo, Isac, Jacob, cum Davide & omnibus Electis vivemus in regione immortalium. Psal. 17. Idq; cum per legis regulam, Fac hoc & vives, non assequamur, donatur nobis propter meritum Jesu Christi per fidem: Quod enim operum lex minando imperat, hoc fidei lex credendo impetrat. August.

Triplex gaudium ex hoc triumpho, quod

1. Præmissi amissi non sint, sed animæ vivant, Sap. 3. & 5. Esa. 26. Apoc. 7. in Paradisi delicijs.

2. Corpus, caput & membra passim à mundo, Mich. 7. Matth. 10. & à nobismet ipsis per sollicitudines, Matt. 6. afflicta, per quietem in sepulchris recreentur ad certos annos nec sentiant vermes à quibus roduntur.

3. Pro omnipotentiâ, justitia & gloria Dei animæ jungentur corporibus, teste Jobo cap. 19. Daniele cap. 12. Christo, Joh. 5. & cognatam carnem recipiemus, ceu semina jacta virescunt. Joh. 12. Et fruemur conspectu Dei, Christo, Phil. 3. & Angelis, Matth. 22. similes.

II. Quod in resurrectione mortuorum nullus de conjugio iterando erit sermo, nullæ de secundis nuptijs contentiones, nec carnalis cohabitatio. Non enim contrahemus matrimonium neq; elocabimur: Matth. 22. v. 30. 1. Quia non uremur, ergo nec uxores ducemus, nec nuptum dabimur. 2. Cor. 7. 2. Non deficiet Electus, ergo nec erit generatio. 3. Non erit œconomica, ergo nec quis indigebit adjutorio. In hac vita dolor & angustia nos circumdant, penuria & morbi nos invadunt, degenerat soboles & per varia pericula trahimus hoc ævum quodcunq; est. Evolvantur historiæ Jacobi, Jobis & Davidis. Abraham itaq; senex & adjutorio potissimum indigens defuncta Sara duxit aliam uxorem Ceturam. Gen. 25. v. 1. Sed in futura vita merum erit gaudium, nec mors Jacobo uxorem, Benoni matrem abripiet. Licetq; Paulus 1. Tim. 5. v. 14. velit juniores viduas nubere, & liberos gignere, non certabunt tamen de uxoribus mariti, neq; de maritis fœminæ, sed jam in cælo collecti simul gratias agent Deo

1. Pro

1. Pro felici conjugio, quod conjugia verè sint fatalia. 2. Pro thoro immaculato & conversatione pudica, quæ insigne donum est Spiritus sancti. Ebr. 13. 3. Pro sobole data, piè educata & ad Christum adducta.

III. Quod Christus victor, non tantùm suos & nostros hostes posuerit scabellum pedum suorum; Psal. 110. verùm Deus pacis conteret Satanam sub pedes nostros. Rom. 16. v. 20. Imò nos & mundum judicabimus, 1. Cor. 6. v. 2. & Angelos. v. 3. Si insolens victoriâ gavisus est Tamerlanes, furor & flagellum Dei appellatus, Phil. lib. 5. Chron. fol. 543. quod Bajazetem hostem Imperatorem Turcicum prælio superatum biennio posuisset scabellum pedum suorum ipse mortalis. Si Sesostres pro triumpho quatuor à se victos reges currum regium trahere compulit, ipse de fortunæ inconstantia per rotarum volubilitatem admonitus. Sig. quis unquam obtentâ de hostibus palmâ victor lætatus est: Nos certè in futuro seculo jam immortales ubi Satanam & membra ejus, quæ nos in hoc seculo crudeliter & hostiliter infestant, pedibus nostris subjecta spectabimus, triumphos agemus. Syracides cap. 25 v. 9. inter res beatas collocat hominem, qui in vita sua ex liberis lætitiam capit, & qui casum videt inimicorum suorum, seu vindictam de hostibus. Tum ergo Adam & posteri ejus propter dejectum ad dolores inferni Serpentem, qui Evam seduxit, Gen. 3. v. 4. 2. Cor. 11. v. 3. & tot malis mundum involvit, lætabuntur, & aspiciet Achab Rex spiritus illius in ore Prophetarum mendacis, 1. Reg. 21. v. 22. à quo compulsus expeditionem temerariam suscepit in Ramoth, judicium tragicum atq. perniciem æternam. Tunc qui Jobum impetrata à Deo facultate Satan percussit, Job. 1. v. 12. in æternis cruciatibus vexatus Jobi exultationis materiam præbebit. Raguel quoq. cum Sara filia Asmodæum septem sponsorum interfectorem hic vinculis à Raphaële constrictum, Tob. 8. v. 3. ad inferna detrudi gaudebunt, & Deo gratias agent. Satan quoq. princeps regni Paras, Dan. 10. v. 13. qui viginti & uno diebus reditum in Palæstinam remoratus est debitas pœnas exsolvet, cum omnibus illis qui

nobis

nobis in hac vita retia tetenderunt. Psal. 25. 9. Et gaudebunt justi visa tanta vindicta, retributionem impiorum oculis suis videntes, Psal. 91. v. 8. & super Leonem atq; Basiliscum calcabunt, super catulum leonis & Draconem. v. 13. Quoniam innumeros & tragicos satis in vita atq; œconomia permittente Deo nobis excitarunt tumultus, jurgia, odia, persecutiones, morbos & flammas, eripientes nobis permittente Deo victum, trucidando animalia, & inprimis nobis verbi præconibus, ut orationem, lectionem & meditationem interrumperent, instantibus diebus Dominicis mille crearunt molestias. Sicut autem clamor eorum insonuit Psal. 137. v. 7. Exinanite, discooperite usq; ad fundamentum: ita nos triumphantes cantabimus ibid. v. 8. Beatus qui retribuit vobis retributionem quam attribuistis nobis. Gloria sit Domino qui dedit nobis victoriam in Christo Jesu, vosq; posuit scabellum pedum nostrorum. Gloria sit Deo in secula seculorum, Amen.

Dominica XIX. Post Trinitatis.

DE PARALYTICO A CHRISTO SANATO.

Evangelium Matt. 9. à v. 1. usq; ad v. 9.

PRÆFATIO SUPPLEX.

PEccata nostra divisérunt inter Deum & nos, & iniquitates nostræ abscondiderunt faciem Dei, Es. 59. quod peccatores Deus non exaudiat. Joh. 9. Et nisi hîc in terris tollatur venenum illud per fidem in Jesum Christum, stipendio suo adigit hominem ad infernum. Summa ergo ope niti oportet, ut acta veræ pœnitentia liberemur à peccatis per fidem quæ ex auditu est. Rom. 10. Cumq; docendi & audiendi causa congregati simus in domo Domini,

mini, dirigat nos emissus à Deo patre Spiritus Sanctus propter Christum, ut surgamus à peccatis virtute verbi divini, & à lecto vermium, sitq; labor noster felix in Domino, ut confirmet Deus quod operatus est in nobis. Pater noster, &c.

Exordium Propheticum.

Jer. 33. v. 6. & 8. Ecce ego dabo sanitatem & medicinam, & curabo eos. Et emundabo illos ab omni iniquitate sua, qua peccaverunt contra me, & parcam omnibus iniquitatibus eorum, quibus prævaricati sunt in me. Pro duobus hisce præmagnis beneficijs, remissione scilicet peccatorum & restaurata valetudine Regius Propheta Psal. 103. quod & nobis jugiter præstandum est, devotas Deo agit gratias. Quodq; Jeremias de Regno Christi prædixit, ipse in diebus exinanitionis suæ abundè præstitit, dum peccatis onustos ad se convocatos, Matth. 11. benignè absolvit, & à Satana obrutis, Act. 10. incolumitatem restituit. Utrumq; insigni historia textus comprobat.

PERIOCHA ET DISPOSITIO METRICA.

NAvi reversus in sua
Dum Christus urbe prædicat,
Inter docendum adducitur
Affixus æger lectulo.
Cui fide mox cognita
Confide, dixit, crimina
Remissa Fili sunt tua
Morbiq; radix tollitur.
Et murmurantibus probat
Sibi datam potentiam
Jubendo lectum tollere.
Factum quis hoc non prædicet.

TRIPLEX GRADUS AD SUPEROS EX HOC TEXTU.

I.

Confirmatio Fidei Triplex, quam oculi Domini requirunt. Jerem. 5.

I. Quod Meßias ſit Filius hominis, & in aſſumta carne Chriſti ſit divina majeſtas, idq; hic velut in ſpeculo lucidiſſimè apparet, & ex opere agnoſcitur Magiſter. Divina enim opera hoc loco recenſentur, quod Chriſtus præſtantiſſimus Anatomicus, Eſa. 58. Thren. 3. Ezech. 21. videat ſpiritualem Paralytici afflictionem, fidemq; ipſius & portantiũ, &, quodpauci credũt, malas cogitationes atq; murmura Phariſæorum calumniatorum: ad cogitationes autem intimas pervenire ſolius Dei proprium eſt. Chryſoſt. Pſal. 94. & 139. Jerem. 17. v. 10. Joh. 2. Et ceu peccati, mortis ac Satanæ Dominus remittit paralytico delicta, quæ paſſionis ſuæ merito expiavit, tollitq; culpam & pœnam ſic ut in momento recedat morbus incurabilis. Bernard. Signa ſunt hominis jam ſanati, neq; enim quis ſurgeret, niſi pondere peccatorum ſublato, nec lectum ſuum portaret, niſi novas vires per gratiam accepiſſet, &c. Tollit cauſam & effectus, quia Filius Dei proprietate & eſſentia habet omnem poteſtatem, quam & Filius hominis in tempore accepit, ut habitet in ipſo majeſtas ac plenitudo Divinitatis. Sitq; Medicorum omnium optimus & probatiſſimus, & verus magiſter ad opitulandum. Eſa. 63. Exod. 15. Matth. 9. Qui equidem cum alijs Medicis in hoc convenit, quod ægris calicem amarum infundat, quod loca affecta ne obrepat putredo duriuſculè contrectet, & inſanabilibus frenum laxet.

Sed Medicos omnes antecellit Chriſtus: 1. Quia radicem morbi tollit, & prius animam quàm corpus ſanat, virusq; ſpirituale evellit, cum alij medici furibus & meretriculis remedia applicent, mercedem poſtulent, & de anima, ſive peccato polluta, ſive per Chriſtum purgata ſit, parùm ſint ſolliciti. 2. Quia nec opus habet de ſimptomatibus morbum comitantibus cum ægroto conferre, arteriam contrectare, urinam inſpicere, venam ſecare, quia ubiq; præſens

sens omnia ex asse novit. 3. Quia non utitur unguentis nec emplastris sed verbo suo, Sap. 16. sanat omnia, v. 12. ubi nec herba nec malagma medicinam facit. Et omnia ex gratuita bonitate gratis præstat.

II. Quod peccatum sit fons veneno infectus, ex quo ira Dei, omnesq; corporis & animæ miseriæ, omnia mala privata & publica promanant. Psal. 39. Propter iniquitatem corripuisti hominem, & tabescere fecisti sicut araneam animam ejus. Psal. 90. v. 7. & 8. Quia consumimur in furore tuo, & in ira tua terremur. v. 11. 18 Psal. 107. Propter delicta affliguntur impij, & propter peccata laborant nauseæ atq; agonizant. Syr. 38. Qui delinquunt contra Dominum incidunt in manus medicorum, 1. Cor. 11. v. 31. 32. si nos ipsos dijudicaremus non puniremur à Domino, &c. Rom. 6. v. 23. Augustin. Sanitatem perdidisti quia creatorem offendisti. Causa paralyseos ab Astrologis ponitur conjunctio vel oppositio Lunæ & Saturni, si hoc tempore prodeat in hanc lucem homo. Juxta Medicorum calculum causa est in materia, in corruptione humorum, in privatione & pugna quatuor primarum qualitatum. Vel in effusione bilis in Cholericis præsertim; nec rarò causam hujus mali statuunt nefarium, crassum, & venenatum aërem, qui omnium nervorum meatus sentiendi & movendi organa obstruit, atq; humore noxio implet, ut vis animi sensum & motum ciens per eos transire non possit; sed obstructis nervorum principijs per viscosos ac lentos humores usus membrorum impediatur, sensuq; & motu in alterutro latere abrepto de vita periclitetur homo. Sic vel mollis aër, veluti etiam in peste & dysenteria ad diruendam corporis humani fabricam sufficit. O fragilem vitam, quæ corrupti aëris levi flatu dissipatur! Quid in longa temporum, Luc. 12. spacia spes nostras proferimus? O fallacem hominum spem, inquit Cicero, & inanes nostras contentiones! &c. Christus autem cui maximè fides habenda est causam hujus morbi ostendit esse peccatum, & optimum contra paralysin remedium esse peccatorum remissionem. Ubi notandum, quòd

justo Dei judicio singula peccata suũ habeant tortorem. Ira furor brevis & impatientia Syr. 30. paralysin. Scortatio morbum gallicum, lepram & vermes Syr. 9. v. 3. Ebrietas hydropem, catharrum & mala quamplurima Prov. 23 v. 29. 30. Superbia penuriam. Perfidia famem. Falsitas breve vitæ spacium. Ps. 55. Avaritia pœnas varias 1. Tim. 6. Puniantur q3 in Gehenna sic ut ebriosi sitim sustineant, superbi profundius deprimantur, &c. Ex fonte igitur peccati omnia mala corporalia & spiritualia, temporalia & æterna profluunt. Hinc omnes sumus spiritualiter Paralytici, utpote 1. Semimortui, quibus Nahas 1. Sam. 11. v. 2. dextros oculos effodit, quibus divina & cælestia contemplari deberemus. Luc. 10. v. 30. Matth. 18. Unde ad terrena penetranda oculatissimi animæ bona negligimus, nec eorum jacturam deploramus, pedibusq3 & manibus turpiter abutimur. 2. Labefacta memoria salutis immemores, ut velut paralyticis omnia mox excidant, & velut amne lethæo poti æternæ felicitatis obliviscamur. Prov. 19. Eccl. 3. 3. Viribus per resolutionem nervorum spoliati, ut velut in paralysi, quo magis æger brachium attrahere conatur, eò magis amovetur: ita liberum arbitrium nostrum concussum sit, nec montem legis ascendamus, nec nostris viribus thesaurum in ædito positum consequamur, nec in sanctis montibus Psal. 15. quiescamus, nisi à fortissimo Gigante Jesu Christo portati. Luc. 10. & 15. Video meliora proboq3, deteriora sequor.

III. Quod remittantur nobis debita nostra, credimus enim remissionem peccatorum, non ex merito operum nostrorum quæ mens struata sunt, Esa. 64. Luc. 18. Rom. 10. nec per Indulgentias Catholicas in Anno Jubilæo, quem, teste Funcio in Chron. fol. 156. Bonifacius VIII. Papa Rom. 200. Anno Christi 1300. centesimum quemq3 ordinavit. Clemens postea VI. Papa Rom. 205. ad quadragesimum redegit. Paulus indè secundus Papa Rom. 223. Anno Christi 1464. ad vigesimum quintum contraxit, & Anno Christi 1510. Julius 2. Papa Rom. 228. annos Jubilæos ad decimum redegit, ut hominibus indulgentiarum, Papa autem pecuniarum largior esset proventus.

Sed

Sed Christus h. l. & ubiq; in Ecclesia gratis adverbialiter peccata remittit, quæ Pharisæi non nisi gratis & satisfacientibus condonabant, idq; fit in terra non in cælo. Quare Constantinus Magnus Acesio disputanti in cælis petendam esse absolutionem respondisse legitur apud Niceph. lib. 8. cap. 20. Ergo scalas admove & solus in cælos ascende. Remissio peccatorum duplex est: 1. Interna tollendo peccatum, infundendoq; gratiam & Spiritum sanctum. 2. Annunciando gratiam & remissionem. Utrumq; h. l. Christus præstitit, & ipse ut Dominus authoritate propria, & passionis suæ merito peccata expiavit, atq; remittit, Joh. 1. Act. 3. Rom. 8. 1. Joh. 2. illamq; habet potestatem: quia verus est Deus, quia Messias est mundi Salvator, quia fundator est absolutionis, & potestatem clavium in ministerio tradidit verbi ministris hominibus, ut peccata remittant, idq; coram Deo ratum sit & firmum. Matt. 16. v. 19. Luc. 10. v. 16. Luc. 24. v. 47. Joh. 20. v. 23. Matth. 28. v. 18. Christus Dominus est, nos servi, ille acquisivit, nos annunciamus, sicut in V. T. sacerdotes lepram non tollebant, sed ablatam testabantur: Deus enim erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non imputans peccata, & posuit in nobis sermonem reconciliationis. Unde nos Christi legatione fungimur, 2. Cor. 5. tanquam Deo vos obsecrante per nos, ut reconciliemini Deo.

Observentur verba quasi audiamus Christum nos alloquentem,

1. Confide. Contra desperationem, quia Christus est Thronus gratiæ. Rom. 3. Ebr. 5.

2. Fili & Filia. Non ergo projiciet nos a facie sua, quia nos adoptavit. Joh. 1.

3. Peccata tua remissa sunt tibi. Non ergo de ijs exigetur ratio in die novissimo. Mich. 7. Col. 2.

II.

Fructus Fidei Triplex, ne nos decipiamus, quia Christus videt Fidem.

1. Ut afflicti propter delicta ad Dominum nos percutientem conver-

vertamur, nec alibi Deo neglecto quaramus pharmacon, ne habeat quod de nobis conqueratur. Esa. 1. v. 5. Esa. 9. v. 13. Populus non est reversus ad percutientem se. Jer. 5. v. 3. Domine percussisti eos & non doluerunt, &c. Cura principalis sit peccata confiteri & cum Deo redire in gratiam, Syr. 38. v. 9. & 10. ut magis doleamus de malo culpæ quàm de malo pœnæ, & murmuremus contra nosmetipsos, Thren. 3. cum Ecclesia orantes Jer. 10: Castiga me Domine sed paternè. Psal. 119. Thren. 1.

Ægrotantes 1. Publicis & privatis precibus nos Deo commendemus, ut pro bona voluntate Dei aut sanemur aut salvemur. 2. Habeamus fidem indubitatam, propriamq; & immobilem, rogantes ut Deus eam adaugeat, Marc. 9. Luc. 17. credentes nil accidere nobis nisi disponente Deo, Matth. 10. eumq; fidelem non onerare nos ultra vires. 1. Cor. 10. Ejusmodi fides basin habeat tetragonon Dei misericordiam, Jesu Christi meritum, veritatem promissionum, & experientiam exhibiti toties auxilij. 3. Oremus à verbi ministris loco Dei remitti nobis debita nostra.

Porrò ex fraterna charitate condoleamus dolentibus, Rom. 12. oremusq; pro ægrè decumbentibus, Jac. 5. v. 14. 1. Tim. 2. sic deportantes nos invicem per quævis impedimenta & incommoda ad Christum, quo non tantùm corporis, sed inprimis animæ, quæ nobilissima nostri pars est, salus promoveatur. Plurimum valet fides Sanctorum, & deprecatio justi efficax est, Jacob. 5. v. 17. quodcunq; duo consentientes petierint fiet eis. Matth. 18. v. 19.

Fides aliena prodest 1. Docendo alios de Christo, de pœnitentia, & salute. 2. Orando pro alijs, Matth. 6. & impetrando ut incredulus convertatur, donetur q; fide per quam obtineat vitam ac salutem. Sic Gen. 19. liberat Loth urbem Zoar. Gen. 20. intercedit Abraham pro Abimelech. Moses pro Israële. Onias pro Heliodoro. 2. Macc. 3. v. 32. Stephanus pro Saule Act. 7. Sic Epaphras anxiè laboravit pro Colossensibus Col. 4. & Monica pro filio Augustino. Centurionis, Jairi, Chananæa & Reguli historia legantur Matth. 8. Matth. 9.

Matth. 9. Matth. 15. Joh. 4. Et infantes in Baptismo per orationem & fidem alienam ad Christum adducuntur. Marc. 10. Quæ etiam corporalia dona pro impijs haud rarò impetrat: Sic enim per fidem Jacobi benedicitur domus Laban. Per Josephum Regnum Ægypti, Act. 27. in naufragio donantur Paulo animæ 276. 3. Bono Exemplo confessionis, & cæteris veræ pietatis exercitijs, ut sic lux fidei elucescat. Matth. 5.

Dolendum autem est ignem dilectionis ita esse extinctum, ut vix quispiam simili facto, Luc. 5. v. 19. erga ægrotos, claudos vel cæcos misericordiam declaret, imò paucissimi decrepitis parentibus hoc officij præstant, sobolemq; & propriam animam porcorum educationi postponunt.

II. Ut cotidie de spirituali Paralysi, de grabato scelerum surgamus, Ephes. 5. v. 14. & eluceſcat nobis Christus, nec teneat nos lectus impurus, Joh. 5. v. 8. nec diutius in pulvere rerum terrenarum hæreamus. Esa. 52. v. 1. & 2. Suscita te, excute te de pulvere, surge, solve te à vinculis colli tui. Tolle lectum in quo jacebas, in qua vehebaris lecticam. Operam demus ut inferior nostri portio à superiore dirigatur, nec inferior superiorem, hoc est, caro spiritum de sede sua dejiciat, & servus domino, stultus sapienti imperet. Non eamus post cogitationes nostras, Esa. 65. sed de futura vita solliciti mortem & judicium considerantes nos ad rerum cælestium studiũ attollamus, in luce ambulemus, Joh. 12. Rom. 13. & spiritu vivamus, Gal. 5. ad anteriora tendentes Phil. 3. ut acceptis novis per gratiam viribus depositio peccati pondere fortes ingrediamur. Bernard. Surge de lecto scelerum ô virgo fœmina, puer & serviens: quid agis? memento te hic esse exulem & peregrinum. Gen. 47. Psal. 39. Eccl. 9. Vade in domum tuam. Phil. 3. Attende quanto studio corporis salutem homines quærant, quas opes profundant, quantumq; hujus rei causa patiantur, peregrinando, corpus inedia extenuando, à solitis voluptatibus abstinendo, ferrum & ignem sustinendo; & majoribus laboribus ut immortalem animam cures te addicito.

III. Ut

III. Ut quod hi fecere dum unicus absolutus est, qui ad vocem Jesu se erexit, & per confertam hominum multitudinem egressus est, glorificantes Deum, ita nos pro cotidiana peccatorum remissione, & pro absolutione, Matth. 18. v. 18. pro hoc summo thesauro, Asylo Ecclesiæ, August. lib. 2. de Civ. Dei cap. 24. pro hac cithara Davidis, 1. Sam. 16. dulciq; contra mortis absynthium melle, Psal. 119. pro hac Margarita cor confortante, Matth. 13. aqua reficiente, Psal. 23. 41. Joh. 4. & 6. & blandissima voce sponsi nostri, Apoc. 18. v. 23. Deo laudem tribuamus, quod nobis & omnibus verè pœnitentibus, infundente gratiam spiritu sancto, eamq; annunciantibus hominibus, remittantur peccata, quæ, ceu Basilius veniam rogante fœmina gravissimis peccatis obnoxia ad Deum conversus dixit, numerari possunt, cum misericordiæ divinæ non sit numerus. Quoties ergo absolutionem petimus, ubi confessionario & confitenti tertius adest Jesus Christus quicquid pastor promittit confirmans Matth. 18. & impetrata venia cum gaudio regredimur, vel alios absolvi videmus, toties Deo gratias agamus, quod potestatem dederit sic mediatè absolvendi, etiam per homines interdum contemtibiles, quamvis ejusmodi scandalum sedulò eruncandum sit. Matth. 18. Servosq; fideles propter latum hoc nuncium faciamus maximi: quoniam, teste Luthero Tomo 8. Jen. fol. 188. majoris & ipse Deus facit unum Pastorem fidelem, quàm omnem Magistratum politicum in mundo, qui sine absolutione non intrabit in regnum cælorum, quam David à Nathane, Theodosius ab Ambrosio humiliter receperunt.

III.

Merces cælestis & Finis Fidei Triplex.

I. Ex præcedentibus quæ pro contextu recitari solent. Quod ubi impleto tempore cruciandi erunt Diaboli, quod ipsi jam dudum credentes contremiscunt, Matth. 8. v. 29. affirmaturq; 2. Pet. 2. v. 4. quod catenis caliginis in Tartarũ detrusi ad damnationem serventur, Jacob. 2. v. 19. & in Epist. Judæ. v. 6. oculis nostris aspiciemus retri-

retributionem hostium nostrorum, quorũ tunc regni & tyrannidis finis erit. Tantũ non fuit gaudium populi Judaici quando excussit Jehovah Ægyptios intra mare, & aquæ operuerunt currus atq; equites cum universo Pharaonis exercitu. Exod 12. v.28. Nec ita gavisus est populus Israëliticus, Esa. 38. cæso ad internecionem Sanheribo, & propter suspensum regnante Ahasuero Hamannum. Neq; Athanasius cum Ecclesia extincto, contra quem tot precum sagittas emiserat, Juliano: quàm nos de hac vindicta super hostibus nostris detracta ad infernum superbia eorum, Esa. 14. triumphabimus. Tunc impudentissimus ille Spiritus Christi tentator, Matth. 4. ad inferna ruet cum tota illa legione. Matth. 8. Tunc Chananæa mater, Matth. 15. & pater obsessi, Marc. 9. mutusq; malè afflictus, Luc. 11. cum incurvata, Luc. 13. omnibusq; à Satana obrutis, Act. 10. pro tam cruenta tyrannide retribui Satanæ spectabunt, & ille qui Judam ingressus est, Luc. 22. v. 3. qui Petrum ventilare optavit, Luc. 22. v. 31. qui Paulum colaphis cæcidit, 2. Cor. 12. v. 7. ipsumq; ne ad Thessalonicenses veniret impedivit, 1. Thess. 2. v. 18. in igne Barathri pœnas luent. Nec amplius affliget Satan Ecclesiam & membra ejus, nec dicetur hujus seculi Deus, cui se impij manciparunt, 2. Cor. 4. v. 4. mundi Princeps, Joh. 12. v. 31. Joh. 14. v. 30. Joh. 16. v. 11. Eph. 2. v. 2. Eph. 6. v. 12. 2. Tim. 2. v. 27. nec amplius se in Angelum lucis transformabit, 2. Cor. 11. v. 4. nec postea Leo rugiens, 1. Pet. 5. accusator erit fidelium. Apoc. 12. v. 9. sed tanta erit gloria nostra, ut de eo, quo ipsi ut hosti nostro nil acerbius, feramus condemnationis sententiam, 1. Cor. 6. v. 12. & reddamus ei sicut ipse reddidit nobis, & duplicemus ei duplum secundum opera ejus, in poculo quod propinavit. Apoc. 18. v. 6. 7.

II. Quod ad vocem Christi Surgite stratam subter nos putredinem, & operimentum nostrum vermes, Esa. 14. excutiemus, erectiq; de grabato sepulchri, in quo diem apparitionis secundæ Christi expectabimus, in domum nostram cælo paratam, Joh. 4. intrabimus, ubi nec peregrini erimus nec migratores. Et sicut hic nullã amplius

sensit paralysin, sed alacer & sarcinæ lecti portandæ sufficiens novum exhibuit spectaculum, ita nos de tumulo provocati sani erimus & fortissimi. In scriptura sacra commendantur propter insigne robur Simson & David. Inter Gentes Hercules, Hector, Achilles, Milo Crotoniates qui arborem frangere & unico ictu manuum taurum interficere potuit. Lysimachus Agathoclis filius linguam leoni eripuit, cui jussu Alexandri projectus fuerat. Fulgos. lib. 3. cap. 2. Annius Junius valens, quod & de Polydama legitur, currum celeri motu ab equis tractum retinuit, sed tantas vires vel levis morbus arrodit, in futuro seculo non extimescendus.

III. Quod quoniam hic unico surgente de paralysi, nec à mortis tyrannide exemto, Deum turba frequens glorificat, in extremo die ubi omnes de peccato & ejus stipendio ad perfectionem æternam surgemus, verè cum dulci jubilo Dei prædicabimus bonitatem: quia non tantùm corruptibilium corporum, sed etiam animæ, quam non adeò diligenter quæsivimus, salutem nobis contulit, quodq; non ad tribunal Domini portabimus scelera nostra, sed hic à delictis & eorum reatu absolvemur.

Dominica XX. Post Trinitatis.

DE NUPTIIS FILII DEI MYSTICIS, ET VESTE NUPTIALI.

Evangelium Matth. 22. à v. 1. usq; ad v. 15.

PRÆFATIO SUPPLEX.

QUandoquidem Rex Regum ex mera misericordia invitavit nos ad nuptias filij sui, justum & necessarium est ut libenter advolemus, sicut & hoc loco convenimus. Ut autem efficax in nobis sit sermo Dei, in nomine Jesu orabimus dari nobis Spiritum sanctum, quo duce postpositis agris & negotiationibus

nibus per fidem induamus tunicam justitiæ, & ceu electi convivæ maneamus in domo Domini, ferculisq; saturati cælestibus liberemur ab æterna fame & ejulatu. Pater noster, &c.

Exordium Propheticum.

Ose. 2. v. 19. Desponsabo te mihi in sempiternum, desponsabo, inquam, te mihi in justitia & judicio, & misericordia, & miserationibus, & desponsabo te mihi in fide, & cognosces Jehovam. Ubi notanda voluntas Dei & gratuita ipsius bonitas, & donum finem nesciens quadruplex, illaq; quæ à sponsa requiruntur, fides sc. & cognitio Domini. Johan. 17. De Nuptijs ergo spiritualibus agitur in hoc textu, & conjugium nos erudit de mysterio magno inter Christum & Ecclesiam. Ephes. 5. v. 32.

PERIOCHA ET DISPOSITIO METRICA.

REgum Deus Rex maximus,
Gnato paravit nuptias,
Servi vocarunt plurimos;
Venire gens fera noluit.
Servi secundò annunciant,
Parata quod sint omnia,
Agros tyranni præferunt,
Urbem furor cremat Dei.
Vocantur orbis incolæ,
Multiq; passim confluunt,
Beante sed carens toga,
Constrictus in stygem ruit.

TRIPLEX PANIS CONFORTANS ANIMAM EX HOC TEXTU.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. Quod filius Dei, Psal. 2. Matth. 3. 17. Gigas geminæ substan-

tiæ speciosissimus, Psal. 45. Sapientissimus, Psal. 139. Invictus Dominus Zebaoth, Luc. 11. Dominus cæli & terræ, qui Ebr. 1. dicitur Filius æterni Patris, Hæres omnium, Fabricator mundi, Splendor gloriæ, omnia sustentans verbo suo, tollens peccata nostra, collocatus ad dextram majestatis, optimus præ Angelis, ex æterno consilio & decreto Sanctæ Trinitatis, Psal. 2. v. 8. Matth. 21. v. 9. quamvis id Judæi credere noluerint, Joh. 9. v. 29. gratuita adductus bonitate, sponsam sibi ex genere humano elegerit Ecclesiam; Eph. 1. factus, juxta Chrysost. non tantùm sponsus hominum sed sponsus meretricis, Jer. 2. v. 20. quæ crimine læsæ majestatis per lapsum maculata, improba & deformis, impotens & inops mancipium facta erat Satanæ. Cum enim sit de numero hominum, quorum hic nullus absq; peccato, Rom. 3. v. 23. Prov. 20. v. 9. Eccl. 7. Esa. 45. patrimonio, in quo omnia mundi debita continentur, sponsa hæc ad Christum dotata venit, quæ sponsus ipse matrimonij jure dissolvenda suscepit. Esa. 55. Psal. 69. Ipse velut Simson, Jud. 14. sponsam eripuit, & veluti David, 1. Sam. 18. v. 27. pro ea cum hostibus manum conseruit, in vincula conjectus pro nobis se tradidit. Eph. 5. Ipse nos duxit ad salutare lavacrum regenerationis, ad fontem vivum, Gen. 24. 29. & conculcatos sanguine mundavit, Ezech. 16. v. 6. Eph. 5. Gal. 3. collocatisq; ad mensam ministerij, Psal. 23. ipse cibus est. Hinc felicissimi sumus, licèt in Ecclesia militante ceu desponsata virgo in duro hic versemur hospitio, laboribus & vigilijs macerandi: quia semper speramus meliora, & diem deductionis in domum sponsi, ceu metam malorum avidè & patienter expectamus. Ideoq; sicut sponsa per longum & incommodum iter per nimbos deducenda semper ardet desiderio sponsi, seq; spe habitationis futuræ recreat; ubi ante prædicata nec hactenus visa cum gaudio & admiratione spectat, præsertim si comitem habeat in itinere sponsum omnia patienter sustinet: sic sponsa Christi in hoc exilio passim afflicta in via vitæ lubrica, quod eam comitetur sponsus Christus, Psal. 23. 91. Matth. 18. 28. omnia patiendo vincit, spe æternæ refectionis exultans.

II. Quod

II. *Quod æterna sit Dei voluntas, 1. Tim. 2. bonumq; & acceptum coram Servatore nostro, ut omnes homines salventur & ad agnitionem veritatis perveniant, nec delectetur ullius ne unius quidem hominis condemnatione. Ezech. 33. v. 11. ibid. cap. 18. v. 32. Hinc ab initio per Patriarchas & Prophetas, & in plenitudine temporis per Baptistam, per Messiam & Apostolos, & postea publica, atq; illustri vocatione Gentium invitavit ad nuptias cæleſtes, & quidem* Omnes *1. Vocat. Esa. 45. v 22. 55. v. 1. 65. v. 2. Matth. 11. v. 28. 1. Tim. 1. & 2. Tit. 2. 2. Jubet vel præcipit omnibus ubiq; ut resipiscant. Act. 17. v. 30. 3. Irascitur venire nolentibus & vocatorum absentiam fert ægerrimè.*

Hinc sicut pius sponsus vel maritus, vel pater ægrotanti sponsæ, uxori vel filio salutaria pharmaca repudianti, profundenti vel evomenti, eadem iterum atq; iterum ingerere conatur: sic alios rursum Deus servos ablegat, ut prædicatis magnifici hujus convivij dapibus mortales invitent. Sic intuemur crucem, vulnera & sanguinem Jesu Christi, mox se offert prædestinatio. Quod autem pauci sint Electi culpa non est in Deo, nec causa in prædestinatione, sed in Satana & propria impiorum voluntate. Jer. 7. 17. 32. Ose. 4. Zach. 7. Joh. 5. v. 40. Matt. 22. Matt. 23. v. 37. Volui, vos noluistis. Utrumq; Christus exprimit Joh. 8. inquiens: Vos vultis desiderio Satanæ patris vestri obsequium præstare. Aliàs cum hæc tria ad conversionem requirantur, scil. Spiritus Sanctus, & verbum Dei, & cor hominis tanquam subjectum patiens, possent homines audire docentes Evangelium, & orare ut per verbum in cordibus efficax foret Spiritus Sanctus; sed quoniam attendere nolunt contemtores verbi, Rom. 10. fidem non adipiscuntur, & sic justo judicio Dei posteros quoq; tenebris involvunt.

Voluntas Dei est ut vocati sint Electi: quia 1. Venientes ad ipsum non ejicit foras. Joh. 6. v. 37. 2. Promissio Evangelij est universalis. Gen. 22. Marc. 16. Joh. 3. 1. Tim 2. 3. Quia Deus non est hypocrita in quo sit contradictoria voluntas, ut quidem omnes vocet,

& certo decreto secretis cogitationibus quosdam intromitti optantes abigat; sic altera manu alliciat, altera extrudat, quod in candidum & bonum non cadit.

III. Quod carentes indumento nuptiali non sint mansuri in domo Domini, sed conjicientur in tenebras exteriores: Est autem vestis nuptialis, quæ nos coram Deo facit acceptabiles, justitia quam Christus suo sanguine acquisivit, nobisq; ex mera gratia imputatur sine operibus nostris per solam fidem. Illa ergo tegit animæ nuditatem, Psal. 32. operit multitudinem peccatorum, mentem ornat, animamq; tuetur ab æterno frigore. Ornatum ergo illud continet gratiam Dei gratuitam, ac Christi meritum, quod ipse legi se subjecerit, Joh. 8. & pœnam peccatoribus debitam tulerit. Hæc vestis est salutis, Esa. 61. & purum atq; niveum sericum, Apoc. 19. ex bombyce Christo. Psal. 22. cui duplex est tunica justitiæ, altera essentialis incommunicabilis creaturis; altera labore & dolore parta, quam juxta doctrinam Prodromi sui nobis largitur, & quidem duplici colore tinctam, utpote albam innocentia & rubram sanguinis: si quidem & in passione purpura coram Pilato, & syndone ab Herode vestitus fuit. Nosq; quotquot baptizati sumus Christum induimus, Gal. 3. ut justitia sit ex fide. Abac. 2. Joh. 3. Rom. 3. & 10. Si verò quisquam hac salutis tunica destituitur in exteriores perpetui carceris tenebras, interiores enim impij semper secum ferunt, projicietur, ligatis manibus & pedibus iniquitatum ministris. Quod utinam crederent & ponderarent impij, nec tam tardè manibus in nocendo, & pedibus in mali operis cursu, Psal. 1. & 50. committerent, quod æterno supplicio vindicandum est, absq; omni spe redemtionis.

II.

Fructus Fidei Triplex.

I. Ut pro spirituali ac cælesti desponsatione immortales Deo agamus gratias, & mysterium hoc, Eph. 5. ex cotidiana conversatione, in statu in quo nati atq; educati sumus, in quo aut vivimus, vel

vel ad quem honestè aspiramus, in legitimo conjugio de nuptijs & copula inter Christum & Ecclesiam tanquam ex speculo ponderemus, discamusq́: 1. Quis sit affectus divini erga nos amoris. 2. Quidnam à nobis Deus exigat. 3. Quid à sponso Christo nobis expectandum.

Velut sponsus sponsam, maritus conjugem: ita Christus

1. Diligit Ecclesiam ex latere ejus formatam & spiritu donatam, Jerem. 10. Zach. 2. Joh. 3. Eph. 5. Gal. 2. Apoc. 1. pulcherrimam. Cant. 1. 4. Esa. 62.

2. Ecclesiæ membris ignoscit, condolet, prospicit, atq́ defendit. Esa. 43. Joh. 10.

3. Debitum nostrum in se derivatum persolvit. Ps. 69. Et hæc in mœroribus efficacissima est consolatio.

Velut sponsa sponsum, marita cõjugem: ita nos

1. Deum ex corde puro super omnia diligamus, Joh. 14. relicto patre & matre. Matth. 10.

2. Ipsi confidamus & præstemus obedientiam. Gen. 22.

3. Fidem servemus intemeratam cum patientia, Ebr. 13. ut veniente marito vel sponso bonæ conscientiæ testimonio fretigaudeamus & gratulemur nobis. Matt. 25.

Velut sponsus sponsæ: ita Christus nobis largitur

1. Annulum pronubum & munusculum Spiritum sanctum. 1. Cor. 5. Galat. 4. Eph. 1.

2. Nomen & dignitatem, honoremq́ & cohæreditatem, quæ omnia vitæ æternæ bona complectitur. Roman. 8. ceu uxor omnia, quæ vir terra mariq́ adeptus fuerit, sibi matrimonij jure vendicat.

3. Deductionem in domum Patris. Joh. 14.

II. Ut invitati compareamus, nec servis Christi oblatrando nos indignos agamus vitâ æternâ: Joh. 5. v. 40. Luc. 19. v. 14. Act. 13. v. 46. quia nec procus pulcher, humanus, opulentus, si sponsam ambiat egenam & infamem, repulsam patitur, nec convivia negligimus nuptialia, in quibus multi morbis & doloribus obruuntur, nec inter prandendum quis dormit. Ne ergo agrum & mercaturam

caturam cælestibus nuptijs præferamus, locumq; demus potentiæ Satanæ, nequitiæ mundi & malitiæ carnis, ut vile lucrum, voluptas carnis & seculi amor à tanto convivio nos revocet, & nidum hirundinis, ceu Chrysost. loquitur, cælo præferamus. Summa quippe stultitia est agrum qui non est hæreditarius, in quo nec sepulchrum elegimus, qui nec defunctos comitatur, nec de fructu commissi seminis certi sumus, vitæ æternæ præponere, & neglectis gazis cælestibus, Matth. 6. cum vitæ discrimine mercaturam terra mariq; exercere. Matth. 16. Multò minus invitantes persequamur: quia durum est contra stimulum calcitrare. Act. 9. Apoc. 6. Nec vocantibus nos, quod bene nobis velint, mala retribuenda est gratia, utpote qui nos aberrantes in viam reducere, ex lacu profundo protrahere, atq; ex foco incenso eripere satagunt. Alias debitis supplicijs nostra plectetur improbitas, & in misericordiæ contemtores iratus Deus exercebit justitiam suam. Deut. 20. v. 10. Jer. 1. Sed gravis iratum est res habuisse Deum, pœnas innumeras in procinctu habentem. Levit. 26. Deut. 27. Ps. 7. Quo irascente omnia irascuntur Elementa & ex ijs conflata, solũ salũq; & omnes creaturæ, quod exempla Pharaonis, Chore, Ahasiæ, &c. abundè testantur. Sic quos nubes non fovet refrigerans, Exod. 15. ignis, ut loquar cum Clemente Alex. vastat comburens, &, ceu idem scripsit, illi qui paternæ virgæ non recipit castigationem, olla succensa, hoc est, ignis Gehennæ paratus est, Jer. 1. v. 11. 12. 13. cum vinculis æterni carceris & stridore dentium in extremis tenebris. Unde nec speranda est redemtio, Esa. 66. Apoc. 14. v. 10. 11. si quoq; guttas aquæ marinæ, gramina campi & folia arborum denumerare quis posset, vel avicula pededentim arenam totius mundi de mundo transferat, quo simili veteres pœnarum perennitatem nobis ob oculos ponere conati sunt. Dolendum autem est quod homines non magis attoniti hæc supplicia ad memoriam revocent, nec præmoniti fugiant in domum Domini. Exod. 9. v. 20.

III. Ut veste nuptiali tegamus animæ nuditatem, eamq; conservemus, Apoc. 16. v. 15. ne videantur pudenda nostra. Et quoniam

niam informis fides ad salutem nõ sufficit, nec mortua vitam confert, induamus per veram pœnitentiam tunicam salutis, & in vera fide nobis applicemus meritum Christi dicentes: Tua Domine justitia mea est, quia eam mihi comparasti, & mea peccata tua sunt: quia sponte tua ea abstuliisti. Sic Adam vestem nuptialem induit, quando credidit in promissum Semen mulieris, & pellibus agnorum satisfactionem Agni Dei præmonstrantium vestitus est, fuitq; ipsi præstantissima contra æternum frigus talaris. Sic Rachab & Thamar filo coccineo refricuerunt memoriam Christi morituri. Sic hac fide instructi Israëlitæ agnum Paschalem, Exod. 12. comederunt & serpentem æneum, Num. 22. Joh 3. aspexerunt. Sic Abraham, Gen. 22. Rom. 4. Job. 19. David, Psal. 31. Daniel, cap. 9. Publicanus, Luc. 18. Latro, Luc. 23. splendida hac veste decori in domum convivij per Fidei ostium per Christum intrarunt. Quem simul exemplar puræ vitæ intueri debemus, 1 Pet. 2. v. 21. ut sequamur Agnum, Apoc. 14. faciendo & patiendo, retineamusq; bonam conscientiam, & gaudeamus exultantes, quod venerunt nuptiæ Agni, Apoc. 19. v. 7. semper parati, velut honesta matrona, quæ bene conscia sibi ob servatum thorum immaculatum, cum horrescat impudica, magno cum animi desiderio maritum reducem expectat, ut dicamus Apoc. 22. v. 20: Domine Jesu veni citò. Cant. 1. Trahe nos post te. Induamus autem dum in vita & via sumus, in terris, Matth. 9. ceu convivæ invitati domi, & non inter prandendum, hanc justitiæ & salutis tunicam; ne veniente sponso cum fatuis excludamur. Matth. 25. v. 11.

III.

Merces Fidei copiosa seu Retributio Triplex.

I. Quod cum simus sponsa Christi ab hoc sponso deducemur in æterni Patris domum. Joh. 14. Phil. 3. In hac vita ubi per Baptismum per fœdus & balneum nuptiale, Eph. 5. infans elegans nec deformis, ceu sponsa electa ad Christum adducitur, Marc. 10. v. 14. præ gaudio invitatis agnatis & amicis celebramus convivia, nec immeritò:

meritò: siquidem Abraham Gen. 21. v. 8. convivium magnum feciſſe legitur die quo ablactatus fuit Iſaac, & Luc. 15. Paſtor propter inventam ovem v. 6. Fœmina propter inventam drachmam, Pater propter converſum filium, vicinos & amicos ad participationem gaudij convocarunt. Similiter ubi conjugij nectuntur vincula & copulantur matrimonij fœdere mortales, ſummo id peragitur cum gaudio; ſic enim Gen. 29. v. 21. ubi completis diebus ingreſſus eſt Jacob ad uxorem, congregavit Laban omnes viros illius loci, & fecit convivium. Et Pater Simſonis Judic. 14. v. 10. pro recepta conſuetudine juvenum convivium nuptiale inſtituit. Et Raguel Tob. 8. v. 22. 23. nuptias Tobiæ junioris & filiæ ſuæ 14. diebus celebravit, apparando epulas omnibus vicinis ſuis, cunctisq; amicis. Nec detrectavit ipſe filius Dei convivio gamico, Joh. 2. in Cana intereſſe, & vini inopiam ſua benedictione auferre. Idcirco non video quo ſpiritu utrumq; in quibusdam locis à Politico magiſtratu planè interdictum & abbreviatum ſit. Ut ut autem hæc peragentur cùm gaudio, ſi ponderemus futuram ſponſæ Chriſti gloriam, & deductionis gaudium, nulla hic eſt collatio. Hic enim optima multorum dies eſt unica nuptialis, hic ultra ſpem ſæpius venitur ad paupertatem, ſudores & labores, nec ullum adeò magnum eſt gaudium, quod non ſit ægritudine mixtum, atq; morti obnoxium: moritur interdum infans, vel ipſa mater ſuccumbit, ægrotant conjuges, &c. Illic autem gaudij nec modus nec meta erit: quoniam ubi per mortem avocamur, & pro tympano campanarum ſonitu in deducendo funere utimur, triumphante cum Angelis & Electis anima, in noviſſimo die in cæleſti comitatu cum tonitru & tuba excitati ſponſo Jeſu Chriſto, Matth. 25. v. 6. in occurſum prodibimus, & cum prudentibus virginibus ad nuptias intromittemur, v. 10. claudeturq; janua, & dote ditiſſima perpetuò fruemur. Per obitum piorum cotidie augetur Eccleſia triumphans ſponſa Agni, & unus poſt alium colligimur ad præmiſſos, ſicut convivæ in domo ſponſi, donec hora impleta adeatur templum, & inchoetur gaudium nuptiale, quod fiet in die

die novissimo. Augustin. de Civit. Dei. O quanta felicitas! Ubi nullum erit malum, & nullum latebit bonum. In hac vita virus Adamicum nobis inhæret, in futura autem erimus renovati homines, & sicut imaginem gestavimus terreni: 1. Cor. 15. v. 49. ita & imaginem gestabimus cælestis. Tollet enim Dominus cor carneum &c. Ezech. 11. v. 36. Hic natura nostra peccato est polluta, illic cor mundum Deus in nobis creabit. Psal. 51. Hic per antiqui Draconis insidias morbis & morti expositi sumus, illic similes erimus arbori optimæ cujus folia nõ marcescent. Psal. 1. Hîc quidem peccata tecta sunt, Psal. 32. sed illic planè auferetur & formale & materiale, & fundamentum cum termino. Hîc oramus ut fiat voluntas Domini, illic mira & mera erit Harmonia voluntatis divinæ atq; humanæ. Hîc propter reliquias peccati semper pugnandum est: Augustin. quia ipsa concupiscentia cum qua nati sumus cotidie minui potest, finiri non potest, &, teste Bernard. quamdiu in hoc corporis tabernaculo habitamus, affectus Spiritu Sancto moderante regere possumus, amputare non valemus; illic autem Sancti erimus perfectè. Hic purgatur Ecclesia per lavacrum, Eph. 5. illic erit purissima & delectabilis sponsa Christi. Psal. 45. Esa. 62. Apoc. 3. 6. 7. 19. 21. Gal. 3. Hic mixti vivimus boni malis, in cælo autẽ soli justi sponso Christo adhærebunt. Hic thesaurum portamus in vase luteo, 2. Cor. 4. illic confirmati in justitia labi non poterimus, tantò præstantiores quàm ante lapsum. Augustin. de Civitat. Dei. lib. 4. cap. 10. lib. 22. cap. 30. Nec magis amplius dicet Angelus Apocal. 21. v. 9: Veni ostendam tibi sponsam uxorem Agni, ipsimet enim in triumphante Ecclesia stabimus coram throno Agni.

II. Quod omnibus à Christo paratis Beati fruemur, nec detrudemur in æterni carceris tenebras; sed manebimus in domo nuptiali perpetuò felices, & exultabimus Deo digni & dilecti, videbimusq; hypocritas, queis cum hîc conversati sumus, constrictos in tenebras ruere, quod indigni essent omnibus à Christo apparatis.

Paravit autem Christus omnia, quæ ad generis humani salutem

pertinent: 1. Quoniam reconciliavit nos Patri. 2. Iter cæli nobis in manifestissima doctrinæ Evangelicæ luce patefecit. 3. Sacramenta instituit. 4. Pro peccatis nostris patiendo & moriendo satisfecit. 5. Omnia laborum & meritorum suorum præmia nobis largitur. 6. Æternus sacerdos apud Patrem pro nobis interpellat. O felicissimos nos quos Dominus Jesus dignatur amore, & quos non dignos invenit ipse facit. Matth. 10. v. 37. & 38. inquit Dominus: Qui amat patrem, matrem, filium vel filiam supra me non est me dignus. Qui non suscepta cruce sequitur me non est me dignus. Quod verò justos in conspectu hominum cruciatos & paucis malis castigatos tentaverit Deus spe immortalitatis plenos, ideoq; eorum animæ sint in manu Dei absq; cruciatu in pace, & magnis beneficijs afficiantur: siquidem Deus illos seipso dignos invenit, & incedent cum Christo dealbati: quia digni sunt. Apoc. 3. v 4. 2. Thes. 1. v. 5.

III. Quod vocati Electis perpetuò annumerabimur, & ad nuptias Agni in cælesti Hierosolyma admissi Deum hymnis & canticis sine fine celebrabimus, qui nos in Jesu Christo elegit, & ad vitæ æternæ consortium prædestinavit, ubi nec divortium, nec fera mors metuenda erit. Quantoq; major Electorum erit raritas, tantò illustrior erit gloria nostra, cum amiciemur vestimentis albis. Apoc. 3. v. 5. Ante lapsum nullus erat vestimentorum usus quia Protoplasti se nudos non agnoscebant, Gen. 3. v. 7. cumq; non esset peccatum nec erat pudor. NB Postquam autem de fructu vetito comedissent, jam nudi cingulis de foliis ficuum contextis pudenda contegerunt, fecitq; Jehovah illis tunicas pelliceas quibus induerentur. Gen. 3. v. 21. Tunica ergo ut ab Athan. definitur, peccati & mortalitatis nota est. In statu perfectionis verisimile est hominem, ut ad imaginem Dei fuit creatus, quantum ad externa corporis membra, fuisse candida nubecula, vel splendore cælesti, propter inhabitationem Trinitatis, cujus ipse templum erat, quali facies Mosis cum Deo colloquentis coram populo reluxit, Exod 34. & qualis adhuc Sanctorum faciebus à pictoribus affingitur, circumdatum, postea per inobedientiam amisso,

amisso, de quo nos vestes monebunt, quæ aut de lino ex sulcis, vel de verimibus, vel certè sordida lana fuerunt, illisq; stolidè magis, quàm supplicio afficiendus compedibus, superbimus. Chrysost. Homil. 27. in Matth. Proficiscamur ad sepulchra, ostende mihi patrem, ostende uxorem tuam. Ubi est qui purpuram induebat? Nihil video nisi putrida ossa & vermes. Syr. 40. v. 4. Ab eo qui gestat hyacinthina coronamq; usq; ad illum, qui crudo lino vestitur mors non abstinet. Sed hoc ponderandum & dolendum est, quod spiritualiter nudi simus progeniti, originalis justitiæ & divinæ gratiæ indumento per primos parentes nudati, & necesse est ut coram Deo vestiti appareamus, 1. Cor. 5. Apoc. 16. ea nimirum veste, quæ peccatorum multitudinem contegat. Pauperum vestes ex ovium velleribus Job conficiebat, cap. 31. nec aberat benedictio eorum: vestis autem quo anima nostræ nuditas tegatur ex Agni Dei vellere, qui propter nos in cruce attonsus est, confici debet. Gal. 3. Quotquot baptizati estis Christum induistis. Rom. 13. Induimini Dominum Jesum Christum. Illi ergo dicamus Ruth. 3. Extende quæso Domine pallium tuum quo operiris, quia propinquus es, scilicet frater, caro & sanguis noster. Eph. 5. Tege Domine nuditatis nostræ inopiam, Luc. 10. ne pater tuus in convivio suo nos sine veste nuptiali deprehendat. Jube nobis pie Pater adduci stolam primam, Luc. 15. ut triumphare possimus cum Esaia cap. 61. & exultare gaudentes in Domino, qui nos induit vestimento salutis, & indumento justitiæ circumdedit velut sponsam ornatam monilibus suis. O si quis Sancti alicujus animam posset intueri tam præclaris ornamentis excultam, & magnificis Spiritus Sancti gemmis illustratam, cui, pulchra es Cant. 1. inquit sponsus, Amica mea, scilicet à me sic decorata. Ejusmodi sunt illi qui laverunt stolas suas in sanguine Agni, Apoc. 7. v. 14. de quo Gen. 49. prædictum fuit, quod lavabit vestem in vino & in sanguine uvæ. Esa. 63. Quod vestis ejus rubra sit velut calcantis torcular. Sed velut ambulans vel laborans pretiosas vestes non induit antequam domum revertatur, vel ferias agat, & convivia frequentet:

sic tempus dandi, inquit Augustin. nondum venit. Citò absolvemus iter, instant feriæ æterni Sabbathi, & splendidè vestiti in æterno comparebimus conventu, de quo Baruch. cap. 5. v. 1. gratulatur incolis supernæ sanctæ civitatis, dum inquit: Exue vestem luctus atq; afflictionis tuæ ô Jerusalem, & indue decorem gloriæ, quam Deus sempiternam tibi tribuit. Vesti te diploide justitiæ tibi à Deo datæ, capiti tuo impone mitram ejus honoris, quo Deus æternus te ornare voluit. Deus enim splendorem tuum omni nationi quæ sit sub cælo declarabit.

Die Omnium Sanctorum.

DE OCTO BEATITUDINIBUS.

Evangelium Matth. 5. à v. 1. usq; ad v. 13. Luc. 6.

PRÆFATIO SUPPLEX.

CUm nihil majus aut melius optare possit homo mortalis rectè institutus, quàm hîc honestam & sanctam vitam transigere, & in vita futura Sanctis atque Electis Dei, absoluto per multam tribulationem vitæ hujus curriculo, annumerari, illamq; felicitatem obtinendi methodus hodie pro concione monstretur, postulat rei magnitudo & torpor naturæ nostræ, ut humili precatione ad thronum gratiæ accedamus, & Deo patri supplices virtutem Spiritus sancti, qua aperiatur os nostrum, in nomine Jesu impetremus. Pater noster, &c.

Exordium Propheticum.

ESa. 50. v. 4. *prædictum legitur de Christo, quod Jehovah dederit ipsi linguam eruditam, ut sciat in tempore loqui cum sitibundo. Idq;*

do. Idq; non caruisse successu suavissimæ quas Christus passim habuit conciones, & hoc quoq; docet Evangelium, in quo auditores informat ipse, quod non juxta merita nostra & propriam justitiam nobiscum agat Deus; sed Beati sint qui se meritis suis destitui agnoscunt, pauperes spiritu, qui sitiunt Christi justitiam, se demittunt & anguntur propter delicta. Unde justificati fide bene operantur, misericordes, puri & pacis studiosi, ideoq; quamvis hic persecutiones patiantur merces eorum copiosa est in cælis.

SUMMA BREVIS ET DISPOSITIO METRICA.

IN monte Messias sedens
Turbam frequentem & Apostolos
Fundens diserti vivida⏑
Instruxit oris flumina⏑.
Pauper beatus & Dolens
Mitisq;, Justa quæritans,
Misertus atq; Candidus,
Pacem colens, Crucem ferens.
Qui flagra, ferrum, scommata⏑
Christi ergo justus sustinet⏑,
Velut Prophetæ, gaudeat,
Cælo dabuntur præmia⏑.

TRIA ORNAMENTA SANCTORUM DEI EX HOC TEXTU, ATQVE FESTO.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. *Quod Beati sint mortui in Domino: Apoc. 14. v. 13. quia opera eorum sequuntur eos, & piè præmissi gaudent in manu Dei. Sap. 3. v. 1. & 5. Nec attingit eos cruciatus in Ecclesia triumphante inter omnes Sanctos, sed mors eorum pretiosa est coram Domino. Psal. 116. v. 15. Et Agnus qui est in medio throni pascit eos, & deducit ad vivos fontes aquarum. Apoc. 7. v. 17. Nosq; eis brevi junge-*

jungemur. Interim Sancti præmissi non sunt invocandi: 1. Quia Deus verus, unus & solus adorandus id prohibuit, Exod. 20. 34. Deut. 5. Matth. 4. 2. Quia hac ratione Abraham non novit nos. Esa. 64. 3. Quia Angeli hunc honorem à se removent, Jud. 13. Apoc. 12. Paulus q. & Barnabas, Act. 14. & Petrus. Act. 11. Epiphan. Neq; Elias neq; Johannes adorabiles, sed Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Augustin. de lib. Arbit: Non ad creaturam jubemur tendere ut efficiamur Beati, sed ad ipsum creatorem. Chrysost. Non opus est patronis apud Deum, neq; ullo discursu ut blandiaris alijs. Sed licèt solus sis, patronoq; careas, & per te ipsum Deum preceris, tamen voti compos eris. Credibile quidem est præmissos in cælo Sanctos optare, ne fides nostra deficiat, ne excutiamus Spiritum sanctum, vel abigamus Angelos, quos de suo consortio pro salute nostra ablegari vident, Ebr. 1. hinc properè & pie defunctorum liberi plerumq; feliciter agunt; sed invocandi non sunt, quod Deus gloriam suam non det alteri, idq; pugnat contra, 1. & 2. præceptum, contra orationem Dominicam, & fidem Catholicam, contra officium Christi, qui solus mediator & unicus est advocatus noster, Joh. 16. 1. Tim. 2. 1. Joh. 2. & pro insania habetur. Esa. 10. 40. 44. 48.

Sanctorum memoria, quod hic Lector observabit, principiò piè & honestè servata fuit cum humili gratiarum actione pro donis eorum. Imagines Sanctorum primò Pontius Paulinus Episcopus Nolanus Augustini coætaneus, Imperante Theodosio & Martiano, ut spectatores sibi eorum historiam in mentem revocarent, depingi curavit. Postea statuæ ex ligno, saxis ac metallis formatæ sunt, tractæ ab Ethnicis consuetudine. Euseb. hist. Eccl. lib. 7. cap. 14. Et accessit abominabilis idololatria, sic ut ligna & lapides, Esa. 44. neglecto Deo pro salvatoribus & mediatoribus invocarentur. Euseb. lib. 9. cap. 10. Vincent. in speculo historiarum lib. 1. cap. 102. scribit idololatriam hoc modo ortam fuisse à Nino, qui mortuo Belo patre imaginem patris sibi in solatium fecit, eiq; tantam exhibuit reverentiam, ut quibuslibet reis ad eam confugientibus parceret. Proinde subditi in Regno

Nini

Nini huic imagini divinos honores impendere ceperunt. Et juxta hoc exemplum plurimi deinceps dilectis suis præmissis imagines dedicarunt. Et sicut ab Idolo Beli cætera traxerunt originem, sic & nomen generale, ut vario idiomate dicerentur Belus, Bel, Baal, Bal, Baly, BeelPhegor, Beelzebub. Isidor. lib. 1. Etym. Quos Pagani Deos asserunt, homines olim fuisse produnt, & pro uniuscujusq; vita vel meritis coli apud suos post mortem ceperunt. Ut in Ægypto Isis, in Creta Jupiter, apud Mauros Juba, apud Latinos Faunus, apud Romanos Quirinus, Athenis Minerva, in Samo Juno, apud Paphos Venus, apud Lemnos Vulcanus, apud Naxos Liber, quos etiam carminum laudibus in cælum Poëtæ sustulerunt. Lege August. de Civit. Dei lib. 1. cap. 31. Hunc in modum successu temporis in Papatu sancti defuncti pro Dijs habiti, & singulorum morborum depulsores invocati sunt. Contra pestem Sebastianus & Rochus, contra hulcera Jobus, contra morbum caducum Valentinus, contra oculorum & dentium dolores Othilia & Apollonia, cum Scholastica, Wendelia pro manibus, Christophorus contra mortem subitaneam, pro equis Leonhardus, pro porcis Antonius, Vincentius amissa monstrabat, Anna largiebatur divitias, Nicolaus abigebat tempestatem, Barbara ne quis absq; Sacramento moreretur. Et singulis Regionibus, singulis facultatibus sui attributi erant opitulatores. Polonis Stanislaus, Hungaris Maria, Francis Chilianus, Thuringis Bonifacius, Misnienſibus Donatus, Suevis Conradus. Medici honorabant Damianum, Juridici Ivonem, sed tamen fuerunt qui rectius sentirent, & inventæ sunt imagines auribus carentes. Quamvis reliquiæ Sanctorum, vestes & ossa longè latèq; dispersa & honorata sint. Nos autem per Dei gratiam, sicut octo animæ in arca Noachi à naufragio, & Israëlitæ à tenebris Ægyptiacis: sic ab hac turpissima alluvione atq; caligine liberati sumus, & qualis honor Sanctis præmissis exhibendus sit docemur Ebr. 13. v. 7.

Sanctorum Festa celebrantur, 1. Ut ex eorum historijs cognoscantur Dei erga Ecclesiam beneficia. 2. Ut conferantur eorum

casus cum periculis nostris, sintq; nobis Regula vitæ. 3. Ut pijs suspirijs expetamus eorum frui consortio, & intrepidè moriamur, dicentes cum Polycarpo: O Domine fac me participem gaudij justorum.

Historiæ Sanctorum de tribus monent. Ebr. 13. v. 7. 1. Ut consideremus doctrinam salutis, verbum Dei ab ipsis propositum; Simul doctrinæ successum à prima concione in Paradiso Consensum, quasi ex uno ore locuti sint. Vocationem admirandam in Esaia, Jona, Paulo, Augustino, &c. Eximia dona & virtutes, atq; miracula. 2. Ut imitemur ipsorum Fidem, sitq; viva lectio, ut loquitur Gregor. eorum vita. Chrysost. Qui Sanctorum merita religiosa charitate miratur, eorum mores sanctos atq; justitiam imitetur: Mortui enim si piè vixerunt, honorandi sunt propter imitationem. August. Rom. 4. v. 24. 3. Ut aspiciamus eorum obitum quomodo erepti sint ex tribulatione magna, & animas Christo commendarint. Psal. 31. Luc. 1. & 23. Act. 7. Phil. 1.

II. Quod Ecclesia militans & triumphans una sit Ecclesia, unum corpus capitis Christi: licet enim terræ mandati & sepulti sint defuncti, in æternum tamen à nobis non sunt segregati. Ideoq; apud nos in templis vel locis vicinis eorum quiescunt exuviæ, quod non aliter segregati sint vivi à mortuis, superstites à præmissis, quàm vigilantes in domibus nostris à dormientibus, ubi quidam ingruente vespera mox cubitum eunt, quidam autem paulisper adhuc vigilant, se paulò post somno tradituri. 1. Thes. 4. v. 13. Et simul vitam æternam expectamus, Esa. 26. v. 19. ut congregati agnoscamus dudum præmissos nec antea visos, orphaniq; latentur cum parentibus, quos his properata mors devulsit.

III. Quod Ecclesia cum vexatur & oppugnatur vincat atq; triumphet: Cyprian. Ubi enim crux & tentatio, ibi lux & oratio. Beatus ergo quem Deus affligit: Job. 5. nam quicunq; cum Christo, propter Christum, & in Christo crucem tollit, sicut Prophetæ in eodem balneo sudarunt, Esa 53. Ezech. 33. & ipsius Christi sors fuit eadem, ut in propria veniens non reciperetur, Joh. 1. Luc. 19. ne dicam

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730416445/phys_0338
DFG

dicam quantum Noha, Loth, Jacob paßi sint; ille per ejusmodi tribulationem ingreditur in regnum Dei. Actor. 14. Idq; fore discipulis prædixit Christus Matth. 10. v. 21. 24. Luc. 21. v. 12. 18. Joh. 15. v. 18. 21. Et nos erimus sicut oves ad macellum ducendæ: Psal. 44. Rom. 2. 2. Tim. 3. Quoniam si volumus sedere super mensam Dei & edere panem in calis, Luc. 14. recreariq; in domo Domini, Psal. 23. oportet nos hic edere panem doloris, & bibere calicem salutis, Psal. 116. lachrymis refertißimum. Psal. 85. Velut nubes, nebulæ & nubila non denigrant Solem, nihil de substantia ejus abstrahunt, nec cursum ejus inhibent; sed splendorem ejus paulisper suspensum reddunt venustiorem & gratiorem mortalibus: sic neq; crux, neq; calamitas nos in tramite salutis impedient, quo minus videamus Solem justitiæ; Malach. 4. sed magis promovebunt, ut luceat lux nostra coram hominibus. Matth. 5. Si Prophetæ Baal se cultris & lanceolis inciderunt, 1. Reg. 18. v. 28. donec sanguine perfunderent Idolum invocando. Si infelices parentes in valle Gehinnon qui & Tophet à sonitu tympanorum, ne parvulorum ejulatus audirentur, filios suos contra jus naturæ propter obsequium Diaboli Idolo Moloch exurendos tradiderunt, quod & Manasses feciße legitur, unde non aliud præmium quàm æternam mortem percipere poterant. Si Idolorum cultores in orientis Solis regionibus cum Idolum curru & pompa solenni circumveheretur nudos se ejus rotis subjecerunt, ut sic ossa in honorem Idoli confringerentur: Quid quæso indignius, quàm quod in gratiam Domini, qui nos ad imaginẽ suam condidit & sanguine suo redemit, & ad gloriæ æternæ communionẽ nos destinavit, crucem ferre detrectemus. Cum persecutionem sustinere vera sit nota Christianorum, Joh. 7. 2. Cor. 4. Gal. 6. nosq; reddat filio Dei conformes, Rom. 8. & ferat excellens pondus gloriæ. 2. Cor. 4.

II.

Octo Fructus Fidei ex ore Christi, seu Margaritæ pretiosæ & gemmæ insignes quibus expolitur Fidei cimelium, catena vel annulus aureus.

I. Ut Spiritualiter pauperes

1. *Nos coram Deo prosternentes confiteamur delictorum pondus, & justitiæ inopiam. Job. 9. & 15. Psal. 51. & 143. Dan. 9. Manass. in oral. Bernard. Longius à salute abest membrum quod obstupuit. Et ægrum se non sentiens periculosius laborat.*
   1. *Deum iniquitatis.*
   2. *Proximum tenacitatis: quia mutuo dando acquiruntur inimicitiæ. Syr. 29. v. 1. & 8.*
   3. *Nos ipsos infelicitatis.*
2. *In vera humilitate & submissione ambulemus. Genes. 32. Matth. 8. 1. Cor. 15.*
3. *Crucē feramus patienter, nec in paupertate nostra accusemus*

Felicissimus fuit Lazarus in paupertate sua, Luc. 16. & maluit Moses in Deo pauper esse, Ebr. 11. quàm recipere cultus idololatricos, & extolli in Ægypto: quare & puer coronam regiam capiti suo impositam in terram projecit. Joseph. de Antiq. Jud. Multosq; paupertas sua impedit ne præcepta Domini violent. Infelices è contra divites. Luc. 12. 16. 19.

II. Ut lugeamus

1. *Culpam considerando & debitum: Matth. 18. quia offendimus illum in quo movemur & sumus, Act. 17. qui nos alit, tegit & defendit, qui nos sua luce collustrat & consolatur.*
2. *Sub jugo pœnarum & miseriarum, Psal. 6. quo justè premimur in hoc mundo: 1. Cor. 10. quia fletu nati sumus & sic denascimur.*
3. *Ponderando præsentem mundi statum, ut trahat nos cali desiderium: Bernard. quia tempus exitio mundi vicinum, Apoc. 12. tempus malum. Luc. 17. Eph. 5.*

1. *Fugiamus vindictæ furorem & obliviscamur injurias, Matth. 5. Rom. 12. ne Satan in pectore nostro dominetur, illudq; iracundiæ facibus inflammet, & contra proximum*

*

ximum armet, manum nostram velut ensem & verba tanquam sagittas arripiens. Basil.

III. Ut mites & mãsueti, Matt. 11.

2. Ut demus veniam alijs, nec aliorum exaggeremus delicta: siquidem trabs est in oculis nostris, & cotidie venia indigemus. Syr. 19.

3. Aberrantes spiritu mansueto in viam revocemus. Levit. 19. Matth. 18. Galat. 5. Sic tolerantia erit nobis causa omnis boni. Chrysost.

IV. Esuriamus & sitiamus justitiã, ut

1. Vitam transigamus honestam, Rom. 12. & justitiæ studium ceu vestem induamus.

2. Ad justitiæ trutinam agamus cum proximo quisq; suo. Matth. 7. Luc. 6.

3. Justitiam Christi imputativam, quæ sola nos coram Deo justificat, indesinenter velut cervus sitiens, Psal. 42. quæramus.

V. Ut misericordes

1. Contristemur aliorum malis, Damasc. & sit alienæ miseriæ in corde nostro compassio. Augustin.

2. Declaremus proximo beneficentiam, Prov. 19. Syr. 17. & porrigamus ipsi manum fraternam. Esa. 58.

3. Deficiente facultate promoveamus illum precatione, consilio, &c.

VI. Ut mundi corde, non quidẽ quod omni labe careamo, sed quia per sãguinẽ Christi mũdati sumus, Eph. 1. 1. Joh. 1.

1. Applicemus nobis meritum Christi per fidem, quæ purificat corda. Actor. 15. v. 9.

2. Expulso peccato mundis cogitationibus, verbis & factis vitam ornemus, 1. Thes. 4. 1. Corinth. 6. Ebr. 13. fugiamusq; occasiones; ne objecta moveant sensus. Gen. 38.

3. Sit in nobis candor & integritas. Psal. 15. 25. 51. Parùm distare videntur suspectus vereq; reus.

1. Fugiamus in spiritualibus logomachias & litigationes, quò fidei nostræ consensus sit Satanæ interitus. Athan.

* Psal. 133.

VII. Ut pacifici

2. *In politica conversatione nullibi perturbemus concordiam, ne sic & res magnæ dilabantur, Salust. sed cum omnibus pacem alamus. Rom. 12. Ebr. 12.*

3. *Operam demus, ut tollantur inter mortales inimicitiæ exemplo Christi, qui nos Patri suo reconciliavit.*

VIII. Ut patienter ferendo

1. *Patiamur propter justitiam Evangelicam, ut sic causa faciat Martyrem.*

2. *Sit mens conscia recti, ne quis patiatur ceu fur & latro. 1. Pet. 2. v. 19. 1. Pet. 3. v. 14. & 16. 1. Pet. 4. v. 14.*

3. *Patiamur propter Jesum Christum, illius desiderio damna nostra levantes, & exempla Prophetarum, Christi, & Apostolorum sint turres continentes murum Fidei. Theodoret.*

III.

Octo Beatitudines ex ore Christi, seu præmia Fidem & fructum ejus concomitantia, & per misericordiam Dei distribuenda.

I. *Nostrum erit regnum cælorum: Quid autem magis aut majus optet cor anxium & humile, quàm cælo potiri, ubi summum est super peccatore agente pœnitentiam, Luc. 15. & infinitum erit peccatoris conversi gaudium.*

II. *Consolationem percipiemus de misericordia Dei in agone, & tranquillam conscientiam, Rom. 5. Phil. 4. Spiritus Sancti præsentiam, Rom. 8. beatum obitum, Luc. 2. & æternam recreationem, Apoc. 7. 14. 21. Velut quem consolatur mater sua, Esa. 66. sic Lazarus solatio fruitur. Luc. 16. v. 25.*

III. *Possidebimus terram, primò quidem hîc vitam incolumem, benedictam & prolixam transigemus, & post hanc Dominum videbimus in terra viventium. Psal. 116. Ebr. 13.*

Terra domus animæ non est accommoda nostræ,
Altius it nostræ conditionis honos.

Ejiciet

Ejiciet DEUS per judicium extremum Satanam cum impijs omnibus de terra in extremas tenebras, & cælum terraq; per ignem cum elementis liquefient, cum omnibus operibus & ædificijs. Non equidem ut non amplius sit aliqua terra, sed ut mundus purgetur, mutetur & renovetur, fiatq; cælum novum & nova terra, Esa. 65. Actor. 3. 2. Pet. 3. Apoc. 21. v. 1. in quibus nec Satan nec impius quis videbitur, ibid. v. 8. sed regnabit justitia. Hic notandum, quod & terra olim patribus promissa typus fuerit regni cælorum. Hinc veritas umbra nomen accepit. Ingressi sunt in terram promissam servantes legem Dei, per mare Rubrum, per desertum & Jordanem, & multam tribulationem. Mortui sunt in deserto Aaron atq; Moses nec ab æterna regione excluſi. Nec per Mosen sed per Josua itur in vitam æternam per eam præfiguratam, per Jesum non per legem.

IV. Saturabimur, quod in hoc seculo non contingit: quia Deus esurientes implebit bonis, Luc. 1. nec quid deficiet. Psal. 34. Divitiæ & plenitudo erit in domibus nostris. Item quoniam apud Deum depositum injuriam ipse ultor erit. Tertull. Psal. 91. Et videbimus Dei faciem in justitia, & saturabimur excitati ad imaginem ejus. Psal. 17. Ibi erit æterna refectio, perpetua dilectio, jucunda possessio. August.

V. Misericordiam consequemur. 1. In corpore. Psal. 41. 1. Timoth. 4. 2. In Facultatibus. Prov. 18. Esa. 58. 3. In anima: Psal. 112. Matth. 10. 25. quia misericordia comes erit defunctorum, Ambros. & quasi sacculus nobiscum. Syr. 27. & 29. v. 16.

VI. Deum videbimus, quod omnium bonorum summum est, à facie ad faciem. Job. 19. Gen. 32. Exod. 33. Moses vidit Deum tantummodo se avertentem. 70. Seniores viderunt sub pedibus Dei velut Sapphyrum & colorem cæli caruleum. Esa. 6. vidit Propheta Deum in excelsa & fulgenti sede, Christumq; in carnem venturum. Actor. 7. & Apoc. 1. visus est Christus in gloria, sed in luce inaccessa. 1. Tim. 6. Nos Deum sine fine videbimus. August.

VII. Fi-

VII. Filij Dei vocabimur, Gal. 3. & hæredes cohæredesq; Rom. 8. Dei & Christi.

VIII. Merces nostra copiosa erit in cælis. Bona mundana possessores suos derelinquunt, nec gloria divitum hujus sæculi comitatur eos. Psal. 49. Luc. 16. Retributio illorum tragica est in Gehenna. Pharao, Saul, Belthasar, alijsq; Reges & Imperatores potentissimi cum bonis terrenis æterna quoq; deperdiderunt. Hinc Severus Imperator inquit: Omnia fui, sed nihil mihi prodest. Saladinus Asiæ & Ægypti Rex se inopem hinc abiturum proclamari jussit, & Alexandro Magno scriptum est Epitaphium: Πάντα βαῖα ἔλιπε. *Veræ autem divitiæ nostræ per verbum Dei, per remissionem peccatorum in merito Jesu Christi, & per Spiritum Sanctum congestæ in vita æterna nobis sunt repositæ, & hoc summum bonum est* ἀναφαίρετον: *Si enim odio simus hominibus, si rapiantur conjunx & liberi, pereatq; tota substantia nostra, imò si morbis marcescamus, moriamur & rodamur à vermibus, & quidvis sustineamus propter justitiam, tamen beati sumus, 1. Pet. 3. v. 14. de quo impij Reges, potentiores & nobiles gloriari non possunt, & gloria eorum quod sint generosi, illustres, inclyti, opulenti, juvenes, fortes, vana est. Gaudium autem nostrum perenne erit, quod cum hujus vitæ miserijs, Rom. 8. 1. Cor. 2. 2. Cor. 4. sicut nec guttula à digito pendens cum toto mari, conferri non potest. Nec remordebit nos mali præteriti memoria. Elias, Naboth, Micha odium Achabi & Jesabellæ non metuent amplius, nec Elias serram Manassis. Lactant. divin. Instit. lib. 4. cap. 11. Nec Johannes Herodis gladium, Petrus, Paulusq; Neronis minas. Sed Deus exceptas cum gaudio consolabitur animas, dicetq; : Beata es amica mea, turtur, columba & sponsa mea, veni in hortum meum: Quoniam in terra fuisti pauper Spiritu, ecce modò tuum est regnum cælorum. Beata es quoniam luxisti & flevisti: quia ridebis. Luc. 6. Sitijsti & esurijsti justitiam, modò saturaberis. Persecutionem passa es propter justitiam, & odio habuerunt te homines, sed in posteram perpetuò merces tua copiosa erit in cælis.*

Domi-

Dominica XXI. Post Trinitatis.

DE REGULO CUIUS FILIUM CHRISTUS ABSENS SANAVIT.

Evangelium Joh. 4. à v. 47. usq; ad fin. cap.

PRÆFATIO SUPPLEX.

CUm sine fide salvetur nemo, Joh. 3. Rom. 14. Ebr. 11. fides autem sit ex auditu, Rom. 10. nec quis audiat nisi instituatur concio; gratias agamus Deo pro svavissima Evangelij prædicatione, atq; ut illius fideli tractatione confirmetur fides nostra, & ferantur fructus fidei, sic ut fidem habeamus sermoni qui nobis ex ore Christi proponitur, credamusq; & salvemur cum uxore & sobole, & tota domo nostra, rogabimus à Deo patre donari nobis Spiritus sancti auxilium propter Jesum Christum. Pater noster, &c.

Exordium Propheticum.

PSal. 68. v. 23. *Dixit Dominus, ex Basan reducam meos, educam de profundis maris. Hoc est, licèt, 1. Cor. 1. v. 26. non multi potentes, non multi nobiles quærant regnum Dei, haud tamen omnes peribunt, sed aliquos Deus per crucem excitabit, atq; ex rerum terrenarum involucris, velut ex mari turbulento ad se trahet, illosq; in angustia & doloribus trepidantes antequam clament exaudiet, eisq; adhuc loquentibus opem feret. Esa. 65. v. 24. Quod in hoc Regulo impletum esse constat.*

SUMMA BREVIS ET DISPOSITIO METRICA.

FEbri laborantis pater
Christum Fide, sed languida

Secum rogat descendere,
Gnatoq; vires reddere.
Ni signa sint, Christus, nec est,
Ait, Fides, simul morari,
Rumpi roganti, annunciat,
Quod sit superstes filius.
Habet Fidem verbis homo,
Idem ministriq; indicant,
Idemq; tempus congruit,
Hinc tota credidit domus.

CUM SOLA FIDES CHRISTUM APPREhendat, Christianos ab Atheis discernat, & tentationum montes transponat. Matt. 21. Cum fide orandum sit, Luc. 18. per fidem efficax sit verbum Dei, Rom. 1. ad salutem, & justus ex fide vivat: Ab. 2. Ubi Fides autem non regnat, ibi sit regnum Satanæ, Joh. 3. peccatum, Rom. 14. nec quid Deo placens; Ebr. 11. assumendum est in armatura Dei scutum Fidei, Eph. 6. v. 16. daturq; Tria Fidei adminicula & ornamenta ex hoc textu.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. Cum in conjugio non omnia semper succedant ex animi sententia, ut pax, requies, risus, veneres, jocus, oscula, cantus sint cotidie esca homini, sed proferat multoties hic status spinas & carduos, Genes. 3. per molestissimam puerorum educationem, eorumq; degenerationem, morbos & mortem. Quod juxta promissionem Psalm. 50. v. 15. & Joel. 2. v. 32. invocantes Deum in die tribulationis verè ipsemet velit exaudire, sine respectu personarum Ethnicos & Judæos, Act. 10. Politicos & Clericos, Matth. 8. & 9. magistratum & subditos, Rom. 13. quos mala quæ hic premunt ad Deum ire compellunt. Greg. Psal. 116. 119. Esa. 26. & 28. Ose. 6. Prov. 3. 1. Cor. 11. Inprimis pios parentes pro sobole ægrotante intercedentes, quatenus vale-

valetudo prolixior Deo gloriæ & ipsi saluti fuerit. Promisit enim Dominus Prov. 13. quod timentium Dominum proli bene erit, & pueri Deum ac parentes honore afficientes fruentur pace & misericordia; Prov. 3. cum è contra improbis corvi oculos eruent. Proverb. 13. Sic rogantes vitam eam consequentur, Psal. 22. dabiturq; piè orantibus plus, Eph. 3. v. 20. & citius, Esa. 65. quàm rogatur: Quia major Salvatori nostro animarum quàm corporum cura est. Regulus quidem de filij morbo, Dominus autem de patris infidelitate curandæ sollicitus erat, quod hic morbus longè esset periculosior, Marc 9. quamvis cæci mortales hoc non attendant, dum primam & potiorem cutam saluti corporis impendunt, nec vel tantum honorem & custodiam animæ quantam vestibus adhibent. Si quoq; se comitem Regulo juxta votum ipsius junxisset Christus, adhuc integrum diem cruciandus fuisset gnatus, sed jam in momento fugatur πυρετὸς: quia festinat Dominus in adjutorium nostrum. Psal. 70. v. 7. Imò opem laturus nos ipse invitat Matth. 11. Luc. 11. petite, pulsate, venite. Si ergo vocatus adsis & obtemperes, nunquid Deus deseret te? subtrahet se? Non est Deus illusor, inquit August. excipiet te & curabit te. Dabitq; vel quod petimus, vel quod nobis magis utile. Oramus vitæ prolongationem, exaudit Deus, Esa. 38. v. 5. sed tamen aliquando moriendum est, & confert nobis patientiam quæ vincit omnia.

II. Quod Deus infirmos in fide non abjiciat, sed summus Sacerdos in omnibus probatus, Ebr. 5. imbecillitatis nostræ tangatur commiseratione modò oremus, Marc. 9. v. 24. Luc. 17. v. 5. tolli incredulitatem nostram. Et bonus pastor, Ezech. 34. ægros curet. Luc. 22. Joh. 20.

Illi qui sunt fidei infirmioris tria notent. 1. Dicta scripturæ & similitudines, Esa. 42. de arundine quassata & lino fumigante, & de grano sinapis. Matth. 7. v. 20. Luc. 17. v. 6. 2. Quod ipsa fides & non quantitas ejus spectetur: quoniam scriptura simpliciter loquitur de fide, cujus est unum & idem objectum Dominus Jesus,

facitq; fides homines coram Deo in thesauris gratiæ æquè divites sicut gemma easdem vires retinet, sive serico sive papyro sit involuta. Nec annuli pretiosi valor minor est si à puero, quàm si à Gigante portetur. Et infantes baptizati tantùm salutis per fidem in Christum obtinent, quantum Prophetæ & Apostoli, nec infantes infirmi ab hæreditate paterna excluduntur. 3. Quod etiam Sanctissimorum fides fuerit languida. Abrahami Genes. 12. Mosis Exod. 17. Num. 11. & 20. Josuæ Jos. 7. Petri Matth. 14. Thomæ Joh. 20. Sic hic Regulus non agnitis proprietatibus Christi essentialibus alligat ipsum ad tempus & locum, ut veniat versus Capernaum, & veniat citò, nec habet παῤῥησίαν fidei, ejusq; caret fundamento, licèt in genere credat Christum esse bonum & beneficum. Nec tamen propter fidei imbecillitatem rejectus est: quia aliqua fide fuit imbutus.

III. Quod in Jesu Christo habitet tota plenitudo divinitatis σωματικῶς, Col. 2. & ipse sit Resurrectio & Vita, Joh. 11. vivatq; in nobis. Gal. 2. In ipso omnia sunt Amen & ita, 2. Cor. 1. & verbi ipsius summa est efficacia: Psal. 147. v. 15. quia celerrimè currit, nec est quod voluntatem Dei impediat.

Deo omnino tribuenda sūt { Omnipræsentia. Psal. 139. v. 7. 8. 9. 10. Omniscientia. Ibid. v. 4. Psal. 59. v. 9. Omnipotentia: quia non victurus erit, dixit, sed jam quia vivit. Sedul.

Fides itaq; habenda est sermoni quem dixit Jesus, repetuntq; servi ejus, de efficacia fidei, de cœna Domini, de mortuorum resurrectione: quia verbum illius summa est ratio, nec dubitandum quin verum sit quod Christus dixit.

II.
Fructus Fidei Triplex.

I. Ut in omnibus calamitatibus nostris urgente necessitate, spreto Satana & consiliarijs ejus, 1. Sam. 28. 1. Reg. 1. postpositis q; remedijs medicorum, 2. Paral. 16. v. 12. absq; mora confugiamus ad De-

ad Dominum Jesum, in tempore acceptabili, 1. Cor. 13. Eph. 5. imitati nautarum morem, qui spirante aura secunda potius à littore solvunt, & ne oportunitatem illam serò redeuntem prætermittant paululum morantes deserunt. Nec Deo modum aut tempus quomodo & quando nobis subvenire debeat præscribamus: Num. 11. 2. Reg. 7. quia Joseph ad triennium in carcere, David ad decennium in persecutione Dominum expectavit, qui veniens venit nec tardat, Abac. 2. qui liberrimè agit quod sapientia ejus careat numero. Sic in silentio & spe erit fortitudo nostra, Esa. 30. dum quod dare vult Deus differt, ut dulcescat dilatum, nec vilescat cito datum. August.

Horologium Christi.

1. Numeravit ipse capillos nostros. Matth. 10. 2. Ducit sanctos suos mirabiliter. Psal. 4. 3. Omnia facit in ordine & mensura. Sap. 11. 4. Facit opus peregrinum, &c. Esa. 28. 5. Fert opem non quando nostra sed sua hora venit. Joh. 2. 6. Omnia pijs in bonum cooperantur. Roman. 8.

II. Ut Patres familias & domini officij sui haud immemores hæc tria observent: Primò si sint in aliquo officio publico inprimis Deum honorent fide, invocatione, & confessione, juxta admonitionem Syr. 4. v. 32: Ne te submittas stulto homini, & personam potentis ne accipias. Talis autem est magistratus soli mundo addictus. Matth. 7. Luc. 12. Matth. 25. Sed usq; ad mortem decerta pro veritate, & Deus pugnabit pro te. Exod. 1. Dan. 3. Act. 5.

In dignitate aliqua politica constituti reflciant ad

1. Duplices Dominos; Deum sc. cui potestas est corporis & animæ, dominaturq; morti & Satanæ, nec non Reges vel Principes qui terra sunt & cinis. Syr. 10. Psal. 146.

2. Juramentum duplex; Baptismi scilicet & politicæ obligationis.

3. Duplicem mercedem. Possunt quidem Reges promovere suos ministros, sed nemini vitam atq; salutem largiri.

Secundò *de sobolis salute ac valetudine maximè sint solliciti, Christo illos committant, nec lapides pro pane vel pisce obtrudant, Luc. 11. nec ægrotantes ilico extinctos optent, nec Draconibus immaniores, Thren. 4. vagientibus victum subtrahant. Si quis suis & maximè domesticis non providet, 1. Timoth. 5. v. 8. fidem abnegavit, & est infideli vel hoc Regulo Ethnico longè deterior. Indidit autem Deus storgas honestioribus naturis eximias, & ardentissimum prolis amorem parentibus ingeneravit, ut eam diligenter educando ab omni injuria vindicarent, nec labores aversarentur: quia, teste Bernardo, in eo quod amatur aut non laboratur, aut ipse etiam labor amatur. Hinc David ob filij etiam pessimi interitum luget, sed amor ille descendit non ascendit, nec humor de ramis in radices refluit, sic ut decem vel pluribus filijs alendis unus pater sufficiat, illi autem vix unum alant parentem. Unicum legimus filium petijsse à Christo dari sibi copiam sepeliendi parentem, Matt. 8. cum ipsi toties parentes ob salutem sobolis supplices fuerint. Matt. 9. Marc. 9. Matth. 15.*

Tertiò *servos ancillasq; eligant pias & honestas in via perfecta ambulantes, quod se facturum David, Psal. 101. v. 6. & 7. recepit. Cum illi qui Deo fidem datam non servant, minus fidem hominibus probabunt, quod Hormisdas martyr Regi Persarum objecisse legitur Tripart. lib. 10. cap. 31. Contumaces autem & impuros abigant, sic pulsa è domo Abrahæ est Agar mordax, Gen 16. & Ismaël illusor. Gen. 21. Porrò familiam ad pietatem instigent, ipsis bono exemplo præluceant, nec negligendo verbum Dei, Sacramenta & orationem præbeant scandalum. Matth. 18. Sic Gen. 18. de Abrahamo prædicat Jehovah v. 19. Novi quod præcipiet filijs suis & domui suæ, ut custodiant viam meam, faciantq; justitiam & judicium. Sit tandem conversatio humana & amica, ne quis Leo in domo sua, Syrach. 4. furiosè sæviat, sed meminerint domini, Ephes. 6. Dominum dominantium non respicere personas. Ideoq; non contemnant jus servi vel ancillæ: quia idem eos fecit qui nos in utero formavit, Job 31. v. 13. 14.*

III. Ut

III. Ut servientes præmissa oratione eligant sibi pios verbi divini & precum studiosos dominos; sic enim benedictionis divinæ erunt participes, ceu servi Abrahæ, Gen. 17. Cornelij, Act. 10. Centurionis, Matth. 8. & hujus Reguli, quorum major fuit felicitas viris servire religiosis, quàm ab impio Rege adoptari, si spectemus retributionem. Ebr. 11. Ne ergo respiciant stipendium evanidum, sed pietatem ad omnia utilem. 1. Tim. 4. v. 8. Indè sit ipsis cordi res domestica, ubi dominus, hera & soboles bene agit gaudeant, condoleant afflictis, damna avertant, opes pro viribus augeant & inserviant fideliter, juxta admonitionem Col. 3. in timore Dei & cordis simplicitate quasi Christo, ne per quod peccant per idem puniantur. Denig, summo studio fugiant ocium, quod mala quæq; docet, & luxuriam, ne stipendia iniquè levata ipsis contrahant paupertatem, Proverb. 6. & perniciem.

III.

Retributio seu Merces Fidei Triplex.

I. Quod si Jesum venientem ex Judæa, hoc est, ex loco confessionis & laudis, & civitate pacis, in Galilæam, id est, in locum mutationis & transmigrationis, beneficio incarnationis viciniorem nobis factum oportunè accesserimus, & humili animo firmaq; fide invocaverimus, tunc ex Galilæa in Judæam, hoc est, ab exilio ad thronum gratiæ per fidem & novam obedientiam ipsum secuti convalescemus. Curati sumus per conceptionem & nativitatem Christi, & frequenter per misericordiam Dei in vita hac tam in spiritualibus, quàm in corporalibus languoribus melius habemus. Sed hîc dum oberramus vasa sumus fragilia, 2. Cor. 4. Esa. 64. Jer. 8. in medio hostium posita, & virtute Dei cum fortissimo Satana mundi Principe certantia; In vita autem æterna elapsis horis sex magnis hora septima in cælesti Capharnaum, in agro pinguedinis & villa consolationis nos & soboles nostra cum Electis perpetuò melius habebimus & rectè valebimus.

II. Quod

II. Quod si crediderimus verbo Christi, Joh. 3. v. 16. Joh. 5. v. 28. Joh. 8. v. 51. nos cum universa domo nostra quotquot credimus salvabimur. O quanta jucunditas erit in terra viventium congregari! O felices servi Abrahæ! Gen. 17. Felices servi Centurionis. Matth. 7. Felix familia Cornelij, Act. 10. hujusq; Reguli & omnium piorum, quod ipsis reposita sit merces copiosa & gaudium cum dominis suis, dicentq; in seculo futuro: En ille Dominus illa Domina mea absq; scandalo. Sic patres & matresfamilias dicent: En isti vel ille in mundo aliquandiu conducti inservierunt nobis, & nobiscum Deo, cui sit laus & gloria, &c. Impij contra quod vitam turpiter transegerint impiam utrinq; ejulabunt.

III. Quod quæ hic in via fidimus ubi domum pervenerimus, quæq; servi Domini nobis annunciant, verè videbimus, & quidem longè excellentiora quàm verbis exprimi potuerunt.

Fidere mutabitur in videre & lætabimur 1. Sicut sponsa egena ad sponsum opulentissimum deducta.

2. Sicut infans regius vel illustris grandes parentum miratur divitias ex ephebis egressus, antea non intellectas. Apoc. 5.

3. Sicut Regina Arabs majora & splendidiora vidit in aula Salomonis, quàm relatu aliorum perceperat.

In aula quoniam cælesti omnia & singula in verbo Dei promissa nobisq; proposita rata & firma videbimus, ampliorag; quàm quod verbis enarrari possent: siquidem gloriam illam oculus non vidit, 1. Corinth. 2. v. 6. nec in cor cujusquam penetravit, quam Deus paravit illis, qui diligunt eum. Proinde sicut navi vecto in turbulento mari, & somno dedito per somnium videtur se non tantùm tranquilla statione, sed & optatissimo exceptum hospitio, & evigilans non tantùm portu se potitum, sed & hospitio se felicem lætatur. Et velut hic Regulus domum reversus ex incolumitate filij, ex gaudio matris & familiæ maximam percepit recreationem: Ita anima domum æterni Parentis ingressa gaudium erit multiplex. Ambros. de bono mortis. cap. 21. 1. Quod à carne

non

non sit seducta, sed blandas ejus titillationes fortiter devicerit. 2. Quod per bonam conscientiam ex errorum & scelerum pelago erepta, in Deo sit à curis & cruciatibus exempta. 3. Quod per fidem salvata non horrescat nec timeat futurum judicium. 4. Quod in æterna tranquillitate custodiâ Angelorum sit circumdata. 5. Quod ex carcere mortalium exuviarum ad lucem & hæreditatem justorum pervenerit. 6. Quod fulgeat instar Solis. 7. Quod contempletur faciem Dei. 8. Cognatamq; carnem recipiat, ejusdem, 9. Gloriæ & gaudij participem.

Dominica XXII. Post Trinitatis.

DE REGE ET SERVO DEBITORE.

Evangelium Mat. 18. à v 23. usq; ad fin. cap.

PRÆFATIO SUPPLEX.

Cum, docente Baptista quod ratio sit reddenda, & ventilabrum in manu Christi, securisq; ad radicem putridarum posita arborum, frequens auditorium vim inferens Regno Dei confluceret, ipse gavisus dixit Matt. 3. v. 7: Quis vobis præmonstravit ut fugeretis ab imminente ira? Sic & ego vos adesse, ut de ratione novissima instruamini, lætor. Cum autem servi & ancillæ simus inutiles, cum quibus verè Deus conferet rationes, & in verbo Dei monstretur salutaris præparatio, sic ut inveniamus apud Deum misericordiam & debitorum remissionem, remittamusq; proximo nostro, nec tradamur perpetuis tortoribus; Rogabimus Deum patrem ut emittat Spiritum suum, & incendat pectora nostra propter Christum. Pater noster, &c.

Exordium Propheticum.

Es. 43. v. 25. de Christo prædictum legimus: Ego, ego sum qui deleo prævaricationes tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor amplius. Idem declaravit Christus in novo Testamento. Verbis, Matth. 11. v. 28. Matth. 18. v. 7. Luc. 15. v. 4. Factis, Luc. 7. v. 48. Luc. 15. v. 2. Luc. 18. v. 14. Luc. 22. v. 31. Luc. 23. v. 43. nec non hac parabola; quia ipse remittit decem talenta, & sic ab usuris liberat animas piorum. Psal. 72. v. 14. Nec unquam recordatus fuisset tanti debiti, modò servus ille non fuisset crudelis & improbus.

PERIOCHA ET DISPOSITIO TEXTUS METRICA.

DEus rationem postulat,
Talenta servus quilibet,
Debet decem, cum conjuge
Vendendus & cum semine.
Moram precanti supplici
Ex condolenti pectore,
Misertus hoc Rex debitum
Remittit, & dimittitur.
Sed exiens se frivola
Crudelitate polluit,
Et traditur tortoribus,
Sic judicat duros Deus.

TRIPLEX EX HOC TEXTU REFUGIUM, NE COGAMUR PERSOLVERE EXTREMUM OBULUM.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. Quod venturus sit Jesus Christus judicare vivos & mortuos; quia Rex regum, Apocal. 19. cui, cum Salomon præfectos habuerit 550. Ahasuerus provincias sibi subjectas 127. suo brevi quidem tempore, omnis data est potestas & omni tempore, etiam vitæ & mor-

& mortis, exiget rationem ab omnibus regibus, ducibus, præfectis, episcopis, præpositis, pastoribus, œconomis, dominis & servis. Hic quidem in valle Josaphat, Joël. 3. per contionem legis, & in valle Achor, Jos. 7. per crucem & calamitates; Job. 34. sed illic in valle Hinnon, Jerem. 19. in fine vitæ à singulis, in fine mundi ab omnibus. Ubi tamen corpora rediviva simul delictorum supplicia recipient. Negant quidem hoc Epicurei, quibus ingrata est hæc concio, quam omittendam censuit Julius III. Papa Romanus, quod homines redderet Melancholicos atq; subtristes. Nec fidem habuerunt Judæi scelerati Zachariæ Jojadæ filio, 2. Paral. 24. v. 22. nec Jeremiæ cap. 17. nec ipsi filio Dei in passione sua idem fideliter tractanti, pessimi illusores. 2. Pet. 3. v. 3. Verè autem instat dies rationis novissima quo Dominus apparebit ad judicandum, Esa. 3. v. 13. populos, & omnia adducet in judicium pro omni errato, sive bonum fuerit sive malum, unicuiq; retributurus. Eccl. 12. v. 14. Ut pauca de plurimis referam, de futura ratione testes habemus 1. Prophetas. Esa. 3. Dan. 12. v. 2. Malach. 4. v. 1. 2. Christum. Matth. 12. v. 36. Luc. 16. v. 2. Johan. 5. v. 29. 3. Apostolos. Rom. 14. v. 12. Act. 17. v. 31. 2. Cor. 5. v. 10.

II. Quod, siquidem novisse morbum primus est ad sanitatem gradus, infinita sit debitorum nostrorum multitudo, nec alio quàm conscientiæ indigemus testimonio, quia sub peccatum divēditi, & in peccatis demortui sumus. Job. 3. Rom. 8. Eph. 2. Nec unicus est qui faciat bonum. Psal. 14. Psal. 51. v. 7. 130. v. 3. 143. v. 2. Job. 9. v. 3. 15. v. 14. 15. Esa. 1. v. 6. 64. v. 6. Nemo itaq; dicet Prov. 20. Cor meum purum est, sed se peccatoribus annumerabit primum & maximum. 1. Tim. 1. 1. Joh. 1. Hæc fuit confessio Mosis, Exod. 34. Manassis, in Orat. & Danielis. Dan. 9. Et hoc decem talentorum debito præter dubium respexit Dominus ad decem præcepta, quæ, cum perfectissimam requirant obedientiam, Deut. 6. Matth. 22. Justus autem vel septies de die cadat, Prov. 24. nec delicta quis intelligat, Psal. 19. nos omnes accusant & condemnant,

Deut. 27. & nemo si excusserit vitam suam ad hunc usq; diem se ejusmodi peccatorem esse negabit. Sola cordis, linguæ & oculorum delicta, ut cætera silentio prætereantur, tantam summam conficiunt: Quis enim numeret tot illicita cordis humani desideria? Quis tot pejerandi formas, tot convicia & obscœnæ verba? Oculorum concupiscentias numerare quis possit? cum ab ijs nemo velut Joseph, & Susanna prohibeat cor suum? Eccl. 2. Hinc cum tria in sacris ponantur servorum genera; scilicet 1. Mancipia domi nata, qualia Abrahamo, Gen. 14. fuerũt 318. 2. Servi bello vel aliàs emti, 1. Mac. 8. & 3. Servi spontanei quibus aures perforabantur. Exod. 21. Deut. 15. Velut & nos Dei sumus servi ratione creationis, Job. 10. Psal. 22. ratione redemtionis, Zach. 9. 1. Pet. 1. & ratione sanctificationis: quia ad Baptismum Deo fidem dedimus digito Spiritus Sancti in auriculis cordis notati; duplici jure servitutis nomen magis in nos quàm in Angelos quadrat. Nec quid nobis est quod non à Deo accepimus. 2. Cor. 4. Jac. 1. Ille autem pro lubitu suo sua dona distribuit, cui vult & quantum vult. Matth. 25. Et nos deberemus servire Deo in sanctitate & justitia omnibus diebus vitæ nostræ, Luc. 1. utpote liberati à peccato, Rom. 6. & servi facti Deo. Nos deberemus servi esse fideles & prudentes, Matth. 24. v. 45. servi expectantes Dominum à nuptijs revertentem. Luc. 12. v. 36. Verùm si Deus de nobis ferat sententiã, nobis ipsis testibus servi sumus inutiles, Luc. 17. & quod ad voluntatem Domini nos haud comparemus, multis plagis cædẽdi. Luc. 12. v. 47. Servi magis hominibus quàm Deo placere studentes, Gal. 1. nec Domini adventum assiduè proh dolor præstolantes. Servi peccati. Joh. 8. Servi Satanæ. 1. Joh. 3. Servi mundi. 1. Joh. 2. Servi Mammonæ. Matth. 6. Servi ventris. Phil. 3. Servi injustitiæ, Rom. 6. & filij iræ, Eph. 2. In quibus nihil boni
Rom. 7 *habitat, Rom. 3. v. 23. omni gloria carentes, mali ab incunabulis. Gen. 6. Nec innocens coram Deo innocens est. Exod. 34. Ideo lex nos accusat, & Moses urget, solve quod debes, Deus q; punit peccata seminis in semine, Exod. 20, & pro rigore justitiæ suæ pœnam exigit*

à po-

à posteris delinquentis. Job. 21. v. 19. Sic propter Adæ lapsum totæ ejus posteritas jam ultra annos 5600. affligitur. Gen. 3. Semen Caini & Chami maledictionis avitæ reum factum est. Propter impietatem Achabi septuaginta ejus filij capitibus truncati sunt. 2. Reg. 10. Propter delicta Saulis nec Jonathæ aliâs pio parcebatur. Ubi tamen notandum est, quod pro sua misericordia juxta Evangelij Μετάνοιαν agentium pœnitentiam misereatur Deus, nec filius portet iniquitatem patris, Ezech. 18. sed anima quæ peccavit ipsa moriatur. Aliâs non tantùm in posteros, quorum, si nollemus animæ nostræ misereri, nos tamen commiseratione duci oporteret; sed etiam in regna & urbes derivatur pœna divina, & sæpe mali malefacta viri populus luit omnis. Gen. 14. 2. Sam. 24.

III. Quod persolutio debitorum nostrorum facta sit per solam venundationem & satisfactionem Domini nostri Jesu Christi, cujus merito per fidem nobis peccata condonantur: Cum enim omnis obligatio solvenda sit solutione ejus quod debetur, nec interfit utrum solvat is qui debet, an alij pro eo, lib. 3. Instit. Jesus Christus Goël noster, Job. 19. pro agnatis suis pretiosissimam sanguinis sui monetam exposuit, quem effudit pro peccatis totius mundi. 1. Joh. 2. Ipsi laborem fecimus. Esa. 43. & 53. Ille deleto quod adversum nos erat, & cruci affixo Chirographo, Col. 2. v. 14. Eph. 2. v. 15. 1. Tim. 1. subscripsit Psal. 69. v. 5. Reddidi quæ non rapui. Hinc per miserere mei tollitur ira Dei, & roganti dilationem omne remittitur debitum, contritiq; ad thronum judicij ad thronum gratiæ, qui ἱλαστήριον Christus est, Ebr. 5. cujus typus propitiatorium V. T. fuit, Exod. 25. absolvuntur gratis ex gratia non ex sese. Dei donum est, Esa. 52. Eph. 2. v. 8. 9. misericordiam consequimur. 1. Tim. 1. Quoniam pro nobis servis inutilibus, impuris, infidelibus Christus formam servi induit, Phil. 2. venitq; ut serviret, Joh. 12. servus sapiens, Psal. 40. Esa. 42. & 53. seruus obediens ad mortem usq; crucis, Phil. 2. factus pro nobis peccatum, 2. Cor. 5. & maledictum, Gal. 3. ut in hoc vase fusili decem ulnarum, 1. Reg. 7. decem talento-

rum delicta abluerentur. Hæc gratuita remissio pugnat cum Pharisaica & Papistica satisfactione, estq; agonizantibus salutis anchora. Hæc redemtio non in fisco, sed in visceribus Χριστοῦ σπλαγχνιζομένου *quærenda est, hinc credimus & oramus remissionem peccatorum: Christus enim tulit & abstulit peccata, Joh. 1. Matth. 7. eaq; tanquam in mare profundum post se abjecit, Esa. 38. v. 17. post tergum suum. Hanc salutis impetrandæ methodum, & consolationem suavissimam pia vetustas historiola de Satanæ & Eremitæ colloquio simplicioribus ob oculos ponere & inculcare conata est, quod utinam pij parentes imitarentur.*

II.
Fructus Fidei Triplex.

I. Ut humiliter confiteamur debiti nostri gravitatem, illiusq; pœnam promeritam, & summopere deprecemur culpam: quia hoc vobis annuncio ceu verbum viventis Dei, quod nihil sit aliud velle quærere subterfugium.

Quæritur num hoc vel illud aliquomodo profuturum sit servis debitoribus? Respondetur. 1. Quod nihil sit velle negare debitum & abscondere delicta coram eo, qui totus oculus est. Syr. 23. v. 28. Qui tegit scelera sua nunquam aget prospere. Prov. 28. v. 13. Exempla Gen. 4. Jos. 7. Act. 4. in promtu sunt. 2. Quod nihil sit ob debiti magnitudinem desperare, & sibi ipsi vitam præripere. Væ cordi collapso, Syr. 2. v. 15. quia protectione destituetur, & profundius submergetur. 3. Quod nec adulteratâ moneta fiat persolutio: quia frustra colitur Deus statutis hominum, Matth. 15. & operibus supererogationis. Luc. 18. 4. Quod nec fuga sibi quisquam consulere possit, si quoq; assumtis auroræ alis habitet in novissimo maris. Ps. 139. v. 7. 8. 9. 5. Quod non obrepat Deo scelerum nostrorum oblivio, quamvis hoc multi stolidè sperent. Syr. 5. v. 4. Psal. 50. v. 19. 20. 21. 6. Quod nec proderit excusatio, si quis obtendat se spoliatum esse. 7. Quod nec debentiũ multitudo excuset delictum: quia soli nõ sumus

trans-

transgressi. 8. Quod nihil sit differre de die in diem, & debitum ad tot talenta extendere: Syr. 5. v. 5. & 6. quia tumulus non satisfaciet, sed crescit cum debito usura. 9. Quod inutile imò maximè noxium sit minitari, & obstrepere servis regis, & contradicere hoc debitum postulantibus, & sic Deum aspernari. Matth. 10. Sed, Syr. 21. v. 1. & 2. si peccasti fili ne pergas peccare; verùm pro delictis commissis deprecare, tanquam à conspectu serpentis fuge peccatum, sicut dentes Leonis & gladium ancipitem.

Tria maximè augent peccati gravitatem. 1. Personæ offensæ dignitas: quia ille contra quem delinquimus Deus est, in quo vivimus, movemur & sumus, Actor. 17. sine quo nec linguam nec digitum movere valemus. 1. Reg. 13. v. 4. 2. Personæ offendentis vilitas: quia homo divinæ majestati collatus nihil est, Job. 7. Psal. 8. Syr. 10. 18. 40. sed vilissimus vermis. 3. Offensionis causa levissima. Cum neq; divinitatis amore ceu Lucifer atq; Eva, neq; propter Monocratiam ceu Cain, Esau, Saul; sed propter lucrum turpe vel sordidam voluptatem, pudet dicere, leges divinas homines violent.

II. Ut vigilantes & dormientes, edentes & bibentes semper recordemur impendentis mortis, Syr. 7. tubæ novissimæ & venturi judicis, quasi singulis momentis audiamus vocem Domini: Surgite mortui & venite ad judicium. Hieron. Quoniam nec præsides, nec præfecti de reddenda ratione prænoniti securè agunt. Væ illis qui dum aliquandiu in sceleribus impunè agunt, Deum id latere, aut certè ipsum non adeò accuratè mortalia observare existimant; nec pastoribus quasi plus justo periculum exaggerantibus fidem habent, quos tamen vera locutos cum perenni suo damno experientur. Quid autem quæso sibi persvadet homo? Cuinam confidit? Quid respondebit illi cui nihil est occultum? Aperiam vobis rem ipsam, vos animæ & salutis thesaurum arripite.

In die novissimo nulli proderit 1 Respectus personæ vel magna authoritas. Sap. 6. v. 8. Potentiores non semetipsos, multo minus adulatores suos defendent. 2. Nec genus: quia pater & mater derelin-

derelinquunt nos, Psal. 27. v. 10. Luc. 16. nec frater fratrem redimet. Psal. 49. v 8. 3. Nec aurum vel argentum. Syr. 5. v. 13. Ezech. 7. v. 19. Sophon. 1. v. 18. 4. Nec quisquam se abscondet. Job. 34. v. 22. 5. Nec quem Deus negliget. Syr. 16. v. 15. 16. Matth. 22. v. 11. 6. Nec dabitur uspiam effugere. Psal. 139. 7. Nec auferetur licèt differatur ratio. Rom. 2. 8. Nec quis alium pro se mittet, & absentiam excusabit. Rom. 14. 9. Nec quis tergiversando protestando, appellando quicquam efficiet: quia idem erit Deus judex actor & testis, quem nihil latet, nec rectius est consilium quàm ut verè pœnitendo nos probè præparemus, & sic gratiam coram Deo inveniamus.

III. Ut remittamus suo quisq; fratri, hoc est, homini qui non contumaciter sed ex imbecillitate nos offendit, 2. Cor. 5. ex corde, sic ut eruatur radix iræ, delicta etiam innumera. Nec ollis similes ferventibus, Chrysost. irarum tenaces simus, nec cupidi vindictæ: Quia odium non tam vitium quàm furiam tot hydris armatam, quot ex se vitia germinat nuncupare possumus, quod & diuturnum malum est ne morte quidem finitum, & tam longè lateq; in vita dominatur, ut pauciſsimi ab eo liberi sint. August. Ira ubi crevit in odium, trabem facit de festuca & animam facit homicidam. Sed memores novissimorum, lege Syr. 28. desinamus inimicari, quod cupidum ultionis ultio maneat à Domino, & peccati ejus sedulò conserventur. Tardi simus ad iram, Jac. 1. induamus patientiam, Col. 3. nec occidat Sol super iram nostram. Eph. 4.

Remittam⁹ unusquisq; fratri nostro propter

1. Exemplum DEI patris cujus nos filij & servi sumus, qui propter ingentem decem talentorum summam ne quidem irascitur. Chrysost. Et quia debiti nulla est collatio, nos haud decet tam exiguum quid urgendo postulare.

2. Mandatum Dei, Matt. 5. 6. cujus est vindicta. Deut. 32. Rom. 12. Si autem contra agimus — Cõtristatur Spiritus S. Cõservi nos accusant. Ferit nos communis maledictio.

3. Sum-

3. Summum periculum in quo versantur irarum tenaces: Quia
1. Deum habent iratum.
2. Traduntur tortoribus.
3. Retinentur ijs peccata usq; ad extremum obulum.

Neq; nos moveat quod pro benefactis odium probris affecti reportemus: quoniam Regem cælorum singulis momentis offendimus. Inimicus adhæc nostrer famam nostram obscurando animam suam prodit, & dum nobis injuriam infert, amicitiam Dei amittit, velut apes, Psal. 118. quæ cum homini leve vulnus infligant, vitam cum aculeo perdunt. Ut meritò exclamemus condolentes: Væ quid illi contigit qui nobis hoc fecit. Gregor. lib. 4. Dialog. cap. 19. Nec equũ sed sessorem feriamus, hoc est, Dæmonem, qui injectis habenis hominem captum quocunq; vult dirigit, & ipsum iracundiæ facibus inflammat. Basil. Christianus ergo in causis controversis proximum in jus vocaturus ut justa litigandi causa non destituatur ad hunc sese examinet lapidem Lydium.

1. An commendare velit causam judicibus nulli suspectis, qui justè litem dirimant, nec pro favore sed pro jure ferant sententiam, cum dorophori multorum jus turpiter invertant.

2. Si non horret mens judicem justum, examinet actor propriam conscientiam, si fortè verborum lenocinijs causam posset ornare, & falsa narratione judicem decipere, num etiam salva maneat conscientia, nec contra hunc mille testem juramentum in foro offerat, vel ad Dei temere se referat judicium.

3. Si non judicem nec conscientiam formidat, consideret num de instituto possit reddere Deo rationem in die novissimo: siquidem Dei judicium ab humanis variat, & ipse oculos habet vindices. Coram Deo etiam peccatur in opere bono.

4. Si coram judicibus, & in conscientia, & coram Deo causam justam defendi posse confidit, jure tamen stricto procedendum non est: quia summum jus summa est injuria, & dimidium, docente Hesiodo, plus toto. Ait itaq; August. Ego malo multas oblivisci in-

jurias quàm similitudinem conditoris mei amittere. Socrat. Si me calcaret asinus, anne eum statim in judicium vocarem. Basil. In rixa inferior est qui victor est. Cyprian. Non qui perfert, sed qui infert injuriam miser est. Nec nobis ignominia est pati à fratribus, quod passus est Christus, nec illis gloria facere, quod fecit Judas. Vincamus ergo animos iramq; cruentam: Quia nobile vincendi genus est ignoscere lapsis, & sævientibus inimicis orare, Psal. 109. exemplo Josephi, Jacobi & Davidis.

III.

Finis vel Merces Fidei Triplex.

I. Quod rationes nostræ per Christum erunt compositæ, & vincemus Satanam per sanguinem Agni. Apoc. 12. Nec adducti in judicium experiemur, Esa. 43. iram Agni, Apoc. 6 v. 16. cum venerit dies magnus iræ illius. Iram autem Agni appellat, ut indicet tantam illius diei futuram iram, quanta Christi antea mansvetudo præcessit, ut si mater præ furore filium proprium in ignem projiceret. Illaq; ira tanto impijs terrori erit, ut, dicente Chrysost. satius esset decies mille fulgura sustinere, quàm faciem illam mansvetam videre à nobis aversam, & tranquillum oculum non ferentem nos. Nemo autem accusabit Electos Dei: Rom. 8. v. 33. quia Deus est qui justificat. Nemo nos condemnabit: v. 34. quia Christus mortuus & excitatus est, & ad dextram Patris pro nobis postulat. Si itaq; quis unquam præfectus gavisus est quod haberet in aula fautores, vel quod bonam bonorum auxilio bene compositis rationibus haberet conscientiam, & quod aliquid supereſſet. Nos in Christo verè beati erimus: quia ipse noster est advocatus, & propiciatio pro peccatis nostris, 1. Joh. 2 v. 1. & 2. Neq; nos sed ipse pro nobis Patri reddet rationem, & superabundat gratia, Rom. 6. sic ut sint fluenta misericordiæ, veluti Sol magnitudine sua 166. mundos æquat.

Solis magnitudo.

II. Quod non tantùm in hac, sed in cælesti quoq; vita Deo serviemus cum Angelis, qui se hic nostros non erubescunt dicere conser-

conservos. Apoc. 22. v. 9. Nec servi amplius erimus inutiles, imperfecti & imprudentes, sed scientes facientesq; voluntatem Dei, Matth. 7. atq; servantes verba libri ejus; nec servi verùm liberi & liberi, & hæredes cohæredesq; Dei, & liberti, non iterum propter aliquod erratum ad pistrinum cum mancipijs adigendi. Valer. Max. lib. 2. cap. 1. de Romanis & Athenienſibus ſcriptum reliquit, quod ſervos quidem bene meritos libertate donaverint, at ſi in poſterum aliqua apud ipſos deprehenſa ſit ingratitudo, mutata ſententia, & retracta libertate iterum mancipia de ijs fecerint. Deus autem non eſt velut homo ut mentiatur, & filius hominis ut mutetur. Num. 23. v. 19. Hic quidem tranſgredientibus delicta vicißim imputantur; ſed tamen remißio peccatorum eſt Regnum Chriſti. Et ſicuti Sol nihilominus in cælo ſereno fulget ſi ego claudam oculos meos; ſic ſemper viget thronus gratiæ, licèt ego in peccata relabar: quia ubi pœnitens ad Chriſtum revertor remißionem peccatorum obtineo, ſicut apertis oculis Solem iterum intueor, & hoc quidem in cælo Eccleſiæ, ſed in cælo tertio non erit debitum nec remißio, ſed ſtatus ſemper perfectißimus.

III. Quod non trademur tortoribus cum damnandorum, etiam notorum & agnatorum multitudine. Si itaq; Pincerna Pharaonis gaviſus eſt de vinculis liberari & extolli, Gen. 40. rapto ad ſupplicium Piſtore, cum uterq; in carcere judicij ſententiam expectaret. Si quis unquam præfectus propter infidelitatem condemnatus & ſupplicij reus, interventu autem optatißimi fautoris liberatus præ gaudio gratias egit; nos verè exultabimus, per Jeſum Chriſtum liberati à tortoribus Diabolis, qui genus humanum æternis cruciatibus exceptum violenter torquebunt.

Tortores ad cruciandum excitabit,
1. Quod genus humanum creatum ſit ipſis antea in cælo paratas ſedes occupare.
2. Quod humana natura illis in Chriſto perniciem attulerit, ipſorum imperium everterit & potentiã fregerit.
3. Triumphus quod victoriã de damnatis obtinuerint.

Si ab autoribus requiram, quidnam sit, quod omnes sensu præditi omnium maximè desiderent, facilè respondebunt, se nihil magis optare quàm æternam salutem & felicitatem consequi: hic enim ultimus vitæ humanæ finis est & omnium expetendorum maximum, illiq; impetrabunt qui delictorum suorum veniam à Domino nacti, fratri veniam præbent. Non procul abest hora in qua intelliget homo sibi ab hoc seculo emigrandum, & vitæ anteactæ rationem esse reddendam; se verò decem talentorum debitorem coram æquissimo judice agnoscet, quod ut debitum maximum est; ita tempus ad solvendum brevissimum & facultas nulla. Quid ergo in agone & angustia constitutus faciet? certè quod hic debitor, ut supplex oret: Patientiam habe mecum Domine, spacium pœnitendi mihi concede velut olim Ezechiæ, Esa. 38. ne subitò prosternatur ficus, Luc. 13. nec avocer in medio dierum, Psal. 102. & subitò operiar caligine mortis. Job 10. Et tu Domine me imparatum in carcerem Gehennæ conijcias. Ad mentem quæso revocate quotquot hic modò integri & incolumes

NB. *adestis, futurum aliquando vel opinione citius, ut inter tempus hoc & æternitatem positi, tempus quidem protinus relicturi, infinitum autem seculum ingressuri, ex altera parte Gehennam, ex altera animarum beatarum hospitium mentis oculis perspiciatis, ubi intra trium vel quatuor horarum spacium divinæ sententiæ decreto statuetur quod in æternum mutari non poterit. Quid quæso tunc magis animam quàm vitæ malè actæ memoria cruciabit? Quid magis tunc optabimus, quàm placidum judicis vultum intueri, & à tortoribus liberari? Quod verè continget omnibus qui rectè credunt & piè vivunt, fidemq; retinent & bonam conscientiam.*

Dominica XXIII. Post Trinitatis.

DE CENSU, AN DANDUS CÆSARI.

Eva-

Evangelium Matth. 22. à v. 15. usq; ad v. 22.

PRÆFATIO SUPPLEX.

COëgerunt frivolum Phariſæi conſilium, & voluntatis conſilijs inanibus quæſiverunt capere Chriſtum in ſermonibus ejus. Convenimus autem nos in nomine S. S. Trinitatis, ut ſtudiosè audiendo & diligenter obſervando ſermonem Chriſti ſalutiferum inſtituamur de via optima in gloriam Dei & animarum noſtrarum ſalutem, ſic allaturi Deo cenſum ſpiritualem. Ut autem labor hic noſter in Domino felix ſit, auxilium Spiritus ſancti à Deo patre, interventu Jeſu Chriſti ſuppliciter impetrabimus. Pater noſter, &c.

Exordium Propheticum.

VAticinium de Meſſia extat Eſa. 29. v. 14. quod capiet ſapientes in ſapientia ſua & intelligentia intelligentium abſcondet ſe: quia, Job. 5. intricabit callidos in aſtutia ſua, ut dicatur, 1. Cor. 1. v. 20. ubi ſapiens? ubi ſcriba. Exemplum datur in hoc textu, ſiquidem Satanas per Judæos impios iniqua ruminavit conſilia, ſicut Abſalon contra Patrem ſuum Davidem, 2. Sam. 15. contra filium Davidis Unctum Dei, ut ſic captus traderetur Pilato. Luc. 10. Sed habitans in cælis Dominus ſubſannat eos. Pſal. 2. v. 4.

BREVIS SUMMA ET DISPOSITIO TEXTUS METRICA.

HOſtes maligni ſubdolè
Chriſtum ſubornant Judicem,
Hæc juſta cenſus Cæſari
Quod detur, an ſit actio?
Ut porrigant hypocritæ
Numiſma Chriſtus poſtulat,
Imaginem Denarij,
Fatentur eſſe Cæſaris.

Præscribit ergo Regulam,
Ut Cæsari quæ Cæsaris
Deoq; dent quæ sunt Dei,
Sed Christo omisso transeunt.

TRIA EX HOC TEXTU TIMENTI DEUM ET HONORANTI REGEM, PROV. XXIV. NECESSARIA.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. Quod Jesus Christus, teste ipso hoste, sic enim relicto veneno mel legendum est, relicta Pharisæorum fraude recipienda veritas; sit Magister verè unus, Joh. 14. non tantùm ad docendum: Psal. 45. v. 3. Esa. 50. v. 4. 61. v. 1. & 2. verùm etiam Magnus ad sanandum. Esa. 63. v. 1. Missusq; à Deo Doctor veritatis non respiciens personas, & author salutis justitiæ viam monstrans. Imò ipsa veritas, vita & via. Joh. 14. Viæ ejus delectabiles, Prov. 3. v. 17. & omnes semitæ ejus pacificæ. Psal. 25. v. 10. Et timentes Jehovam docebit viam optimam, Ibid. v. 12. quæ divinorum mandatorum obedientia & justitia est, nosq; ad gloriam ducit & felicitatem. Hinc Magister verax & constans in suum locum substituit verbi ministros pari reverentia audiendos, Matth. 10. & per illos monet ad diem usq; novissimum, 2. Cor. 5. ne declinemus ad dextram neq; ad sinistram: Esa. 30. v. 21. quoniam via angusta est, Matth. 7. & lubrica. Psal. 73. Facilè quis per cacumina montium gradiens & ad altiora aspirans præceps agitur, facilè per cœnosas paludes ambulans & voluptatibus deditus submergitur, nec pertingit ad montem sanctum. Psal. 15. Felices ergo oculi qui vident Doctorem suum. Esa. 30. v. 20. Nec de doctrina quam per synceros verbi ministros Deus propagat unquam dubitandum est.

[*1. Viaticum Eucharistiam, aliàs væ illis qui vocantur*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730416445/phys_0366
DFG

Tria viatoribus Deus largitur.	* ad opera fortium, nec aluntur fortium cibo. Bernard.	1. Infirmi sustentantur.
	2. Baculum verbi divini, Psal. 23. Psal. 19. quo	2. Lapsi eriguntur.
	3. Perã, misericordiã scilicet. Syr. 27. 29. v. 16. Matth. 25.	3. Hostes abiguntur.

II. Quod Jesus Christus sit scrutator cordium, secretorum consiliorum conscius, Jerem. 17. & 20. cui notum est quicquid in homine latet. Joh. 2. Contra quem subdolè iniqua tractare consilia, justos persequi, eosq; cum Aristide ad Ostracismum proscribere, Plutarch. in Apophth. vanum est, perinde ac si quis rete tendat volucri videnti, Prov. 1. v. 17. Nihil est velle Deo fucum obtrudere: quia quanta est distantia cæli à terra, Esa. 55. in tantum superat Dei sapientia cogitationes mortalium. Et confusa intercidunt Diaboli & impiorum consilia contra Deum & Ecclesiam directa, nec deturbabit Turca vel Papa Christum à dextris Dei, Psal. 110. nec portæ inferorum prævalebunt gregi pusillo: Matth. 16. Luc. 12. Quoniam ipse vigilat, Psal. 121. ipse nobis adest, Matth. 28. ipse in nobis habitat, Joh. 14. & in membris suis patitur persecutionem. Actor. 9. Dissipantur ergo mala consilia, Esa. 8. τῶ βαλεύσασθε κάκιστε, Hesiod. & colliquescunt sicut aquæ, similia sagittis excisis, limaci deficienti, abortivo mulieris, & rhamnis ad ignem: Psal. 58. quia hîc est Immanuel lapis angularis cũ inscripto symbolo: Quisquis ceciderit super eum corruet, & pressus ab eo conteretur. Ille Angelus Magni est consilij, Esa. 9. qui Syriorum consilia Elisæo nota, 2. Reg. 6. Ahitophelis autem consilia fecit irrita, 2. Sam. 17. nobisq; dat os & sapientiam, Luc. 21. v. 15. Nihil ergo Pharisæi cum adjunctis Herodianis, licèt insigni Satanæ artificio velut uno ictu, aliàs infensissimi hostes, Christum petant, cum tortuosa & bicornuta sua quæstione effecerunt: Quia invictus Dominus Zebaoth cuspide in hostes conversa ipsos suo gladio jugulavit, velut serpens Mosis Mago-

Excilium decennale.

Magorum serpentes devoravit. Exod 7. Ut doleant telis vulnera facta suis.

III. Quod Deus stabiliat & transferat imperia, Luc. 1. nec pressuræ Gentium contingant fortuitò; sed providente & permittente Deo, à quo fit res illa. 1. Reg. 12. v. 24.

Magistratus triplicitèr diversus. Qui

1. Stipendijs suis contenti non deglubunt subditos, qualis fuit Tyberius, &c.

2. Insuper subditos paternè fovent, velut Cyrus, Alphonsus, Trajanus, Vespasianus Junior.

3. Insatiabiliter crudeles & avari subditos premunt, qualis fuit Tryzus, Ælian. lib. 14. fol. 474. Rex Demetrius supplicationes cremans, Plutarch. atq; Achab cum sua Jesabella. 1. Reg. 21.

Est itaq; & Tyrannorum imperium à Deo, Sap. 6. v. 4. quod testatur ipse filius Dei de potestate Pilato tradita. Esa. 10. Væ Assur quia est virga furoris mei. Jer. 27. Omnes istas terras Regi Babyloniæ in potestatem dedi. Sic Deus per Tyrannos judicium exercet. Cyprian. Potestas datur adversus nos vel ad pœnam cum delinquimus, vel ad gloriam cum probamur, conceditq; Deus interdum Tyrannos diu grassari, 1. Ut ceu Tamerlanes & Attila sint flagellum, quo puniantur delicta nostra nosq; excitemur ad pœnitentiam. Sicut enim Judæi Christo sæpetulanter opposuerunt, & discipulos quoq; ut essent juvenes ætate, veteres malitia, Chrysost. assuefecerunt, neq; ex ignorantia sed scientes peccati mensuram impleverunt: ita nos legem Domini transgredimur, & citius arare quàm orare didicimus, nosq; ex ore nostro servos scientes voluntatem Dei ipse judicabit. Luc. 17. 19. 2. Pet. 2. 2. Ut hostes Evangelij, quod sic mirabiliter propagatur velut in Ægypto, Syria & Babylone, sint ἀναπολόγητοι. 3. Ut extet testimonium de ferrea Monarchia, Dan. 2. de ferreo jugo, Deut. 28. & de ferreo sceptro, Psal. 2. nec non de adventu novissimi judicij. Ubi enim exitium imminet regionibus, & pressos Deus liberare, pressores autem supprimere constituit; tunc onera & angustiæ præce-

præcedunt. Sic in Ægypto cum subtraherentur ligna, & duplicarentur lateres veniebat Moses. Sic afferente Christo redemtionem populo suo extrema fuit servitus. Et, Luc. 21. pressura Gentium ponitur inter signa diem novissimum præcedentia, monetq; ut capita attollamus: quoniam liberatio nostra appropinquat.

II.

Fructus Fidei Triplex.

I. Ut in Ecclesiastico & Politico statu singuli suum sedulò faciant officium, sintq; pij concionatores, & magistratum gerentes:

1. Cultores veritatis, non mendaces nec latrones. Joh. 8. v. 10. Mentiri atq; fallere, inquit Hieron. lingua tua ignoret, tantusq; in te sit veritatis candor, ut quicquid dixeris juratum putes. Quod Jethro socer Mosis svadet Exod. 18. v. 21. Ne quis dicat cum Diocletiano: Mihi omnia in omnes licet; cum Jesabella, 1. Reg. 21. v. 7. & cum Noverca Caracallæ Imperatoris: An nescis te regem esse, leges dare non accipere. Juxta symbolum Tyrannorum: Pietas, sanctitas, veritas, castitas privata sunt bona. Senec: Reges quò juvat eant. Lex magistratum duplici modo obligat, scilicet ad obedientiam veluti alios homines, & ad defensionem sive custodiam, nec magistratui legem violanti Deus parcit. Sap. 6. v. 6. 7. Mich. 2. Væ illis qui meditantur injurias & tractant fraudem in cubili suo, rapiuntq; ad se agros & domos. Sic ergo Saul, 1. Sam. 13. Jeroboam, 1. Reg. 14. Achab, 1. Reg. 21. Joakim, Esa. 36. & reliqui tandem puniti sunt.

2. Sint magnanimi veræ doctrinæ & justitiæ defensores, nec quid Christo præponant: Cypr. quia ipse nihil nobis præposuit, &, teste Ambrosio, nihil in sacerdote tam periculosum apud Deum, tam turpe apud homines est, quàm quid sentiat non liberè denunciare. Uterq; reus est, inquit August. & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit. Similiter sit pavor Jehovæ super magistratum & judices, 2. Paral. 19. 6. 7. ut custodiant justum & rectum cum

παῤῥησία & sine προσωπολημψία: 1. Timoth. 5. quia, monente Chrysost. non in pretiosa veste & zona, non in præconis voce cernitur princeps; sed in eo quod collapsa reficiat, quæ malè constituta sunt corrigat, & in injuriosos animadvertat, nec patiatur jus auferri.

3. Sint stipendijs suis contenti, ubi datur ipsis quod ipsorum est, nec plus justo rapiant. 1. Reg. 21. Ne camelus appetens cornua etiam aures amittat, & aliena rapturi, quod Crœsus multiq; alij cum summo dolore experti sunt, propria perdant.

II. Ut Magistrum Jesum discendi causa humiliter adeamus, & temporis qualitatem ex signis præcedentibus agnoscamus. Matth. 16. v. 3. Nec velut Judæi temporis in quo vivimus immemores signa novissimi diei, quæ nobis cotidie ob oculos versantur negligamus, sicut in diebus Noha & Lothi dicentes: pax, pax. 1. Thes. 5. Sed redimamus occasionem, Eph. 5. Luc. 21. viamq; nobis à Christo monstratam seduli sequamur, Dando cæsari quæ sunt Cæsaris; sc. 1. Honorem juxta 4. præceptum, ex corde, in verbis, in gestibus, ut magistratum diligamus, timeamus, Rom. 3. & pro ipso oremus. Ps. 20. 21. 61. 1. Tim. 2. 2. Obedientiam, 2. Pet. 2. quod & de apibus & alijs commendatur animalibus. 3. Tributum, Rom. 13. vectigal exemplo Christi, Mat. 17. etiam si plus justo & solito exigatur: siquidem numerus principum augetur, & politicus status ad finem mundi languens fulciendus est. Dando Deo, quæ Dei sunt; sc. 1. Censum cordis nostri ut juxta primum præceptum ipsum præ omnibus & super omnia diligamus: quia in Deo abundantissimè omnia & singula se offerunt, propter quæ quid diligi potest. Ambros. Omnis anima accedat ad Christum: quia omnia ipse nobis est, &c. Apud illum vita & in lumine ejus videmus lumen. 2. Censum linguæ, ut juxta secundum præceptum ipsum laudemus & thure precum, Num. 16. honoremus. Apocalyp. 5. 3. Censum totius vitæ nostræ, juxta tertium præceptum, ut floreat verbum Dei ceu baculus Aaronis, Num. 17. in cordibus nostris, demusq; decimas nec detrahamus templis, & sic promoveamus cursum Evangelij.

Sic

Sic Ethnico quoq; magistratui præstanda est obedientia, exemplo virginis Mariæ, Luc. 2. & dandus census Tyberio Romano, sicut & preces factæ sunt, Jer. 29. pro magistratu Babylonico, modò edicta eorum non pugnent cum gloria Dei, & animarum nostrarum salute. Si autem Deus & Cæsar inter se collidant contrarijs edictis, & magistratus illa præcipit quæ cum mandatis divinis pugnant, omninò cavendum est ne Cæsari tanquam inferiori dentur ea quæ Dei sunt: quia oportet Deo magis obedire quàm hominibus. Actor. 5. Unde & Socrates apud Platonem sapienter ait: Vos judices quidem amplector & amo, at Deo potius quàm vobis obtemperabo. Et Antigones apud Sophoclem magis, inquit, obtemperandum est Dijs, apud quos diutius manendum est, quàm hominibus cum quibus brevi tempore vivimus. Chrysostomi verba hæc sunt: Principibus obtemperandum est modò præcipiant honesta, aut certè ea, quæ licèt iniquæ sunt, tamen non reddunt nos impios sed afflictos. Consilium Augustini hoc est: Si Imperator aliud præcipit aliud Deus, quid judicatur? Major potestas Deus, minor magistratus, solve magistratui tributum, Deo præsta obsequium, da veniam, Magistratus carcerem, Deus Gehennam minatur. Luc. 12. v. 5. Quod cautè arripuerunt obstetrices in Ægypto, Exod. 1. satellites Saulis in Nobe, 1. Sam. 22. v. 17. Daniel & tres viri, septem filij fratres, 2. Mac. 6. & Apostoli omnesq; Martyres nolentes confidere in principibus. Psal. 146. Auferãt Tyranni opes, tollant vitam illæ tamen relinquendæ sunt, & moriendum est.

III. Ut onera nobis imposita jugum ferreum feramus patienter: quia licèt actio sit injusta nec tyrannis mereatur excusationem, passio tamen justa est, & nos iram Domini portamus: quia peccavimus ei, nec est malum in civitate, Amos. 3. quod non fecit Dominus. Et manentibus delictis manent quoq; onera illa duriora, unde si constituatur collatio temporis ante centum annos elapsi & præsentis hujus, videbitur hic status mundi à priore planè diversus. Nec injustum est, inquit Augustl. ut impijs accipientibus potestatem nocendi, & proborum patientia probetur, & malorum iniqui-

tas puniatur. Cedrenus memoriæ mandavit, quendam ex religiosis imperante Phoca Deum ad disceptationem provocare ausum ac quæstum esse, quod tam impium Christianis præfecisset Imperatorem, sed audivisse eum vocem, cum quidem neminem videret, sibi dicentem: Deteriorem alium inveniri potuisse nullum, & hoc meruisse Constantinopolitanorum turpitudinem. Feramus ergo quod meriti sumus, nec culpemus quod mutare non possumus, agamus pœnitentiam, oremus Deum, ut clementior imperia det mitiora, abstineamus à seditione, Num. 16. 2. Sam. 16. Syr. 7. pœnam magistratus impij sibi Deus reservavit. Eccl. 3. Boni principes sæpius seducuntur ab impijs nebulonibus, qualis fuit Doeg, 1. Sam. 22. Siba 2. Sam. 19. Achitophel, Ruffinus, &c. qui gratiam principum venantur, & dorophagi causas invertunt. Quod ad jus divinum attinet, etiam cum vitæ & rerum discrimine defendi debet Evangelion, & legitima Sacramentorum distributio. Reliqua autem jura minus principalia, quibus amissis Christum retinentes salvari possumus; nempe prædia, reditus, agri, si à Tyrannis rapiantur non debent seditiosè defendi. Subjectos nos esse oportet humanæ ordinationi propter Dominum, nec servire tantùm bonis & humanis, verùm etiam iniquis. 1. Pet. 2. v. 13 18. Fortunati sumus quoniam retinemus lucem verbi divini, & pace fruimur, quæ optima rerum est. Et flagella Deus tandem comburet. Sic submersus est Pharao Exod. 14. Herodes à vermibus rosus, Actor. 12. & Julianus desuper telo petitus.

III.

Triumphus & Finis Fidei Triplex.

I. Quod cum omnes aliæ viæ sint erroneæ, sola via Domini à Christo purgata, Mich. 2. & monstrata, Matth. 7. Joh. 14. ducat nos ad Dominum, ad æternam felicitatem, in vitam finis nesciam. Psal. 15. 25. Ut Deo verè offeramus quod ipsius est, utpote

Came-

C ameram
O mnipotentis
R ectoris, & animam, seu spiritum nostrum. Psal. 31. v. 6. Actor. 7. v. 59.

II. Quod cum homo conditus esset in principio ad imaginem Dei, Gen. 1. v. 26. secundùm similitudinem creatoris sui, illa autem imago per peccatum turpiter deformata sit, quò sibi imaginem terrenam impressit homo, Gen. 3. v. 19. per & propter Christum Patris imaginem, Ebr. 1. qui in similitudinem carnis peccati missus, Rom. 8. imaginem nostram excepto peccato suscepit; Phil. 2. hac reformabitur configurata corpori claritatis ejus, Phil. 3. & ad pristinam dignitatis gloriam, portatura imaginem cælestis, 1. Cor. 15. restituetur v. 49. Hic animæ nostræ sunt in exilio, sed apud Deum domi erunt, non credendo amplius sed videndo. Si autem domi sunt, in vera sunt patria. Si in patria apud Deum patrem. Si pater Deus est, nos sumus filij ejus. Si filij & filiæ, ipsi quoq; conformes portabimus imaginem ejus. Scimus enim, quod cum ipse patefactus fuerit, 1. Joh. 3. v. 2. nos similes ei erimus: quia videbimus eum sicuti est.

III. Quod cum apparuerit Christus, nequaquam velut fatui hi de tribu levissima Pharisæi illo relicto simus abituri, sed perpetuò cum illo mansuri in domo Domini, Psal. 23. ubi Tyranni non protrudent nos, nec gloriam istam nobis eripient. In hac quidem vita propter subditorum delicta reges mutantur, & sceptra vicissitudinem habent, raroq; melioribus traduntur. Prædixit ergo Samuel & præmonstravit jus Regis, quem obstinax populus more Gentium postulabat, 1. Sam. 8. v. 11. usq; ad 18. Et spreto consilio senum Roboam, Salomonis filius respondet populo, se aggravaturum onus eorum, & correpturum subditos scorpionibus, 1. Reg. 22. v. 14. Ideoq; pro Dionysio Dionysij filio, ut diutius regnaret filius patre deterior, intolerabiliorem adhuc successorem prametuens, dijs supplicavit ipso adminante anus. In hoc mundo turpiter proceditur: siquidem, Mich. 7.

v. 3. quod princeps postulat, hoc pronunciat judex propter retributionem, cujus dicti veritas videtur 1. Reg. 21. de Jesabella, Jer. 38. de Zedechia & Satrapis ejus. Nec rarò principes falsa narratione inescati decipiuntur. Sed cum politica potestas numeretur inter bona accidentia & concomitantia, in novissimo die tolletur magistratus & potestas. 1. Cor. 15. Omnes arces & urbes vastabuntur, 2. Pet. 3. & potentium grande erit supplicium. Sap. 6. Cantabunt q justi coram Deo Psal. 66. v. 8. Benedicite Domino qui posuerat angustiam in lumbis nostris, & imposuerat homines duros super caput nostrum. Sed jam eduxit nos in terram irriguam. 1. Cor. 15. v. 24. Deinde erit finis cum tradiderit Christus regnum Deo patri, quum aboleverit omnem principatum, & omnem potestatem & virtutem.

Dominica XXIV. Post Trinitatis.

DE FILIA JAIRI ET MULIERE HÆMORRHOUSA.

Evangelium Matth. 9. à v. 18. usq; ad v. 27.

PRÆFATIO SUPPLEX.

CUm omnes justitiæ nostræ sint tanquam pannus menstruatæ, Esa. 64. & stipendium peccati mors sit quæ ad omnes penetravit, Rom. 5. 6. Ebr. 9. nec herba neq; malagma medicinam faciat, Sap. 16. solum autem verbum Dei credentibus conferat salutem & vitam æternam; Joh. 8. Rom. 1. nihil dignius est nec utilius quàm ut id ipsum docendo discendoq; studiosè ruminemus, quod & hodie facturi sumus auxiliante Spiritu Sancto, quem ut nobis Magistrum largiatur Deus in nomine Jesu rogabimus: Pater noster, &c.

Exor-

Exordium Propheticum.

ESa. 63. v. 1. prædictum est fore Christum Magistrum magnum ad sanandum, & Exod. 15. v 26. ipse dicit: Ego sum Jehovah sanans te, utpote Medicus, Matth. 9. cujus ope tam sani quàm ægri opus habent, quod omnia sanet potenti verbo suo. Idq; textus duplicî experimento confirmat.

PERIOCHA ET DISPOSITIO METRICA.

JAirus in certamine,
Luctante mortis filia,
Humilis fide Christi invocat,
Manum, comitemq; mox habet.
Bis passa sex modestior
Fontis flagellum Sanguinis
Revalescit annos fœmina,
Tangendo Christi fimbriam.
Lectoris indè filiam,
Pulso prius tibicine,
Ceu dormientem suscitat,
Christus: probatur hoc cibo.

TRIA EX HOC TEXTU IN MORBIS ET MORTE MAXIME SALUTARIA.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. Quod homo natus ex muliere, Job. 14. v. 1. & 2. sit brevis diebus, Psal. 19 v. 10 Syr. 18. v. 8. satur ira & plenus inquietudine: quia sicut flos egreditur & exciditur, fugit velut umbra & non permanet. Definiti sunt dies ejus, & numerus mensium ejus est cum Domino. Meta ipsi posita est quam non præteribit. Utrumq;, quò agnoscat conditionem suam omnis ex muliere natus, apparet in

hoc

hoc textu ex duplici historia: Quod enim homo vivat brevi tempore & marcescat instar floris, fugiatq; velut umbra, docet filia Jairi, cui ut & nobis singulis meta fuit præscripta, nec abegit mortem ætas juvenilis, nec doctrina, nec divitiæ parentis. Quod homo in camino crucis & morborum repletus sit miseria ac doloribus, demonstrat historia fœminæ hæmorrhoussæ, quæ 12. Annos profluvio sanguinis laboravit, nec erogata substantia sua, Luc. 8. invenit medicamen. Sicut & puella vix tot annos nata mortis falce demetitur, quod verè Adamicum est in quo sic omnes morimur, 1. Cor. 15. & propter lapsum ejus cum eo velut in gleba communi affligimur, ut duplex sit peccati stipendium: morbus vid. atq; mors, adeò pede tetragono stat generis humani calamitas, ubiq; figulus noster vasa lutea probat, subitò dissolvuntur & concidunt. Psal. 2. 103. Esa. 29. & 30. Nec parcit Deus verbi sui præconibus: quia agricolam oportet prius laborando fructus percipere. 1. Tim. 2. v. 6. Verbi minister crucem sustinebit, ut fructu verbi divini perfruatur, per crucem attractus proficiat in patientia, agnoscat vitæ fragilitatem, Psal. 39. & tentatus ipse efficacius consoletur. Sic igne Jehovæ consumuntur Nadab & Abihu Aaronis filij. Levit. 10. v. 2. Sic tollit Deus desiderium oculorum, uxorem Ezechielis. Ezech. 24. v. 16. Sic moritur filia Jairi unica & ferè nubilis. O fallacem ergo hominum spem & vanas nostras contentiones, quæ in medio spacio sæpe franguntur & corruunt, & ante in ipso portu obruuntur, quàm eum conspicere potuerunt. Cicero.

II. Quod Dominus Jesus se facilem præbeat orantibus. Psal. 13. v. 6. Psal. 145. v. 18. Joel. 2. Nec verbis tantùm sed etiam voluntatibus respondeat, Exod. 14. v. 15. Esa. 65. v. 24. & gemitibus piorum. Hinc Bernard. Nolite, inquit, contemnere orationes vestras, sed scitote quamprimum incipitis orare, mox oratio vestra recitata & scripta est coram majestate divina, illâq; tanquam clavi manus Dei auxiliatrix reseratur, & teste Basilio, velut vento mala quæq; à pectore nostro depelluntur, ut cor anxium tanquam per canalem recreetur. August. Quia nec fidei imbecillitatem Dominus moratur,

Esa. 42.

Esa. 42. ejusq; qualitatem non quantitatem respicit, Luc. 17. sic ut omnia possit, nec vacua unquam à conspectu Dei recedat. Marc. 9. Quoniam vestis Domini, Luc. 6. Matth. 14. non equidem texta illa, super quam milites sortem miserunt, sed caro Christi sancta victima in cruce pro nobis oblata, Levit. 6. cujus fimbriæ implent templum, Esa. 6. v. 1. cujus aspectum, ut Ambros. loquitur, nobis subduxit, certitudinem autem præsentiæ reliquit dicens: comedite, bibite; pollet virtute pellendi corporis & animæ languores, quod nemo oderit carnem suam, Eph. 5. si modò spiritu & fide tangatur, nec, Luc. 8. v. 45. constringatur & prematur tantùm à turba, quæ Deum labijs tantùm, Esa. 29. & tumultu carminum, Actor. 5. & verbis sine spiritu, 1. Cor. 14. honorat: Vivifica enim virtus per sanctam susceptam carnem se exerit, confidenterq; tangendo ex carne producitur virtus mundans & sanans. Cyrill. Episcopus Alexand. lib. 4. in Levit.

III. Quod vita & mors sit in manu Domini Jesu, quia ipse morbos incurabiles & desperatos, hydropem, paralysin, lepram, ῥύσιν αἵματος, quod Medici nulli potuerunt, Joh. 3. v. 2. & ipsam vim contra quam non est medicamen in hortis depellit Pater futuri seculi, Esa. 9. & ἀρχηγὸν τῆς ζωῆς, Act. 3. fons author & dux vitæ. In articulo de resurrectione quidem Eva trahit virum, & ratio stulta dubitationem suggerit, sic ut servi Jairi spem rescindant, Luc. 8. v. 49. & tibicines cum Epicureis Christum derideant, sed maximum est discrimen inter fidem & rationem, inter Christi & mundi judicium, inter spirituales & carnales oculos, quoniam hæc puella in oculis mortalium mortua coram Deo dormit.

Mysterium de resuscitatione mortuorum confirmat 1. Verbum Dei. Esa. 26. v. 19. Dan. 12. v. 2. Job. 5. v. 28. Job. 19. v. 25. Ezech. 27. v. 1. Matth. 22. v. 31. 32. 2. Articulus fidei resurrectione Christi obsignatus. Rom. 6. 1. Cor. 15. 1. Thes. 4. 3. Exempla excitatorum in utroq; Testamento: Filius Sareptanæ viduæ. 1. Reg. 17. v. 22. Filius Sunamitidis, 2. Reg. 4. v. 33. Ad conta-

ctum ossium Elisæi excitatus, 2. Reg. 13. v. 21. Puella hæc de stramine. Filius viduæ de pheretro, Luc. 7. v. 15. Lazarus de tumulo, Joh. 11. v. 43. Tabita, Act. 9. v. 40. & Eutychus. Act. 20. v. 10. Si quem offendat dictum Pauli, 1. Cor. 15. quod caro & sanguis regnum Dei non hæreditabunt, respondet Tertullian. non de substantia sed de culpa hoc esse intelligendum.

II.

Fructus Fidei Triplex.

I. Ut in omnibus angustijs, morbis & morte, quæ nec risu nec bile abiguntur, Christum adeamus, qui solus morborum & mortis habet imperium. Et sic caro quæ nos læta traxit ad culpam, nos afflicta reducat ad veniam. Gregor. Magos & lamias consulere prohibitum est Exod. 20. 1. Sam. 28. 2. Reg. 1. Medicina suo tempore non est contemnenda, quia ipse Deus herbis & plantis vires ac virtutem, hominibusq; illarum dedit cognitionem & usum. Syr. 38. Quamvis

In Medico non sit semper relevetur ut æger,
Interdum docta plus valet arte malum.

propter Medicorum arrogantiam, & ægrorum impœnitentiam. Syr. 39. Sed exemplo Regis Ezechiæ, Esa. 38. Deum prius quàm Medicos imploremus, ne Medicos neglecto Deo quærentes cum Asa, 2. Paral. 16. pedibus laborante reddamur incurabiles. Syr. 38. v. 9. & 12. Nec in diuturnis & deploratis morbis constituti spem abjiciamus sed expectemus, Abac. 2. in silentio, Esa. 30. quod nullus tam altas radices morbus egerit, quem Christus non valeat eradere. Luc. 13. sanatur 18. Annos incurvata, Joh. 5 38. Annos decumbens, b. l. obturatur fluxus 12. Annorum, & plurima cotidiana experientia suppeditat exempla. Sic tamen sperandum ne promittamus nobis immortalitatem, sed mortem semper parati expectemus, Psal. 91. Actor. 21. quæ æquo cunctos pede visitat, nec imitemur illos, qui bella vel aulas propter unius felicitatem sectantur. Imperium in juvenes mors habet atq; senes, in pauperes simul & locupletes.

II. Ut

II. *Ut humiliter flexis genibus, Psal. 62. Marc. 5. v. 22. & constanter vera fide, Jac. 1. Christo animum aperiamus, & juxta illud: Credidi propter quod locutus sum, expressa necessitate opem & auxilium Dei, cui quidem afflictiones nostræ notæ sunt, sed tamen eo ut ipsum deprecemur delectatur, poscamus. Fides in hoc Archisynagogo magna fuit 1. Propter personæ & officij eminentiam. 2. Propter mali magnitudinem contra quod remedium postulat, imminentem scilicet mortem, Luc. 8. & 3. Propter mirabile medium impositæ manus Christi, cujus contactu vitam ac salutem reddendam confidit. Mulier in fide longius progressa fuit, dum solo Dominicæ fimbriæ contactu salutem se adepturam credit. Christoq; tribuit quod plus efficere possit veste sua in momento, quàm tot medici 12. annorum spacio pharmacis suis. Quod pro sua sapientia morbi norit Symptomata, licèt ipsa non enarret. Quod pro sua misericordia opem sit laturus, licèt jam paupercula omnia medicis erogasset, & quod pro sua sanctitate ipsam quoq; impuram, Levit. 15. mundet. Sed centurio, Matth. 8. & hanc & illum superavit, qui solo jussu & imperio Christi sine manu & veste servum sanandum credidit. Et quantum quisq; vas fidei capacis attulit tantum gratiæ inundantis hausit. Cyprian. Inprimis quod storgæ in honestioribus operantur naturis pro sobole nostra ægrotante intercedamus. Matth. 15 Marc. 9. Joh. 4. &c.*

III. *Ut fœminæ αἱμορροΐσαι, aliisq; secretos morbos, succum pomi vetiti amarissimum ferant patienter, Jer. 17. orent sanari à Domino, liberataq; gratitudinem erga Deum declarent verbis, Psal. 107. & factis ad imitationem hujus fœminæ, quæ ad fores suas statuam æneam erexisse legitur in honorem Christi, apud Euseb. lib. 7. cap. 14. 18. Niceph. lib. 6. cap. 15 lib. 10. cap 50. &c. Inprimis quia spirituali sanguinis fluxu, & peccati lue abominabili, malo diuturno, morborum & mortis fomite, morbo impuro & è regno Christi nos protrudente laboramus, Psal. 51. v. 16. Esa. 64. Dominicum corpus & sanguinem pane & vino in cœna distributum humiliter vera fide tangamus, sic ut postea desideriorum & cupiditatum malarum fluxus*

reprimatur, nec maneat in nobis peccandi velut ante consuetudo. Sed resurgamus à morte peccati, Roman. 6. Eph. 5. per Christum, Luc. 2. & quando à spirituali animæ morte excitati fuerimus cibo & potu cœnæ Dominicæ confortemur.

III.

Tripudium & Finis Fidei Triplex.

I. Confide filia, fides tua te servavit. Ne timeas Jaire, crede tantummodo & salva erit gnata. Marc. 5. Salvos itaq; faciet & servabit nos sobolemq; nostram fides nostra. Ferunt quidem opem & opes largiuntur inopibus potentiores, sed hæc caduca sunt. Fide autem consequimur æterna, & jubebit sanctos fide ornatos in die novissimo Dominus ad se adduci.

II. Quod piè defunctorum animæ non redigantur in nihilum, nec simul moriantur & resurgant cum corporibus in quo errore fuit Tertullianus, August. epistola 156. aliiq; ἀνηθψυχηται. nec in aëre instar fumi volitent, Sap. 2. nec in desertis ceu spectra circumvagentur, nec dormiant ad extremum usq; diem, nec de uno homine in alium, nec de hominibus migrent in animalia, nec ducantur in Purgatorium, quia hîc purgantur per sanguinem Christi. 2. Cor. 6. 1. Joh. 1. Nec, sicut Irenæus disputavit, lib. 5. abeant in locum invisibilem definitum ijs à Deo, & usq; ad resurrectionem ibi commorentur, postea recipientes corpora ut veniant ad conspectum Dei. Sed quod sint in manu Dei, Psal. 31. Sap. 3. Luc. 23. Act. 7. Apoc. 7. in custodia & defensione Dei in qua annotati sumus, Esa. 49. nec indè rapientur; Joh. 10. quia dextra Dei est ipsius potentia majestas & gloria. Cyrill. Psal. 118. Ibiq; regnant cum Christo, Joh. 17. cui Pater illas dedit, videntes gloriam ejus quam habuit ab æterno. Gregor. Nissen. Quando justorum anima ab hujus caduci corporis & carceris nexu soluta est, tunc propria splendet pulchritudine. August. de Civit. Dei. lib. 13. cap. 8. In requie sunt animæ piorum à corpore segregatæ, impiorum autem pœnas luunt, donec istarum ad vitam æternam, illarum verò ad mortem secundam corpora reviviscant.

Idem

Idem Tract. 49. in Joh. Habent omnes animæ cum de seculo exierint diversas receptiones suas, habent gaudium bonæ, malæ tormenta. Sed cum facta fuerit resurrectio & bonarum gaudium amplius erit & malarum tormenta graviora, quando cum corpore torquebuntur. Animæ interim in manu Christi, in diversorio suo nobis præter dubium bene volunt & optant, ut Mosen audiamus & Prophetas, Luc. 16. sicut Elias recipit se intercessione sua apud Deũ procuraturũ, 2. Reg 2. v. 10. Eliseo mensuram Spiritus sui duplicem. Et Doctor Lutherus ad Præpositum Bremensem ita scripsisse legitur: Sicut ego non dubito tuas pro me orationes valere, ita nec dubites meas pro te valere. Et si ego prior abiero, quod opto trahabm te post me, si tu prior abieris, trahes me post te. Quia unum Deum confitemur & expectamus Salvatorem cum omnibus Sanctis. Et præmissorum parentum conjugum atq; amicorum animæ nostrum adventum expectant, nos suis precibus ex hac ærumnosa vita per Dei misericordiam ad se trahunt. Sap. 4. Unde multi infantes matrem præmissam optato obitu maturius sequuntur, licèt stulta in nobis sit repugnantia: Cum enim ipsæ propter totius mundi gaudia & divitias huc ad momentum reverti nollent, nos etiam ex hac lachrymarum valle & mille molestijs emigrare subterfugimus. Sic vita hæc cum miserrima sit tamen amatur. Augustſerm. de temp. 113. Oranduin autem est ut creet in nobis Dominus desiderium emigrandi, & manendi cum Christo atq; cum Sanctis ejus.

III. Quod corpora demortua voce Christi velut à somno excitata resurgent, Esa. 26. Dan. 12. 1. Cor. 15. nec postea ullo unquam peccati, Eph. 5. aut mortis somno obruentur.

Somnus ergo nihil aliud est gelidæ nisi mortis imago, imperij larvam non habet imperium. Et horrenda peccati pœna, naturæ vastatrix per Christum in somnum suavem mutata est. Joh. 11. Actor 7. 1. Thess. 4. multiq; sub terra dormientium cum Christo resurrexerunt. Ratio autem comparationis hæc est, quod 1. Veluti somnus ita mors piorum finem imponat laboribus. Job. 7. 2. Non

admittat famem nec sitim. Apoc. 7. 3. Corpora recreet & confortet. Job. 11. 4. Quod mortui certò evigilabunt. Esa. 26. 5. Nec anima interim dormiat. Syr. 41. 6. Tempusq; quietis velocissimè avolet.

Illorum ergo qui hactenus indè ab initio mundi præmissi sunt & cotidie terræ mandantur nullus coram Deo mortuus est, sed tam vivi sunt, quàm cum quibus conversamur, quia ipse ossa eorum conservat in quocunq; Elemento, sicut & nos dormientes sustenstat: quia in ipso movemur & sumus. Act. 17. Sicut ergo aurifaber, qui de auro coronam fabricavit regiam gemmis pretiosissimis ornatam, si ea frangatur & conculcetur, aurum liquefactum integrum virtute ignis in pristinam formam redigit, gemmas observat, laboremq; cum ideam & formam norit reparat, & pro veteri artificio denuò exornat: Sic nos de terra facti & anima immortali donati ubi à morte obruimur, animam Deus suscipit, corpus in Elementa resolvitur, & restituta anima sine detrimento renovatur: quia Deus est figulus noster, Esa. 29. nec opus manuum suarum deseret. Job. 14. v. 15.

Porrò nec numerandum est quot annis corpus ab anima fuerit sejunctum, quia coram Deo nihil est prius aut posterius, sed omnia tam futura quàm præterita coram ipso sunt præsentia. Primiq; Abelis & postremi hominis obitus coram ipso momentum est.

Deniq; facilius Deus mortuos quàm nos dormiẽtem puellam excitabit, ideoq; nos sicut dormituri sic & in agone mortis gaudentes Christo commendemus, aliàs mirabimur in die resurrectionis, quod in mortis hora tam molliter obdormire timuerimus, ubi ex sepulchro cum gloria protrahemur. Luctantesq; cum morte sicut pueri matrem sic Christum alloquamur: Domine defatigatus sum, concede mihi requiem, ut sim in terra viventium, quia in morte non est memoria tui. Psal. 6. Peracto sabbatho sub terra tu suscita me in die novissimo. Et respondebit Christus Esa. 26. v. 19.

1. Mor-

Christus Magister vertit
1. *Mortem in somnum.*
2. *Sepulchrum in cubile & domum viventium.*
3. *Tempus ab initio mundi ad diem extremum in momentum.*

In die resurrectionis sicut hæc puella
1. *Audiemus vocem Christi.*
2. *Evigilabimus & resurgemus.*
3. *Parentibus redditi mirabimur & lætabimur.*

Et sicut adolescens post longas peregrinationes exantlatis periculis atq; laboribus gravissimis, ubi ad parentes domum revertitur ut pro ἐκδημέω possit dicere ἐνδημέω, & manere domi, 2. Cor. 5. Joh. 14. & 16. nihil jucundius optat: Sic apud Deum domi esse post piam ex domibus his terrestribus emigrationem, ut simus & perpetuò maneamus ubi Christus est, perpetua erit jucunditas.

Dominica XXV. Post Trinitatis.

DE VASTATIONE HIEROSOLTMÆ, ET FINE MUNDI.

Evangelium Matt. 24. à v 15. usq; ad v 29.

PRÆFATIO SUPPLEX.

DE nulla re frequentius cogitandum est, quàm de extremo judicio, & nihil miseris mortalibus etjam inter desideratissima magis à Deo optandum est, quàm ut bene præparati Jesum Christum judicem cum gaudio expectare, ipsiq; in nubibus obvij faciem ejus cum jubilo intueri possimus. Eaq; de re cum hodie pro concione agatur, Deum orabimus ut per Spiritum sanctum nos faciat idoneos docere & discere propter Jesum Christum. Pater noster, &c.

Exor-

Exordium Propheticum.

Dan. 9. v. 27. Roborabit pactum multis hebdomada una & in-dimidia hebdomada cessare faciet sacrificium & oblationem, & propter extensionem abominationum desolabit donec consummatio. Una hebdomada hoc est 7. annis à Baptismo Christi Evangelium prædicabitur & fructum faciet copiosum. Post ½ hebdomad. – 3 ¼ Ann. Christus mortuus est, & post 40. Annos propter impietatem Judæorum facta est desolatio, quam præcessit abominatio in loco sancto visibile Idolum. Joseph. lib. 17. Antiquit. cap. 8. lib. 18. cap. 5. lib. 2. de Bello cap. 8. Hist. Tripart. cap. 6.

PERIOCHA ET DISPOSITIO TEXTUS METRICA.

Quæ signa præcessura sint
Urbis ruinam, excidium
Templiq; lamentabile
Ex Daniele ostenditur.
Simul dolenda Ecclesiæ
De sorte Christus præmonet
Sub Antichristo, sed dies
Ipse abbreviabit pessimos.
In fine tandem seculi
Venturus instar fulguris
Cum gloria, sanctum dabit
Aquilis cadaver obvium.

TRIA EX HOC TEXTU DEVOTA PIETATE ET SINGULARI STUDIO ERUENDA.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. Quod grandia delicta gravissimè à Deo puniantur, nec parcat Deus transgressoribus, si quos fuerint peculium ejus, vel rami natu-

naturales, Rom. 11. & velut annulus digiti ejus, Jerem. 22. sed abominationem verè sequatur desolatio, quod testantur historiæ Gen. 6. & 19. Deusq; comminatus est Exod. 20.

Desolatio in hoc textu describitur triplex:

1. Urbis Hierosolymitanæ per Ursos Romanos Titum & Vespasianum.

2. Ecclesiæ per Antichristum, qui regnare cepit sub Phoca Anno Christi 604. & Turcam seu Mahometh Anno Christi 641. de quo prædictum fuit Ezech. 39. & Dan. 7. De Papa autem legatur Dan. 11. v. 36. 37. 38.

3. Totius mundi per ignem, Malach. 4. 2. Pet. 3. in die novissimo.

Tempus triplex:

1. Veritatis quo verbum Dei purè & syncerè docetur, dum vasa iræ patienter fert Deus, Rom. 2. & 9. & arbores fovet steriles. Luc. 13.

2. Abominationis & errorum, dum illi puniuntur, 2. Thess. 2. qui tempus visitationis non agnoscunt. Matt. 23.

3. Vastationis per bella & ignem, ut qui Evangelio morem gerere noluerunt cum Satana torqueantur. 2. Thessal. 1.

II. Quod certè apparuerit, & pro nobis passus ac mortuus sit Jesus Christus, siquidem mortem ejus abominatio desolationis, Dan. 9. erat consecutura. Et si post mortem Christi illa civitas erat desolanda, & desolatio perpetuò duratura, sequitur Messiam non modò venisse, sed & pro nostra salute immolatum esse. Cum igitur salutis & vitæ nostræ fundamentum sit fides in Jesum Christum, quæ hoc argumento evidentissimè confirmatur, hæc quicunq; legerit vel audiverit, ea monente Christo studiosè observet, credatq; quod venturus sit Christus cum gloria judicare vivos & mortuos. 1. Thes. 1. 2. Thess. 1. Et quidem citò: quia signa præcesserunt. Zach. 14. 2. Thes 2. Nec non subitò instar fulguris. 2. Pet. 3. Hoc qui non credit filius Satanæ est. Polycarp.

Mundus non erit perpetuus: quia

1. Sic conditus est in principio, ut impleto certo annorum numero habeat finem.

2. Tollendus erit abusus creaturarum, Rom. 8. finis quoque erit regni Mortis & Satanæ.

3. Discrimen constituetur inter bonos & malos, qui hîc mixtè vivunt.

III. Quod velit & valeat Dominus liberare Electos suos, 2. Pet. 2. quos ipse, quia super abominationibus ingemuerunt, signavit signo T in frontibus. Justos itaq; Deus vel 1. Maturo obitu, ut Josiam, Es. 56. Achabum pœnitentem, 1. Reg. 21. præreptos, quia Deo placent, Sap. 4. ad cælica transfert, & propter salutem eorum dies abbreviat. 2. Vel mirabili potentia in medio malorum conservat, ut Noachum in diluvio, Israël in Ægypto, Jonam in balæna, Danielem inter leones, tres viros in igne, Baruch & Ebedmelech in priori vastatione. Jer. 39. 45. Et in regno Antichristi, Dan. 11. v. 41. incontaminati manserunt Edomite. Martyres sanguine conspersi, Moab paterni & simplices, qui textibus Evangeliorum & imaginibus piè usi sunt, atq; filij Ammon infantes qui rectè baptizati properanter obierunt. 3. Sapienti consilio fugam præmonstrat, quod docet historia Lothi, & Christi profugi in Ægyptum. Et Electos Deus trans Jordanem in urbem Pellam, ubi quod mirandum est, à bello, fame & peste planè immunes fuerunt, deduxit per Episcopum Simeonem Cleophæ. Euseb. lib. 3. cap. 5. & 11. qui alias dicitur Zelotes, & Cananites, unus fuit ex 12. Apostolis, frater Judæ Thaddæi & Jacobi Minoris seu Justi, pater ejus fuit Alphæus. Jacobo fratri qui 30. annis Episcopus fuit Hierosolymæ hic Simeon successit, & præfuit Ecclesiæ annis 47. Imperante Trajano anno Christi 110. annos natus 120. cæsus & crucifixus.

Ezech. 9 v 4. Apoc. 7 v 3.

II.

Fructus Fidei Triplex.

I. Ut si in diebus malis oblata fuerit occasio fugiendi, temere non eligamus periculum: quia vir sapiens videt infortunium & abscondit se,

dit se, Prov. 22. stulti autem cæduntur. Sed cum bona tamen conscientia & cautè nos ad fugam præparemus. Sic David fugit insidias Saulis & 1. Sam. 21. coram Achis rege in Gath simulavit se insanire. Christus se subduxit Luc. 4. Joh. 8. Nec securos avaritia retrahat aut retardet velut uxorem Lothi, & Israëlitas in Ægyptum reverti optantes, Judæosq; qui tempore obsidionis aurum devorarunt in media morte fluctuantes. Sed cum de hujus mundi opibus nihil ab hinc nobiscum trahamus, 1. Tim. 6. nec quid aurum prosit in die judicij, Zoph. 1. præsertim in lucta mortis animum à rebus mundanis avertamus & semper ad ea quæ à fronte sunt, Phil. 3. scopum versus contendamus. Cum cœnatur, cum prandium sumitur, aut cum lavatur, semper apud nos fiat Gehennæ mētio, Chrysost. Homil. de præm. Sanct. diversis. ne peccatis obruti in tam celeri fuga deficiamus.

II. Ut humiliter oremus dari nobis halcedonia, pacem & victum si non abundantem saltem necessarium, commodumq; emigrandi tempus, ne fiat in hyeme, quod difficillimum est propter itineris molestiam, nivem, pluvias & dies breviores, nec in Sabbatho quod Judæis erat prohibitum, nec ipsi longius Sabbatho iter absolvebant, quàm ab urbe usq; ad montem Olivarum; Actor. 1. sed vera præcedente pœnitentia, quo bene præparati Domino occurramus, cincti lumbos, Luc. 17. nec fugiens leonem incidat in ursum, Amos. 5. in Scyllam cupiēs vitare Charibdyn, nec ante pretij nostri quo redemti sumus pereamus conspectum, sed Dominus nobiscum ambulans sit lucerna nostra. Psal. 119.

III. Ut firmiter tueamur agnitam veritatem & simpliciter perseveremus, nec habeamus fidem alicui monstranti nobis alium Jesum, Joh. 14. v. 6. Actor. 4. v. 12. nec exeamus si virus Pontificium, aut aliud cacodogma iterum nobis obtrudatur. Galat. 1. Apoc. 18. Eph. 4. 1. Joh. 4. Præsertim hoc tempore, quo pro restauranda dignitate Pontificia Jesuitæ passim strenuè laborant, & omnibus negocijs manus ad cubitum usq; inserunt, Regum potentissimorum & quorumcunq; optimorum Theologorum vitæ insidias struunt.

Quare sapienti consilio potentissimus Rex noster singulari edicto probibuit, ne quis scholas frequentet Jesuiticas.

III.

Finis & Triumphus Fidei Triplex.

I. *Quod ubi Christus cum igne & fulgure apparebit, in throno majestatis suæ videbimus primò cælum & terram, & singula in illis quæ propter lapsum hominis maledicta erant, Gen. 3. unà cum corporibus hominum per ignem liquefieri, & subitò à sordibus purgari, 1. Cor. 5. 1. Thess. 4. ceu domus peste vel lepra infecta. Lev. 14. Eritq; cælum novum & terra nova, Esa. 66. 2. Pet. 3. non quo ad materiam, quod multi statuunt, sed quo ad formam. Videbimus porrò iram furoris divini adversus peccata effundi, sic ut mundus cum improbis incolis suis, hospitium turpe cum hospitibus incensum corruat & flammis cremetur. Gaudebimusq; tandem cælum, quod propter delicta nostra aëre nos intempestivo, Solem, qui nos ariditate nimia & prolixa, terram, quæ nos per homines, per feras & vermes, mare, quod nos fluctibus damniferis afflixit, in ignem à Christo projici, ceu virga à bono parente, ubi castigatus sese corrigit filius, cum indignatione flammis traditur. Unde omnia exultabunt coram Jehovah, Psal. 96. Psal. 98. Rom. 8. qui judicabit orbem in justitia, & populos in veritate.*

II. *Quod judicium traditum sit Filio hominis Immanueli nostro, Joh. 5. Matth. 24. Actor. 17. ut illa persona sit judex, August. quæ sub judice stetit, ipsa judicet quæ judicata est, & videant homines impij ejus gloriam in cujus mansvetudinem fremuerunt: dum Agno crucifixo traditum est judicium. Actor. 1. Nec consumentur ab essentia divina & splendore Christi homines electi, quamvis Deus sit ignis consumens, Deut. 4. 1. Tim. 6. cum faciem Mosis, Exod. 33. 34. 2. Cor. 3. ferre non potuerit Israël, & quævis insveta facilè nobis terrorem incutiant. Videbimus adhæc signum Filij hominis, quod Chrysost. de cruce ab Angelis portanda, alij de clavorum signis exponunt. Sed caro Christi divina majestate erit glorificata.*

III. *Quod*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730416445/phys_0388
DFG

III. *Quod ubi Cadaver ibi Aquilæ. Et nos cum Christo manebimus in perpetuum. Joh. 17. 1. Thess. 4. Veniet enim Dominus ad judicium cum Senioribus populi sui, Esa. 3. & cum Principibus suis, Zach. 12. & disponet nobis sicut ipsi disposuit Pater cælestis regnum, Luc. 22. ut in illo edamus & bibamus super mensam ejus. Sedebuntq; cum Christo Electi in throno ejus, Apoc. 3. & Apostoli super sedes duodecim judicabunt 12. Tribus Israël. Matth. 19. Quod Dominus Jesus faciet plenaria potestate, Electi autem ceu testes contra impios. Sap. 5. Cum in hac vita maximi honoris loco ducatur esse à consiliys & secretis Imperatorum, Regum & Principum hujus mundi, jo quanta erit gloria assessorem esse judicis Christi, Zach. 14. ubi veniet Dominus Jehovah & omnes Sancti cum illo, justiq; judicabunt Gentes, Sap. 3. & dominabuntur populis, & Dominus in eis perpetuùm regnabit. Judicabunt autem Sancti juxta verbum Domini, & sanctam quam promulgarunt legem, Marc. 16. v. 12. aliosq; suo condemnabunt exemplo. David Saulem, Ninivitæ Judæos, Maria Magd. & latro, Luc. 23. in sceleribus absq; pœnitentia defunctos accusabunt. Nos autem erimus filij & filiæ Dei, fratresq; & sorores Christi, cum hoc magistro nostro in æternum mansuri: quiâ ceu Aquilæ virtute Christi ad superna evolabimus, Deut. 32. & esurientes atq; prævolantes cadaver quæremus, Job. 39. oculorum acie Solem superantes, quia ceu Aquilæ in fonte Baptismi tribus vicibus tincti vigorem recollegimus, Plin. & renovati sumus, Ps. 103. v. 5. Chrysost. in Ep. 1. Cor. 10. Homil. 24. Ubi cadaver, inquit Christus, ibi & aquilæ. Cadaver Domini corpus propter mortẽ, nisi enim ille cecidisset nos non resurrexissemus. Aquilas autem appellat, ut ostendat ad alta eum oportere attendere, qui ad hoc corpus accedit, & nihil cum terra ei debere esse commune, neq; ad inferiora trahi & repere; sed ad superiora semper evolare, & in Solem justitiæ intueri mentisq; oculum habere acutissimum: Aquilarum enim non Graculorum hæc mensa est.*

Dominica XXVI. Post Trinitatis.

DE JUGO CHRISTI TOLLENDO.

Evangelium Matt. 11. àv. 25 usq; ad fin. cap.

PRÆFATIO SUPPLEX.

PIum & assiduum Nazianzeni votum hoc fuit: Utinam nemo pereat. & frequenter D. Augustinus optare solitus fuit: Utinam nemo illorum qui me docentem audiunt condemnetur. Idem ego indignus Evangelij minister, qui jam tot labentibus annis per misericordiam Dei doctrinam vobis cælestem proposui, nocte dieq; etiam ubi vos curis hujus mundi, ebrietate & somno obruti nihil tale meditamini, ex toto animo precor, vosq; agite mecum Deum patrem invocate, ut clementer avertat à nobis salutis perditionem & animarum perniciem, detq; incrementum verbo suo quod hodie tractaturi sumus: ut sub onere nutantes ad Christum advolemus, recreationemq; & requiem animarum inveniamus, communicato nobis linguæ directore & inflammatore cordium Spiritu sancto per & propter Jesum Christum. Pater noster, &c.

Exordium Propheticum.

Zoph. 3. v. 12. Relinquam in medio tui populum humilem & pauperem, & sperabunt in nomine Jehovæ. Sic non multi nobiles potentesve ad Christum congregati sunt, 1 Cor. 1. sed licèt Ecclesia non fuerit apud superbos atq; divites, fuit tamen est q; apud humiles & infantes: Luc. 10. floret enim tanquam rosa inter spinas, Cant. 1. & triticum inter zizania. Matth. 13 Hinc comparatur columbæ, Cant. 2. v. 14. in rupibus & cavernis habitanti. Naviculæ à ventis &

tis & procellosis fluctibus agitata, Matth. 8. v. 23. & domui turbini atq; imbribus exposita. Matt. 7. v. 25. Verè autem venit Christus in mundum salvare peccatores, 1. Tim. 1. quos & hoc loco amanter convocat.

SUMMA TEXTUS ET DISPOSITIO METRICA.

CHristus parenti gratias
Agit, pusillo quod gregi
Cæli revelet abdita,
Per se data cui sunt omnia.
Venite quos labor gravis
Dolorq; torquet anxius,
Christum Fide apprehendite,
Dabiturq; recreatio.
Ex corde mites si jugum
Humilesq; Christi tollimus,
Animæ fruentur ocio,
Onus leve est & commodum.

TRIPLEX REFOCILLATIO SPIRITUALIS EX HOC TEXTU.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

I. Quod Jesu Christo Dei & virginis filio secundùm humanam naturam data sit omnis potestas in cælo & terra, Matth. 28. v. 18. & ipso solo ὁδηγῷ ac revelatore agnoscamus cum ipso Deum patrem, & Spiritum Sanctum. Pater diligit filium, Esa. 42. Matt 3. & 17. Joh. 3. ipsiq; dedit omnia, Psal. 8. Col. 2. v. 3. in ipso sunt omnes thesauri sapientiæ & cognitionis absconditi, v. 9. in eo habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter. Et cum sit in sinu Patris, Joh. 1. ejus opus est ut credamus in Deum, Joh. 6. & per hanc viam quæ ipse est, Joh. 14. solus, Actor. 4. veniamus ad Patrem. Cyrill.

Omnia

Omnia Christo data sunt ut homini: Quia cum creatura sit nihil habet à se ipso, & nemo rapiet nos de manu ejus. Joh. 10.

II. Quod, cum potentiores & sapientiores hujus mundi, Joh. 7. v. 48. 1. Cor. 1. contemnant doctrinam Evangelij de Christo crucifixo, Deus Ecclesiam colligat de parvulis & simplicioribus, Esa 28. v. 9. & 10. eisq; det sapientiam & Spiritum S., qui in spiritualibus negocijs Dei gloriam & animæ salutem concernentibus rationem captivam tenent, & simpliciter credunt, posse Deum abundè facere plus quàm nos intelligimus. Jer. 37. Zach. 8. Eph. 3.

Vera sunt Ecclesiæ membra, 1. Qui agnoscunt naturalem in spiritualibus cæcitatem, seq; stultos coram hoc mundo; 1. Cor. 3. v. 19. sapientia enim hujus mundi stultitia est coram Deo, ut similes reddantur infantibus. Matth. 18. Luc. 24. 1. Cor. 3. v. 1. 2. Gal. 3. Eph. 4. 5. 2. Qui Deo licèt sermo rationem superet, & audita non intelligant, ceu infantes parentibus suis fidem habent, &, quod Aristoteles cum Plinio noluit, fidem suam, illis rebus astringunt, quæ naturæ præscriptum penitus excedunt. 3. Qui nec contra Deum disputant, sed auscultant & conticescunt. Epiphan. Deus voluntatem suam revelat non illis qui ipsum syllogismis & rationibus includunt, sed credentibus.

Ejusmodi stultos & infantes Deus non aversatur, sed quia Davidis Filium sequuntur anxij atq; onerati, sicut Davidi Saulem fugienti, 1. Sam. 22. homines se associant proscripti, exules, & ære alieno gravati; ipsis sese revelat, ut verè sapientes, Luc. 1. πληροφορίαν intellectus obtineant. Col. 2.

III. Quod Jesus Christus non horreat peccatorem, nec aspernetur egenum, Bernard. sed manum suam extendat tota die, Esa. 65. ut convocet ad se sitientes, Esa. 55. Joh. 7. eosq; ceu pullos congreget: Matth. 23. siquidem & juramento se nobis obstrinxit, Ezech. 33. & quidem sine respectu personarum omnibus, Matth. 11. Act. 10. labore & onere gravatis, quod dare velit lasso fortitudinem, & cui non sunt vires robur. Esa. 40. Atq; venire nos jubeat, non quod indigeat

digeat gloria nostra, Bernard. sed quia vult salutem nostram, quam & spiritualiter & corporaliter indè ab initio mundi advenientibus largissimè contulit, ceu historiæ utriusq; Testamenti abundè testantur. Ideoq; nemo se excipiat, quem Christus non excluſit, siquidem non nostra dignitas, sed Christi meritum nos salvat, apud quem copiosa est redemtio. Psal. 130. Esa. 41. Si nos sumus cervi attracto veneno sitientes, Psal. 42. columbæ afflictæ, Cant. 2. & torres adusti Zach. 3. ipse Aqua vitæ, petra & ereptor est, ille vivit & nos vivemus, Joh. 24. saturabit nos, Luc. 1. & manebimus in domo ejus: Ps. 23. quia ipse in se transtulit delicta nostra, onus nostrum, Esa. 9. Mich. 7. Joh. 1. veneruntq; ad ipsum & recreati sunt in spiritualibus Adam, David, Manaß. Magdal. Petrus, Latro. In corporalibus Regulus Joh. 4. Jairus Matth. 9. Chananæa Matth. 15. &c. Iccirco si torquent nos delicta approperemus ad Dominum Jesum orantes, cum superent delicta numerum capillorum, ut in adjutorium nostrum festinet. Si mordet conscientia, ut sanet nos. Jer. 17 Si mors spicula mittit, ut liberet animam nostram, Psal. 116. fundat vinum & oleum, sitq; contra rugientem, 1. Pet. 5. Leo fortis de tribu Juda. Apoc. 5.

II.

Fructus Fidei Triplex.

I. Ut simpliciter pendeamus ab ore Christi, & mammis Evangelij, retinentes Catechismum, & asinum rationis à templo Domini arcentes: Gen. 22. quoniam Deus voluntatem suam revelat simpliciter credentibus. Sap. 9. v. 16. Vix ea quæ in terra sunt conjectura assequimur, & quæ in manibus nostris tractamus cum labore invenimus. Quis autem ea perveſtigabit quæ sunt in cælis? nisi cui Deus dederit sapientiam, & Spiritum sanctum miserit de altissimis. Eccl. 11. Quemadmodum tu ignoras quæ sit via spiritus, & quomodo concrescant ossa in utero prægnantis: sic nescis opus Dei qui facit omnia. Nazianz. Si te ipsum non nosti quisquis es, quo tandem modo qui & quantus sit Deus te scire arbitraris? magna profectò est stultitia.

Ambros. Cœlorum secreta doceat ille qui me fecit, non homo qui se ipsum ignorat: Difficilia enim æstimamus quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt invenimus cum labore. Augustin. Quod credimus authoritati, quod intelligimus rationi debetur. Chrysostomus super Matth. Homil. 49. Christianos volentes firmitatem accipere fidei veræ ad nullam rem confugere decet, nisi ad Sacram scripturam: Non enim creditur Philosophis, creditur piscatoribus, non creditur Dialecticis, creditur publicanis, uti scribit Ambros. Humanæ rationes & testimonia si quis eis nimium & præposterè utatur, instar sunt armorum Saulis, quæ Davidem non modò non adjuvant, sed ineptiorem etiam ad pugnandum reddunt. Luth. Asina non est imponenda Christo, sed Christus asinæ.

Agnoscamus adhæc pondus grande quo onerati sumus, 1. Peccatorum nostrorum, Psal. 38. v. 5. Esa. 38. v. 13. Ezech. 33. v. 10. Seneca. Prima peccati pœna est peccasse, nam sceleris in scelere supplicium est. Delicta ergo si extrahi nequirent, cor ipsum cum illis erat revellendum. 2. Malæ conscientiæ, cujus stimuli semper in natura hærent, quia semper angit iniquos, & teste Pythag. nemo tam audax est, quem mala conscientia non faciat timidissimum, dum animus sibi malè conscius ab omni vento pavet. 1. Reg. 25. v. 31. 3. Pœnarum divinarum. Deut. 28. & 31. 2. Par. 15. Zach. 11. Et pedibus pœnitentis pectoris, mutato imperativo in indicativum absq; retardatione ad Christum veniamus. Psal. 94. Syr. 5. 18. Fugiamus vocem corvinam, Augusti cautiores exemplo prodigarum virginum. Mat. 25. Cum enim Deus omnibus verè pœnitentibus promiserit gratiam suam, nulli promisit vitam in crastinum. Gregor.

II. Ut exemplo Christi simus mites & mansueti, & humiles, Matth. 5. Phil. 2. 1. Pet. 2. & ceu lignum quadratum solida non destituamur statione. Matth. 18. & 20. Joh. 11. Quicunq; voluerit esse primus, ille sit reliquorum servus. Sicut arbores in celsis montibus constitæ ventis undequaq; expositæ sunt, quo periculo carent illæ quæ in imis vallibus creverunt: ita superborum mentes semper agitantur.

antur, humiles autem immotæ manent. Bernard. Prov. 11. Ubi fuerit superbia ibi contumelia, ubi autem humilitas ibi sapientia. Hinc August. Si à me quæsieris, inquit, quæ sit certissima ad sapientiam via, humilitatem respondebo: Et si secundo idem quæras, humilitatem iterum respondebo. Et si tertio tandem ac centies idem à me requiras, idem à me responsum feres. Cassiodor. super Psal. 36. Mansuetos appellamus manu consuetos, id est, patientes & mites, qui alienas iniquitates tolerant, nec aliquem gravare præsumunt. Isidor. Magna est virtus si non lædas à quo læsus es. Magna est fortitudo si etiam læsus remittas. Magna est gloria, si cui potuisti nocere parcas. Chrysost. Ille verò mansuetus est, qui cum provocatus fuerit, nec malum cogitat facere nec facit. Bernard. Sunt quidam mites, sed quamdiu nihil dicitur vel agitur, nisi pro eorum arbitrio. Patebit autem quod longè sint à vera mansuetudine, si levis oriatur occasio. August. Excelsa est patria humilis est via. Ergo qui quærit patriam quid recusat viam? Hieron. Humilitatem sequere non quæ ostenditur aut simulatur gestu corporis, aut fracta voce verborum, sed quæ puro cordis affectu exprimitur. Isidor. Esto parvus in oculis tuis, ut sis magnus in oculis Dei. Tantò enim eris apud Deum pretiosior, quantò fueris in oculis tuis despectior, aliàs frustra appellamur Christiani, si imitatores non fuerimus Christi, quod ideo se viam esse dixit, ut conversatio magistri fieret forma discipuli. Et illam humilitatem eligat servus, quam secutus est Dominus ejus Christus.

III. Ut patienter tollamus crucem & jugum Christi, 1 Pet. 4. qui non affligit nos ex corde, Thren. 3. nec velut hostis, Esa. 27. Ose 11. sed omnia nobis in bonum cooperantur. Rom. 8 Nec jugum Christi ferreum est, Deut. 28. sed ipse Dominus onus quod lene & leve est nobiscum bajulat, Psal. 68. fontemq; crucis dulcorat. Exod. 15. Et jugum tolerabile redditur, sive ad pœnas promeritas, sive ad futuram gloriam cogitationes animi intendamus. Rom. 8. 2. Cor. 4.

III.

Triumphus Fidei Triplex.

I. Quod non tantùm in hac vita Deum revelatum in verbo per fidem agnoscemus, sed trinum & unum qualis est in futura vita videbimus, ubi nomina nostra scripta sunt in libro vitæ, Luc. 10. v. 20. de quo Syntichæ, Evodiano & Clementi gratulatur Paulus Phil. 4. Est autem ille liber Jesus Christus, porta, petra, arbor, dux & fons vitæ, ex cujus catalogo neq; Angeli, neq; potestates, nec quid præsens aut futurum nomina nostra delebit. Rom. 8. Servantur certi in Academijs, civitatibus & in bello libri, si fortè contingat ut nomen infirmi peccatoris propter scelus ex Albo terrestris Academiæ, urbis vel militiæ per ignominiã expunctùm fuerit, minimè tamen ex Albo politiæ cælestis, ex libro vitæ si doleat & credat, expungetur: Christus enim veste justitiæ suæ eum circumdatum cum Angelis & Electis glorioſum coram se statuet, & quò magis ex hoc vitæ libro propter scelera eradi ceperat, eò per resipiscentiam & fidem penitius insculptus in æternum illi adhærebit, nec delebitur unquam.

II. Quod in futura vita Beati ad Christum veniemus, & ipse verè nos recreabit in die refocillationis. Act. 3. Si quis in malesuada juventute propter avaritiam aut libidinem vocem hanc Christi, venite, neglexerit, ille in noviss: die audiet horrendum illud & perpetuò dolendum: Discedite operantes iniquitatem Matth 7. Abite maledicti Matth. 25. Qui autem ad amicam Christi invitationem advolarunt, illis in noviss: die dicetur: Venite benedicti. Tunc Sodomitæ cum primo mundo & impijs omnibus serò nimis plangent quod venire nolucrint. Ninivitæ a. & latro, nosq; cum omnibus pœnitentibus, quod vocanti Christo morem gesserimus, lætabimur, nec spes hæc nostra inanis erit, sed qui hanc Electis refectionem, hoc dulce refrigerium, has spiritus divini delicias pollicitus est in via, illas nobis multò majores & diuturniores repositas servat in æter-

in æterna patria. Auguſt. Alia eſt perfectio hujus vitæ, alia futuræ. Lomb. Alia eſt perfectio currentis, alia pervenientis.

III. *Quod exantlatis ærumnoſæ hujus vitæ per vanos caſus laboribus æternam animæ requiem inventuri ſimus. Hic quidem dum vivimus, vita per extrema omnia ducitur, ſub onere corporali & ſpirituali, dum foris pugnæ intus terrores, 2. Cor. 7. ſed ab his oneribus exempti in Beatorum conſortio propter æternæ refectionis jucunditatem exclamabimus: Ah quid crucem ita intolerabilem cenſuimus, cum tamen indigna fuerit, quæ cum hac gloria conferretur, nec oportuit nos in expectatione hujus gaudij, cum toties edocti fuerimus, 2. Cor. 4. quod momentanea levitas oppreßionis noſtræ æternæ pondus gloriæ datura eſſet ſuper eam ingemiſcere. Vah quod unquam fuerimus impatientes. Sed gloria ſit Domino, cujus gratia hanc quietem invenimus, Luc. 1. abſq; meritis noſtris. Nec tantùm animæ, ſed etiam corporibus noſtris requies illa continget, quæ in hoc Satanæ hoſpitio illis non conceditur, imò nec dormientibus, Syr. 41. ſed piè defunctis. Apoc. 14. Sap. 3. Epiphanij argumentum hoc eſt: Si ſola anima coram Deo accuſanda & condemnanda eſſet, mox proteſtando exciperet ſe homicidium, furtum, perjurium, adulterium & alia enormia non perpetraſſe, ſed id à corpore terreno & membris ejus peractum fuiſſe. Contra ſi ſolum corpus tortoribus tradendum foret, excuſationem prætenderet, id omne inſtinctu & illecebris animæ factum eſſe, nec poſt emigrationem animæ ſe quid ejuſmodi tentaſſe. Sed quia ſimul deliquerunt, poſtulat juſtitia Dei, ut totum compoſitum pœnam promeritam ſubeat. Idem judicium de anima & corpore noſtro in futura gloria: quia ſic datur requies. Eſa. 38. Interrogate de ſemitis antiquis, Jer. 6. quænam ſit via bona, & ambulate in ea, & invenietis requiem animæ veſtræ. 1. Theß. 5. Deus pacis ſanctificet vos totos, & integer veſter ſpiritus, & anima & corpus, ita ne in ullo poſſitis culpari, in adventu Domini JESU CHRISTI ſervetur, Amen.*

Pro Dominica XXVI. Post Trinitatis.

Aliud Evangelium Matth. 25. à v. 31. usq; ad finem.

DE ADVENTU CHRISTI GLORIOSO, ET SENTENTIA EXTREMI JUDICII,

Quod in Ecclesijs Germanorum vulgo explicatur.

PRÆFATIO SUPPLEX.

Sicut Esaiæ cap. 2. & 50 Jer. 17. & 30. Joël. 2. & 3. Sophon. 1. & 2. Amos. 5. Mal. 3 Matth. 12. Luc. 21. Joh. 5. Act. 17. Rom. 2. & 14. 2. Cor. 5. 1. Joh. 2. Prophetæ, Christus & Apostoli magno zelo concionati sunt de novissimo judicio, ut auditores suos ad pietatem & præparationem dignam excitarent: ita & nos ratione officij, ordinis atq; temporis idem hodie pro viribus tractabimus. Invocabimus autem Deum Patrem ut in nobis accendat ignem Spiritus sancti, cujus luce prævia adventum judicis Christi ponderemus, vera fide ad hunc Redemtorem nostrum confugiamus, atq; opera misericordiæ singulari motu erga proximum declaremus, utq; digni habeamur stare ad dextram judicis, atq; ab ipso invitari ad benedictionem æternam, propter eundem qui venturus est judicare vivos & mortuos, & seculum per ignem. Pater noster, &c.

Exordium Propheticum.

Dan. 12. v. 2. Multi dormientium in terra pulveris expergiscentur, hi ad vitam æternam, illi ad opprobria & contemtum sempiternum. Multos dicit Propheta, non omnes propter Enoh Eliamq; propter Christum & illos qui cum Christo resurrexerunt, nec non propter

propter illos qui in adventu Christi superstites mutabuntur. 1. Cor. 15. 1. Thess. 4. Judicabitq; Deus inter bonos & malos, ut lata sententia, Malach 3. v. 18. videatur discrimen inter justum & impurum, inter servientem Deo, & eum qui non servit ipsi. Idem tractatur in præfecto Evangelio.

BREVIS SUMMA ET DISPOSITIO METRICA.

Cùm gloria judex Homo
Christus sedebit in throno,
Ut convocatis omnibus,
Oves ab hædis separet.
Benedicte Patris grex veni
Hæresq; Regni esto Dei,
Christo erogavit munera
Quæ pauperi manus tua.
Maledicta turba ad inferos
Lacus abito flammeos,
Fides juvat nil mortua
Christo atq; egenis invida.

TRIPLEX PRÆPARATIO AD JUDICIUM NOVISSIMVM EX HOC EVANGELIO.

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

1. Quod Christus Filius Hominis, Deus & Homo, licèt pars magna mortalium hanc concionem ludibrio & risu excipiat, Jer. 17. 2. Pet. 3. v. 3. verè veniet judicare vivos & mortuos, & segregare hircos ab ovibus. Testis ipse est veracissimus in hoc Evangelio, de quo August. Si quis de tota Sacra scriptura nihil aliud sciret, nisi solummodo lectionem hujus Evangelij, satis haberet ad salutem. Idem: Venient hæc sicut & ista venerunt, quæ increduli non putabant esse ventura. Gregor. Quandoquidem sequentium rerum certitudo est præ-

prædictorum exhibitio, & ea quæ divinitus prædicta fuerunt de adventu Christi priori ad apicem impleta sunt; nec dubium est quin tremenda justitiæ tempora inspecturi simus.

Notentur de reditu Christi ad judicium: 1. *Testimonia, quod judex erit Christus Filius hominis. Dan. 7. Matth. 24. Luc. 21. Joh. 5. Actor. 1. & 17. 2. Tim. 4. 1. Pet. 4. Ebr. 3. &c. Luth. Judicem illum oportet esse Deum & hominem, tum quia tribunal erit Dei, tum quia visibilis aderit.* 2. *Officium, quod qui modò est advocatus, tunc erit judex. Augusti. Utrumq; Petrus Actor. 10. coram Cornelio docuit, quod sc. constitutus sit à Deo judex vivorum & mortuorum, & quod testibus Prophetis in ipsius nomine credentes habeant remissionem peccatorum.* 3. *Majestas, quod non veniet pauper collocandus in præsepio, nec equitans super pullum asinæ, sed cum gloria multa, & cum igne ac tonitru à quatuor mundi partibus in gloria Patris, Matth. 16. ut sit ventilatio Tnupha, Esa. 30. v. 33. & fulgur continuum, Matth. 24. v. 27. potestasq; qua revelabit occulta, 1. Cor. 4. ut agnoscant Satan & mundus esse revelationem gloriæ magni Dei. Tit. 2.* 4. *Satellites, quia Filius hominis mittet Angelos suos, Matth. 13. cum tubarum sonitu, 1. Thes. 4. ut colligant Electos, Matth. 24. v. 31. à quatuor ventis. Chrysost. super 1. ad Cor. 15. Verè vox magna, vox tubæ terribilis, cui omnia obediunt Elementa, quæ petras scindit, inferos aperit, portas æreas frangit, vincula mortuorum disrumpit, & de profundo abyssi animas liberatas corporibus suis assignat: Hæc autem omnia citius consumit in opere quàm sagitta transit in aëre, dicente Apostolo, in momento, in ictu oculi.* 5. *Tribunal, Matth. 26. Luc. 22. ad dextram majestatis Dei, Apoc. 7. Thronus Dei. Apoc. 20. v. 11. Thronus magnus candidus & quidam ei insidens, à cujus conspectu fugit cælum & terra.* 6. *Judicandi omnes homines, quia omnes nos manifestos fieri oportet coram tribunali Christi. 2 Cor. 5. v. 10. Rom. 14. v. 10. Nec quem etiam hîc potentem, & hoc anxiè petentem colles abscondent. Apoc. 6. v. 16.*

Hæc

Hæc certò certius fient, rumpantur ut ilia illusoribus, quibus cum loquitur Dominus velut cum Propheta Ezech. cap. 12. v. 22. 23. 24. quod non ulterius protrahetur verbum Domini, aut peribit visio: quia promissiones & comminationes divinæ non evanescent, præsertim quia Dominus juramento confirmavit certitudinem hujus diei. Esa. 45. v. 23. Per me juravi, egressum est ab ore meo in justitia verbum, & non revertetur, quod mihi curvabitur omne genu.

II. Quod illi qui crediderunt in Jesum Christum, & fidem operibus dilectionis ostenderunt constituti à dextris Benedicti æterni Patris invitabuntur ad vitam æternam, quæ illis parata est ab initio mundi. Continet autem hæc sententia confirmationem doctrinæ Evangelicæ, quod ex mera gratia per solam fidem in Jesum Christum, non propter opera nostra justificemur: Dum enim ait judex: Benedictus, Matth. 21. qui maledictionem abstulit, Gal. 3. benedicti passivè, respicit ad promissionem de Semine benedicto, Gen. 15. Patris non Satanæ, nec mundi. Venite, quoniam ad vocem meam, Matth. 11. sub onere culpæ & pœnæ in vita ad me venistis. Κληρονομήσατε, *ergo est patrimonium nostrum: Rom. 8. quia hæreditas non est meriti sed naturæ vel adoptionis, Regnum quod mereri nemo potuit æternum, paratum ab exordio mundi antequam essetis. Si hæc spes non esset reposita in sinu nostro, Job. 19. in hac vita solummodo spem in Christo haberemus, 1. Cor. 15. v. 19. & miserrimi essemus omnium hominum.*

III. Quod turba incredula & improba cum Diabolis deturbabitur à facie Dei ad ignominiam & ignem æternum, contra illos enim judex torvo vultu conversus tremenda hæc verba fulminabit: Abite maledicti in ignem æternum qui paratus est Satanæ & Angelis ejus. Quid quæso miserrimi ad sinistram judicis ab æterna benedictione excluſi, & sempiternæ maledictioni addicti facient? cum tota felicitate, quæ sanguine Christi emta, & in Baptismo promissa erat se abdicari videbunt? Quid illis quæso tunc animi erit, cum videbunt se propter momentaneam voluptatem æternis cruciatibus

tibus addictos? O quàm amarus tunc erit fructus voluptatis, qui tam ſuavis olim videbatur! Proverb. 5. Chryſoſt. Cœlum quidem paratum erat homini, ut hoc loco inquit judex, Diabolo verò ignis æternus: Sed quia neglecto Deo Diaboli culpam imitatus eſt homo, juſtiſſimum fuit ut eandem ſuſtineret pœnam, qui ſimilem ſectatus eſt culpam. O diſceſſio, ô maledictio, ô æternitas formidanda, ô ignis! Quid primum mirer? quid primum lugeam? quid primum amplificem? An ſeparationem à Deo? an maledictionem? an ignem devorantem? an malorum omnium nullo unquam termino finiendam æternitatem? Sed ô homo de his ne dubites, hæc enim tam vera ſunt, ut nihil poſſit verius excogitari, tam magna & formidabilia, ut nihil formidabilius eſſe queat, tam quoq; noſtra, ut nihil magis ad nos pertineat. Et niſi nos ad diem noviſſimum piè præparaverimus, aliud non reſtat, quàm ut nos ad deplorandam hanc præparemus ſententiam, & ignem qui nunquam extinguetur. Eſa. 66. Apoc. 9. v. 6. Apoc. 14. v. 11. Gregor. lib. 9. Moral. Horrendo modo ſit miſeris mors ſine morte, finis ſine fine, defectus ſine defectu: quia & mors ſemper vivit, & finis ſemper incipit, & defectus deficere neſcit. Mors perimit & non extinguit: dolor cruciat, ſed nullatenus pavorem fugat: flamma comburit ſed nequaquam tenebras excutit. Ibidem: Tunc edax flamma comburet, quos nunc carnis delectatio polluit, tunc infinitum patens inferni barathrum devorabit, quos inanis elatio nunc exaltat, atq; qui olim ex vitio voluntatem hic callidi perſvaſoris expleverunt, tunc cum duce ſuo reprobi ad tormenta pervenient. Chryſoſt. ſuper Matth. Homil. 33. Multi Gehennam abhorrent, ego autem caſum illius gloriæ multo amariorem Gehennæ pœna ajo. Decem millia quis ponat Gehennarum nihil tale dicet, quale eſt à beata gloria excidere, à Chriſto audire: Non novi vos, Matth. 7. incuſari, quod eſurientem vidimus nec cibavimus. Idem: Intolerabilis res eſt Gehenna, quis neſciat illud ſupplicium horribile, tamen ſi mille aliquis ponat Gehennas, nihil eſt tale dicturus, quale eſt à beatæ illius gloriæ honore propelli, exoſum.

esse Christo, & audire ab illo: Quatenus non feciſtis uni ex minimis iſtis, mihi non feciſtis. Gregor. lib. 4. Dialog. Unus Gehennæ ignis credendus eſt, ſed non uno modo omnes cruciat peccatores: unusquisq; enim quantum exigit culpa, tantam illic ſentiet pœnam, quæ juxta modum culpæ diſtinguetur, & ſecundùm modum criminis unusquisq; damnatorum in igne inferni cruciabitur. Matth. 11. v. 22.

II.

Fructus Fidei Triplex.

I. Ut piè meditemur, ſanctè loquamur, & ſobriè ſcribamus de perſona judicis Chriſti: Quia ipſe, ut malè pereant calumniatores, nobiſcum eſt ad conſummationem usq; ſeculi, Matth. 28. & ubiq;, licèt viſibilis in cælum aſcenderit, inviſibiliter in Eccleſia militante adeſt membris ſuis, & in nobis patitur, Actor. 9. nequaquam incluſus cælo. Quia ipſe Filius hominis veniet in gloria Patris, reſidens in ſolio majeſtatis ſuæ, etiam quo ad humanam naturam. Sic apparebit in nubibus & nihilominus manebit in throno Dei ad dextram Patris, qui non eſt locus creatus & in cælo circumſcriptus: aliàs enim veniente Chriſto ad judicium locus ille ſeſſionis ad dexteram majeſtatis relinqueretur vacuus. Et quia Filius hominis, Johan. 5. judex erit, certè communionem habebit homo Chriſtus cum majeſtate filij Dei, & cum omnipotentia ejus, qua homines etiam mortuos ex ſepulchris excitatos vocabit ad judicium, 1. Cor. 15. & examinabit occultiſſimas cordium cogitationes, ne de ignotis judicet, ſed divina omni ſcientia per unionem perſonalem renes ſcrutetur, & ipſi juxta ſanctiſſimam humanitatem, quæ in nubibus apparebit etiam flectantur genua, ut ſic juxta carnem adoretur. Phil. 2. Rom. 10. v. 14.

II. Ut cotidie edentes & bibentes, vigilantes & dormientes ponderemus ſententiam noviſſimi judicij, nec torpentes in utramq; aurem diutius dormiamus, ne Deum videntes ante pretij noſtri conſpectum pereamus. Hieron. in Epiſt. 34. Non eſt noſtrum noſſe tempora, nec expedit nobis diem judicij noſſe, ſed ſemper incerti

de adventu judicis sic cotidie vivamus, quasi die altera judicandi simus. Si vitæ hujus dolores, qui futurorum malorum vix umbra sunt, tolerare non possumus: quomodo feremus ardores sempiternos? Si adeò delicitati sumus ut in lecto nostro ne pulicis morsum, aut culicis strepitum ferre valeamus: quomodo ardentes flammarum globos perpetuò sustinebimus. Si lata esset de nobis sententia ut brachium ad horam in flammas cremandum immitteretur, qualem de Mutio Scævola rex Porsenna tulit, cujus fortitudinem & animi robur scriptores Gentium prædicant, quod exertum brachium face ignis supposita immotus tenuerit, & hostium flammarumq; contemtor manum suam in hostili foco distillantem spectarit, donec invito ignis, non favore pœnæ sed gloriæ invidia, eriperetur. Vel ut ardentem candelam quod de puero Alexandri Magni memoratur, ad quartam horæ partem digitis adustis teneremus, vah quanto studio pœnam deprecaremur, nullis parcentes sumtibus. Cum totum ergo vitæ tempus ad hoc impensum sit, ut nos ad hanc diem præparemus, euge jam tradamus nos Deo, timore & metu æstuantes, & per veram pœnitentiam peccata diluamus, ut per mortem piam occurramus Domino. Hæc vox Christi est: Qualem te invenio talem te judico. August. Hic locus est misericordiæ, illic justitiæ. Gregor: Qualis hinc quisq; egreditur, talis in judicio æstimabitur. Eccl. 11. v. 3. Gregor. lib. 9. Moral: quicquid ad toleranda inferni mala descendit, nequaquam ulterius ad lucem redibit: quia nequaquam ultra misericordia parcentis liberat, quos semel in locis pœnalibus justitia judicantis damnat.

III. *Ut misereamur proximi nostri, juxta illud:*

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Non quod ejusmodi opera misericordiæ & fructus justitiæ faciant benedictos Patris & hæredes vitæ æternæ: quia fides requiritur, quæ per dilectionem efficax est, quamvis non charitas sed fides in Jesum Christum nos justificet. Rom. 3. Ubi autem opera dilectionis non elucent,

cent; sibi nec fides salvifica justificãs in cordibus habitat. Jac. 2. v. 17. 18. Non ergo Soli comedamus buccellam nostram, Job. 31. sed invitemus, & distribuamus egenis. 1. Reg. 17. v. 9. Luc. 14. Potum porrigamus sitientibus, quia nec haustus frigidæ, Matt. 10. mercede carebit. Quare & Obadias in die novissimo Choris Electorum erit annumerandus. 1. Reg. 18. Vestiamus nudos exemplo Jobis. cap. 31. v. 19. Visitemus ægrotos. Syr. 29. Esa. 38. Nec oblivisçamur captivorum, inprimis si quis propter testimonium Christi in vincula conjectus est. Præstitit hoc Ebedmelech Æthiops. Jer. 39. Et hanc ob pietatem Onesiphorus à Paulo commendatur. Consortes tandem fidei ad sepulchrum deducamus, Syr. 38. quod de Tobia commemorat codex sacer: Quia ejusmodi opera tanquam sibi exhibita Filius Dei prædicabit & retribuet. Quis autem gravetur Christo benefacere, cum modò visibilis non obambulet, ut à Maria & Martha, Simeone leproso & alijs hospitio excipiatur; sed in pijs pauperibus se pati ac recreari ipse testis est?

III.

Victoria, Trophæum & Triumphus Fidei Triplex.

I. Quod nos qui credimus in Jesum Christum Benedicti in occursum judicis rapiemur cum gaudio & gloria, & cum exultatione videbimus Filium hominis. 1. Thess. 4. August. Ut ipse sit judex qui sub judice stetit, ipse judicet qui judicatus est, ut ipsi ejus videant gloriam, qui in ejus fremuerunt mansvetudinem. Idem de Civ. Dei. Tunc manifestus veniet inter justos judicaturus justè, qui occultè venerat judicandus ab injustis injustè. O quantum gaudium erit Redemtorem, in quo solo speravimus, & mitissimum Agnum Dei oculis intueri, & cum sponso cæsti, Matth. 25. ingredi in gloriam! Si gaudet sponsa allatis sponsi literis, illas q; osculatur, certè ipso veniente magis gaudet: quia dulcis est epistola, sed us q; dum veniat ipse qui misit, cujus gratior est præsentia quàm epistola. O quantum

gaudium erit à potestate Satanæ, & carcere inferni sursum rapi, atq; benignum experiri judicem! quia nec postea bellum movebit Lucifer, Apoc. 12. nec condemnati cum eo Tyranni & hostes crucis Christi persequentur Electos Dei.

II. Quod propter opera misericordiæ membris Ecclesiæ exhibita, tanquam ipsi Christo præstita esset à judice prædicabimur coram Angelis & Electis, & coram toto mundo, quasi non proximum sed ipsum Christũ suscepissemus, qui quoq; se in pueris suscipi testatur. Matth. 18. August. Tantum emit vidua duobus nummulis, quantum emit Petrus relinquens retia, quantum emit Zachæus dando medium patrimonium. Quid hac sententia admirabilius? quid hoc encomio dulcius? Sic ergo misericordia comitatur defunctos, & beneficentia retribuetur in die novissimo, quam solam de mundi hujus possessione nobiscum trahimus. Syr. 29. v. 16. 17.

III. Quod depulso Satana & Angelis, & captivis ejus ad infernum, justi ibunt in vitam æternam, audita latissima sententia: Venite benedicti. His quæso quid blandius? quid magis amandum? O felices aures quæ jucundissima hæc verba percipient! Felices oculi qui placidissimum judicis vultum aspicient. Felices animæ quæ in tanta mundi & impiorum ruina servabuntur. O quàm mirabuntur & gaudebunt Electi quod per meritum Christi tecta sint delicta! Psal. 32. quibus in fragili hac vita polluti erant, ne veniant in judicium. Joh. 3. Et ipsi beati transibunt à peccato ad justitiam, à morte ad vitam, à Satana ad Deum, à luctu ad gaudium, ab omni malo ad omne bonum, à condemnatione ad salutem æternam. Et quocunq; vertent oculos abundè habebunt quod exultent, & agant Deo gratias: supra se videntes lucis & salutis authorem: Circa se Angelos & Electos: Intra se claritatem ac justitiam: Infra se rejectos de mundo novo Christi hostes, fulgebuntq; ipsi sicut Sol, Matt. 13. & 17. Sap. 5. Christo conformes, Phil. 3. non amplius exules sed cæli cives. Luther: Sicut virtute ignis distillando spiritus & optima quæq; sursum ascendunt, feces autem & materia putrida in fundum mergi-

mergitur: ita elevatis Electis præcipites agentur impij. Chrysost. in Hom. ad Rom. Quæris ubi & quo in loco futurus sit infernus? Quæritur quidem ut demonstretur esse infernum, sed non ut ostendatur locus. Attamen si scire desideras quo in loco futurus sit, mea quidem sententia erit extra mundum. Idem in Homilia de præmijs Sanctorum: Si quæris de loco ac conditione inferni, respondeo quod extra orbem terræ habeatur.

Dominica XXVII. Post Trinitatis.

DE TRANSFORMATIONE CHRISTI IN MONTE.

Evangelium Matth. 17. à v. 1. usq; ad v. 10. Marc. 9. Luc. 9.

PRÆFATIO SUPPLEX.

SI Moses vir Dei summus Propheta cum refulgente facie sua, vel vas electum Divus Paulus, qui raptus fuit in cælum tertium, concionari deberent de futura gloria, magnificentia & honore Electorum Dei in vita æterna; certè protestando se excusarent, quod eminentissimum illud gloriæ & gaudij pondus linguis suis exprimere non valerent: siquidem & Apostoli Christi vehementer perterrefacti sunt, cum gloriam transformati Christi viderent, & colloquium ejus cum Mose ac Elia, nec non vocem æterni Patris audirent. Sed unde mihi vires atq; verba, ut historiam hanc sanctissimam utiliter vobis proponam? Invocate mecum æternum Patrem Domini nostri Jesu Christi, qui carbone per Seraphin tetigit os Esaiæ c. 6. dixitq; per filium Marc. 16: Ite & prædicate; ut aperiat labia mea, incendatq; & meum & vestra pectora Spiritu sancto, quò sicut ferrum candens malleo petitum scintillas emittit: sic vos hujus concionis auditores mecum sentiatis ignem & flammas divinas Spiritus ac fi-

ac fidei in animabus vestris, percipiatisq; gustum æternæ beatitudinis, & per fidem in Christum perveniatis ad æterna tabernacula propter Jesum Christum. Pater noster, &c.

Exordium Propheticum.

Deuter. 18. v. 15. Prophetam magnum excitabit Dominus è medio tui ex filijs tuis, Hunc audite. Illud autem impletum esse, & illum Prophetam esse Jesum Mariæ filium testatur ipse Deus pater decantans laudes ejus ex cælo, jubensq; ipsum audire. Unde, quod Psal. 89. prædictum fuit, Thabor & Hermon cum populo Dei jubilarunt.

PERIOCHA ET DISPOSITIO METRICA.

Post sex dies Apostolis
Salvator assumtis tribus
In monte transformatus est,
Fulgente vultu & vestibus.
Præsens Elias cælitus
Mosesq; de Christi exodo
Loquuntur, & Petrus tria
Optasset hîc tecta extrui.
E nube vox Patris jubet
Audire Gnatum, si velis
Deo placere. Concidunt
Testes, nec hæc mox prædicant.

TRIA TABERNACULA ÆDIFICATA EX HOC TEXTU:

I. Christi, cujus fundamentum est Fides.
II. Mosis, ambulando juxta præscriptum legis.
III. Eliæ, in gloria æterna: quia Electi non laborabunt frustra. Esa. 65.

I. Con-

I.

Confirmatio Fidei Triplex.

Quod verè, licèt Epicurei & improbi homines id negare non erubescant, Sap. 2. v. 1. 2. 3. 4. vita post hanc restet alia, in qua omnes quotquot credimus in Jesum Christum, Patrem æternitatis, Esa. 9. perpetuo perfruemur gaudio. Nec redit in nihilum quod fuit ante nihil, sed certò vivunt animæ præmissæ.

Testes in hoc Evãgelio habemus triplices:

1. Christum in monte transfiguratum, cælesti splendore indutum, & testimonio æterni Patris decoratum, nec non de resurrectione sua concionantem.

2. Mosen & Eliam, quorum ille mortuus ante Annos 1503. & à Deo sepultus, Deut. ultimo; Hic ante annos 940. curru flammante in cælum subvectus, 2. Reg. 4. hic coram Christo apparent.

3. Apostolos qui hæc verè viderunt, & manifestè confessi sunt, Joh. 1. v. 14. 2. Pet. 1. v. 16. & 17. & morte sua obsignarunt.

Confirmat idem 1. Verbum Dei, quem quoniam in omnibus fidelem invenimus, in ultimo non deficiet, Jos. 21. totq; revelationes illustrissimæ, Gen. 4. de sanguine Abelis, Gen. 5. de Enoch. Apoc. 1. & 7. Act. 7. 2. Cor. 12. &c. Et Christi incarnatio, passio, resurrectio & ascensio: Siquidem enim ipse Rex est æternus, Luc. 1. & nos membra cum capite nostro regnabimus. Col. 1. Apoc. 22.

2. Postulat id 1. Misericordia Dei: quia ipse copiosam mercedem tribuit timentibus nomen ejus, Psal. 61. etiam pro hausta frigidæ. Marc. 10. 2. Justitia Dei, dum, teste August. multa reservat ultimo examini futuri judicij. Nec tot millia puerorum in infantia mortuorum propter tam breve hujus seculi tempus creata sunt, sed reddentur parentibus. 2. Mac. 7. 3. Omnipotentia Dei: Si enim conditus ad imaginem Dei non reformaretur homo, indè magis appareret Dei imbecillitas quàm probitas. Athan.

3. Evincit hoc conscientia nostra, & mirabilis confessio, atq;

patientia Martyrum in tormentis, animorumq; in ipsa morte celsitudo. Qui in terra certarunt, in cælo coronantur. Chrysost. Tace ergo tu Babylon, & tu Sodoma os compesce: quia certè erit vita æterna, & in illa nostra Spes erit Res. August. Eritq;, ut idem scripsit in Meditat. vita vitalis, vita beata, vita secura, vita tranquilla, vita pulchra, vita munda, vita casta, vita sancta, vita ignara mortis, nescia tristitiæ, vita sine labe, sine dolore, sine anxietate, sine corruptione, sine perturbatione, sine vanitate & mutatione, vita totius elegantiæ & dignitatis plenissima. Ubi non est adversarius impugnans, ubi nulla peccati illecebra, ubi est amor perfectus & timor nullus, ubi dies æterni, & unus omnium spiritus, ubi Deus à facie ad faciem cernitur. Et hoc vitæ cibo mens sine defectu satiatur,

Nobile perpetuâ caput amplectente coronâ.

II. Quod Christus Mariæ Filius sit Filius Dei unigenitus & dilectus in duabus naturis, & personæ unitate verus & perfectus Deus ab æterno ex Patre genitus, verus idem & perfectus homo natus de pura virgine, per unionem personalem, licèt inconvertibiliter & inconfusè, dum utraq; natura manet integra, sic tamen inseparabiliter, ut duæ naturæ in Christo nullis nec temporum nec locorum intervallis unquam separentur. Nec ullibi sit Dei filius sine hoc homine Christo, qui & judex constitutus est, Joh. 5. Actor. 17. venietq; in nubibus cæli. Matth. 25. Matth. 26. v. 64. Nec hoc ipso tempore ex throno suo ad dextram Dei eo vacuo relicto recedet.

III. Quod vita æterna sit donum Dei in Christo Jesu, Rom. 6. ut agnoscamus Deum Patrem, Joh. 17. & ab ipso missum Immanuelem, per & propter quem solum Deo placemus, vitaq; potimur æterna: Quia ipse solus discipulos in montem ducit, cælestis Jonathan, 1. Sam. 14. quem nos armigeri sequimur, Unica arcæ Janua, Gen. 6. Unicus in montem Zionis aditus, solus in Ægypto interfessor Josephus, qui perruptor, Mich. 2. de cælo descendit, & ascendit; Joh. 3. Eph. 4. ut nos simul ascenderemus. Solusq; calcavit torcular. Esa. 63. Elias autem ascendens neminem secum traxit, ideoq; sublatis oculis

solum

solum Apostoli vident Jesum, quod reliquæ stellæ coram hoc Sole pallescant, & Cherubin faciem tegant atq; pedes, Esa. 6. v. 2. coronasq; suas abjiciant Seniores ante thronum ejus. Apoc. 4. v. 10. Nec sine hoc Mediatore salus ulla speranda est: quia ipse pro nobis intercedit, Luc. 9. & divina claritate sua solus claritatem Mosis superat. Exod. 34.

II.

Fructus Fidei Triplex.

I. Ut vigeat assiduè in nobis desiderium vitæ æternæ, semperq; colloquamur de futura gloria quantum possumus: quandoquidem non valemus quantum deberemus. Chrysost.

Homo qui cogitationes suas & salutem omnem collocat ἐν Παρεσίοις, 1. Satur hujus vitæ quærit superna, Col. 3. & curat ea, quæ perfecta sunt. Matth. 6. 2. Deterritus à peccatis sobriè, justè ac piè vivit, Phil. 2. Tit. 2. cum trepidatione, ne propter delicta privetur æternis divitijs. Sap. 5. 3. Patientissimè fert crucem. Rom. 8. 2. Cor. 4. v. 17.

II. Ut recenti semper memoria & animo gratissimo circumferamus exitum Christi, quem pro nobis ipse consummavit Hierosolymis; ne Mosis tonitru nos feriat & condemnet, Exod. 19. nec ignis Eliæ nos consumat. 2. Reg. 1. Sed ubi in terribili legis speculo, 2. Cor. 3. deformitatem scelerum nostrorum vidimus, mox in verbo Evangelij & in Sacramentis faciem Christi intueamur, ut hic Sol justitiæ, Mal. 4. nos in umbra scelerum & mortis, Luc. 1. illuminet.

III. Ut JESUM CHRISTUM audiamus, ad normam verbi ejus nos applicemus & ambulemus, quò sic ex auditu fides in cordibus nostris fructum proferat: Rom. 10. nisi enim in atrijs Ecclesiæ plantati floruerimus, Psal. 84. & 92. in sacrosanctum ac cæleste templum non intromittemur. 1. Reg. 7. Et nisi Christum audiverimus, vitam æternam non consequemur.

III.

Victoria & Triumphus Fidei Ter Triplex.

Quamvis gloriam & gaudium vitæ æternæ, in qua una dies præstantior erit, quàm hîc mille anni, Psal. 84. hîc oculus non viderit; 1. Cor. 2. status tamen illius, quod ibi perpetuò mansuri simus, quanta fieri potest industria inquirendus est, ut agnoscamus quò nos fides in Jesum Christum perducat: siquidem in hoc mundo habitationem mutaturus vel ad breve tempus, sollicitè rimatur quænam sit loci ad quem tendit conditio, & servientes se ad semiannum elocaturi non minus anxiè singula scrutantur.

Constat itaq; ex hoc textu:

I. Quod post sex dies magnos, qui dolores & labores hujus mundi denotant, afferente requiem & refrigerationem die septimo, Hilar. Irenæus, sicut sex diebus creati sunt cæli & terra, Gen. 1. & 2. sex diebus colligebatur Manna, Exod. 16. & septimo anno terra quievit; Levit. 25. corpora nostra, juxta opinionem Bedæ, resurgent, Christumq; coràm spectabunt. Animæ emigrantes cælo excipiuntur, in manu Dei, Sap. 3. sed corpora putrescentia expectabunt tubam Dei, 1. Thes. 4. & reditum Christi, cujus erimus commensales. Matth. 19.

II. Quod vita æterna erit in loco superiori: Pater enim de cælo loquitur ex nube, & Christus discipulos ducit in montem celsum, oransq; Marc. 7. elevat oculos in cælum & ascendit in altum, Psal. 68. Actor. 1. Eph. 4. ubi nobis locum præparavit. Joh. 14. 17. Nec demergemur, sed ipsi obvij erimus in nubibus. 1. Thes. 4. Contra in profundo inferno regio mortis est, & impij descendent cum Pharaone, Exod. 14. cum Chore & Dathan, Num. 16. cum Epulone. Luc. 16.

Mons Thabor h. l. de tribus monet:

1. De Ecclesia triumphante, Esa. 2. & cælesti patria, Psal. 15. & 24.

2. De itineris ad illam occupandam difficultate, Matth. 7. per multam tribulationem. Act. 14.

3. De patefactionibus divinis in monte Moria Gen. 22. Sinai Exod. 20. in monte Zion 2. Samuel. 7. Carmel. 1. Regum. 18.

*gum. 18. ut levemus oculos nostros ad montes, Psal. 121. v. 1. unde venit auxilium nostrum.

III. Apostoli vehementer perterriti semimortui tremunt, velut & Daniel visis Angelis, cap. 7. & 10. atq; Johannes, Apoc. 1. mox autem qui absolverant dimidium curriculi in futurum seculum, ad vocem & tactum Christi revertuntur, brevi spacio vivi atq; mortui, & iterum ferme mortui, mox vivi, velut illi qui animi patiuntur deliquium. Sic viventes in die novissimo mutabuntur, 1. Thes. 4. & dicente Christo: Surgite, ne timeatis; convertetur mors in vitam, metus in gaudium.

IV. Fulget facies Christi sicut Sol. Ergo in vita æterna non erũt tenebræ, sed omnia erunt lucidissima. Corpora nostra erunt glorioſa, sancta, Christo conformia, Phil. 3. 1. Joh. 3. Angelis similia: Matt. 22. nam Docti fulgebunt. Dan. 12. 1. Cor. 15. Velut alia claritas est Solis, alia Lunæ, sic erunt gradus in splendore vitæ æternæ, pro diversis officij & vocationis laboribus, quibus in hac vita fungimur, non quidem propter meritorum nostrorum dignitatem; sed ex gratia Dei gratuita. Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli & Martyres reliquæ credentium multitudini antecellent in una & eadem vita æterna. August. Dispar erit gloria singulorum, sed communis lætitia omnium. Sic etiam in Gehennæ pœnarum erit gradus & discrimen. Matth. 11. Jacob. 1. dicitur Deus Pater lucis. Ebr. 1. dicitur Christus splendor gloriæ paternæ. Malach. 4. Sol justitiæ. Et Spiritus sanctus ab utroq; procedens columna ignis in igne flammante se revelavit. Ezech. 1. Actor. 2. Angeli, Psalm. 104. ceu flammans ignis facti, Luc. 2. Chorus coruscans apparent. Et unicus Sol à Deo creatus tantum habet lucis, ut Lunæ & omnibus stellis lucem communicet, & universum orbem illuminet. Hac in luce ambulant creata omnia, ne deficit lumen Solis jam tot annis. Quãta ergo lux erit in vita æterna! Ubi tres personæ divinitatis, & Angeli, & Electi fulgebunt. Quid ad hæc facies Mosis? Exod. 34. Cæcus homo contra homo miser est, & deploranda sors damnatorum, quod in æternas tenebras conijcientur. Matth. 22.

V. Lucent vestimenta Christi colore niveo, qualem hic mundus non habet. Color ille significat puritatem & gaudium in vita æterna. Hinc Angeli post resurrectionem Christi apparent in stolis albis: Marc. 16. Joh. 20. Actor. 1. quia sunt puri, incontaminati, immortales, & perpetuò gaudentes. De animabus piorum scriptum est Apocal. 7. quod laverint vestes sanguine Agni. Sic ergo & nos in vita æterna vestitu gloriæ decorabimur.

VI. Quia apparent Moses & Elias, adsunt Apostoli & tota Trinitas cum Angelis, indicio est quod in vita æterna futura sit optatissimus conventus, & in ijsdem hisce corporibus surgemus. Job. 19. Dicitur ergo mors piorum collectio ad Patres, Gen. 15. 25. 49. reditus, Eccl. 12. & transitus, Joh. 16. ad Deum; ubi fruemur conversatione cum Patriarchis, Apostolis & Sanctis omnibus. Et quos piè præmisimus illic in gloria ac honore spectabimus, nequaquam amissos: reddetenim Deus parentibus liberos suos. Hoc David præmisso infante, 2. Sam. 12. sese erigit, extincto autem Absalone impio, 2. Sam. 18. admodum luget.

VII. Quia Apostoli Mosen & Eliam antea non visos agnoscunt, mutua erit in vita æterna cognitio, etiam antea non visorum. Agnoscamus Prophetas & Reges veteris Testamenti. Sic filius viduæ agnoscit matrem redivivus Luc. 7. & Christus post resurrectionem 40. diebus agnoscitur. Sic impij cognoscunt justos. Sap. 5. Chrysost. ab exilio ad alium Martyrem scribit: Tunc Martyres suos Tyrannos agnoscent, & Tyranni suos quos afflixerunt Martyres. S. Ambrosius scribit de Theodosio Imperatore, quod in vita æterna Cæsares Constantinum & Gratianum cum reliquis videat. August. scripsit ad viduam, quod melius & rectius in cælo agnoscet præmissum maritum, quàm hic in terra. Sic dicemus: En ille Adam, Abraham, David, &c.

VIII. Mutuum erit & jucundissimum colloquium, quando ex abstractiva justitia fiet intuitiva; quia Moses & Elias hic colloquuntur cum Christo, Christus resurgens cum Apostolis, & Deus pa-

ter

ter hoc loco. Ibi Johannes & Petrus non fundent lachrymas propter Christi absentiam. Nec August. amplius optat videre Christum & audire Paulum. Et nos dulci fruemur colloquio cum pastoribus, parentibus, conjugibus, filijs. Inprimis de admirabili redemtione generis humani per Christum facta, de qua & hoc loco in Thabor institutum fuit colloquium, teste Luca. De præsentia Christi in cœna, alijsq; mysterijs quæ hic scrutari non potuimus.

IX. Perenne erit perfectumq;, & perpetuum gaudium infiniti temporis, nec optabimus in hunc mundum vel ad 10. Regna reverti, sicut nec puer genitus in uterum maternum. Velut hoc loco discipuli vident Christum in summa gloria, & sicut subditi cum gaudio spectant Regum suorum majestatem: sic nos in futuro gaudio exultabimus, præsertim quod omnis labor & dolor finem adeptus sit. Num. 11. v. 11. & 15. præ summa angustia inquit Moses: Occide me quæso occidendo Domine, si invenero gratiam in oculis tuis. Num. 12. v. 3. appellatur mansvetissimus omnium hominum & afflictissimus in terra. Deuter. ultimo non datur ipsi propter incredulitatem, Num. 18. ingredi in terram promissam, quod tamen instanter à Deo petijt. Hic autem apparet in medio terræ Canaan, ornatus gloria & splendore cum Angelis Domini. Et hæc est illa retributio ad quam respexit Moses. Ebr. 11. v. 26. Sic Elias convicijs proscinditur ab Achabo, fugit Isabellam & 1. Reg. 19. ait: Domine sufficit, oratq; per mortem liberari; sed hic ab omni malo liberatus gratias agit Christo pro curru Angelico, quo hinc deportatus fuit. 2. Reg. 4. Eadem certò erit & nostra felicitas si bene absolverimus curriculum, cum Mose & Elia viventes ac morientes Christo. Rom. 14. Hinc Petrus conjugis, domus, & totius adeò mundi oblitus inquit: Bonum esse, extruamus tria tabernacula. Non Sol aut Luna, non aurum nec argentum, non gemmæ vel flores tam decori sunt, quàm animæ nostræ, & corpora excitata rutilabunt. Non vox aut ulla Musica tam suavis, quàm Beatorum concentus. Fulgent quidē potentiores in hac vita auro & gemmis ornati, cum Herode; Act. 12.

sed

ſed vanitas hæc vanitatum. Et felicitas hæc bracteata eſt, Seneca in Epiſt. ſicut parietes marmore ornati, ſub quibus fœda ligna & lutum latitant. Nobis autem poſt hanc vitam parata eſt manſio, Joh. 14. Politevma, Phil. 3. & tabernaculum. Hæc eſt præmij largitio, Ebr. 13. & ſpes noſtra. 1. Theſ. 4. Mors ergo lucrum, Phil. 1. transferens nos ad Deum & Electos.

Siq; gaudent parentes ubi domum revertuntur pueri incolumes. Si gaudet conjunx reduce ex funeſti belli periculis marito: certè gaudium noſtrum propter conſortium in æternis tabernaculis immenſum erit. Hæc ergo ſit conſolatio noſtra, etiam ſi occidat nos Dominus. Job. 13.

FINIS.

SOLI DEO GLORIA.



ROSTOCHII
Typis JOACHIMI PEDANI, Acad. Typog.
ANNO M. DC. XIV.

Statura Christi. fol. 307. [illegible]. 1. parte.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730416445/phys_0417
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730416445/phys_0420
DFG

8. ut levemus oculos nostros ad montes, Psal. 121.
ade venit auxilium nostrum.
vehementer perterriti semimortui tremunt, velut
ngelis, cap. 7. & 10. atq; Johannes, Apoc. 1. mox au-
nt dimidium curriculi in futurum seculum, ad vo-
hristi revertuntur, brevi spacio vivi atq; mortui,
nortui, mox vivi, velut illi qui animi patiuntur de-
entes in die novissimo mutabuntur, 1. Thes. 4. &
Surgite, ne timeatis; convertetur mors in vitam,
n.
Christi sicut Sol. Ergo in vita æterna non erũt tene-
nt lucidissima. Corpora nostra erunt glorioſa, sancta,
, Phil. 3. 1. Joh. 3. Angelis similia: Matt. 22. nam Docti
1. Cor. 15. Velut alia claritas est Solis, alia Lunæ, sic
lendore vitæ æternæ, pro diversis officij & vocatio-
ibus in hac vita fungimur, non quidem propter me-
m dignitatem; sed ex gratia Dei gratuita. Patriar-
stoli & Martyres reliquæ credentium multitudini
& eadem vita æterna. Augusſ. Dispar erit gloria
ommunis lætitia omnium. Sic etiam in Gehenna,
adus & discrimen. Matth. 11. Jacob. 1. dicitur
Ebr. 1. dicitur Christus splendor gloriæ paternæ.
litiæ. Et Spiritus sanctus ab utroq; procedens co-
e flammante se revelavit. Ezech. 1. Actor. 2. An-
eu flammans ignis facti, Luc. 2. Chorus coruscans
icus Sol à Deo creatus tantum habet lucis, ut Lunæ
lucem communicet, & universum orbem illumi-
mbulant creata omnia, ne deficit lumen Solis jam
ergo lux erit in vita æterna! Ubi tres personæ divi-
, & Electi fulgebunt. Quid ad hæc facies Mosis?
homo contra homo miser est, & deploranda sors
od in æternas tenebras conijcientur. Matth. 22.